
1801-4


1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
CIRCUMSPICE

Gonzalez Lodge
New York 1910

COMMENTARII

SOCIETATIS PHILOLOGICAE

LIPSIENSIS.

EDI CURAVIT

CHRISTIANUS DANIEL BECKIUS.

VOLUMEN PRIMUM.

LIPSIAE ET PLAVIAE

IN COMM. GRAU, BIBL. CUR. ET MAURER BIBL. BEROL.

clɔIɔcccI.

COMMENTARII

SOCIETATIS PHILOLOGICAE

LIPSIENSIS.

EDI CURAVIT

CHRISTIANUS DANIEL BECKIUS.

VOL. PRIMI PARTICULA I.

LIPSIAE ET PLAVIAE

IN COMM. GRAU, BIBL. CUR. ET MAURER BIBL. BEROL.

cIↄIↄcccI.

COMMENTARIORUM SOCIETATIS PHILOL.

VOL. I. PARTICULA I.

I.

De consilio et natura horum Commentariorum.

Quamquam superiori anno, edito atque divulgato eam in rem programmate, satis docuisse nobis videmur, quid et spectemus his commentariis edendis, et contineri iis velimus: tamen et repetere pleraque, et addere alia placuit, cum intellexerimus, fuisse, quae minus perspicue dicta et declarata existimarentur. Et enim, quum post libros illos criticos et Batauorum 1) et Göttingensium 2) et aliorum virorum do-

1) Bibliotheca critica (opera *Ruhnkenii* et *Wyttenbachii*) Amst. 1777—1790. Voll. II. quorum quodvis quatuor partt. continet, Vol. III. P. I. II. Quae nuper spes facta est a nonnullis, fore, ut ea Bibl. instauraretur, adhuc vana fuit.

2) Philologische Bibliothek (sub auspiciis *C. Gu. Fr. Walchii*, Gött. 1770—75. III. 8.) Neue philologische Bibliothek, Lpz. 1777 ss. (cur. *I. C. Volborth*) IV. 8. Bibliotheca philologica, Lips. 1779—81. III. 8. Nova Bibliotheca philol. et critica. Vol. I. fasc. 1. 2. (eiusd. V. D. curis). Bibliothek der alten Litteratur und Kunst, (cur. *Tychsenii* et *Heerenii*) Gött. 1786—1794. X. 8.

ctorum [3]), qui ne universas quidem philologiae opes atque recentissimas complexi essent, neque felici successu usi, dolendum esset, et a multis etiam indigne ferretur, communibus his litteris, quae ad humanitatem inprimis referuntur, deesse, qui, quidquid ad eas pertineret, recens inventum, disputatum, editum, et exponeret copiose diligenterque referret, et subtiliter examinaret, humaniterque iudicaret; neque post Observationes illas miscellaneas apud Anglos et Batauos editas [4]), et Oxoniense Museum [5]) nuper institutum, esset, in quo reconderentur plurimae disputa-

3) Magazin für öffentliche Schulen und Schullehrer, Brem. 1790 91. II. 8. (cur. *Rupertio* et *Schlichthorstio*). Neues Magazin für Schullehrer, Gött. 1792. Brem. 1794. III. 8. Magazin für Philologen. Br. 1796. 97. II. 8. (iisdem edd.) Hae particulae etiam Commentationum philoll. nomine inscriptae, non nisi disputationes philoll. continent, illae superiores etiam breuem recentiss. librorum philol. enarrationem proponunt. — Humanistisches Magazin von *F. A. Wiedeburg*. Helmst. 1787—91. III. 8. Eiusd. philol. paedag. Magazin, ib. 1791. II. 8.

4) Miscellaneae Observationes in Auctores vett. et recentt. ab eruditis Britannis a. 1731 edi coeptae, cum notis et auct. var. VV. DD. Amstel. 1732—39. X. voll. 8. (Burmanni maxime cura). Miscellaneae observationes criticae novae in auctt. vett. et recentt. in Belgio collectae et proditae (cur. Dorvillii). Amst. 1740—45. IX. Tomi III. voll. Tomi X. XI. XII. 1751. — His nuper successerunt Saxii, venerabilis senis, studio, Acta literaria societatis Rheno-Traiectinae. Tom. I. L. B. 1793. II. 1795. 8.

5) Musei Oxoniensis litterarii conspectus — (cur. Tho. Burgess) Ox. 1792. 8. Musei Oxon. litterarii speciminum, fascic. secundus. Lond. 1797. 8. Antiquius est *Ferd. Stoschii* Museum criticum. Optarunt autem multi, ut Gruterianae similis ederetur Lampas s. Thesaurus Criticus, quo, qui iam rariores fieri incipiunt, aut in paucissimorum manus peruenerunt, libelli critici minores continerentur. Quam ipsam in rem hi Commentarii poterunt prodesse.

tiones philologorum aut ineditae aut minus divulgatae, quoddam promtuarium: constituimus iam dudum utrique satisfacere desiderio, atque coniuncta plurium, qui his litteris occupantur, amicorum opera, commentarios edere, et commentationes et iudicia librorum complexuros, copia iusta et varietate probabiles. Cui consilio cum et aliae, de quibus dicere non necessarium est visum, et temporum ipsorum rationes obstitissent, non nisi ineunte hoc saeculo operis initium facere licuit. Continebit autem illud

1. Obseruata atque disputata cum de uniuersa, quantum illa patet, philologia eiusque singulis partibus et locis, praesidiis et adiumentis, etiam historia, geographia vetere, archaeologia etc. tum de scriptoribus antiquis, eorum legendorum et explicandorum praeceptis, locis singulis, verbis, argumentis critice examinatis.

2. Iudicia de aliorum sententiis in hoc genere atque inventis, errorumque, si qui commissi fuerint, modestas castigationes.

3. Codicum, nondum tractatorum aut non diligenter collatorum, lectiones; editionum etiam, quarum critica sit auctoritas, vel examina instituta vel varietates excerptas.

4. Libellos acadd. scholasticosve, nunc integros repetitos, nunc in compendium redactos.

5. Commentationes, quae in diariis aliisque eius generis libris, siue patria siue alia lingua scriptis, leguntur, et ad humanitatis litteras pertinent, partim omnes in latinum sermonem conversas, partim excerptas.

6. Animaduersiones, quae in ephemeridibus litter. aliisque libris criticis, recens editorum librorum occasione, propositae sunt, collectas, versas, et si visum fuerit, examinatas.

7. Maiorum librorum philologg. atque editionum et versionum classicorum auctorum recensiones atque catalogos plenissimos. Qua in re ita versabimur, ut, quamprimum in manus nostras venerint, de iis ad lectores referamus, et praestantiorum quidem copias uberius explicemus, leviorum rationes brevissime indicemus. Et de iis quidem, quae superiori anno edita sunt, paucissima his prioribus partibus dicentur.

8. Specimina novarum editionum aliorumque laborum, atque relationes de recens inventis, susceptis, profligatis, quaesitis et in disceptationem vocatis, codicibus descriptis et examinatis, quaeque eius generis sunt alia.

Iam, etsi operam suam primum coniunxerunt ii, qui vel olim adscripti fuerunt philologicae societati, vel nunc cummaxime eam constituunt: tamen et speramus, communium litterarum causa, et maiorem in modum petimus, ut, quicunque doctrinae suae exquisitae copiis et subtilis iudicii acumine has litteras ornare, et, quae interdum animadverterint, quae emendanda viderint, cum aliis communicare, quae utiliter fuerint suscepta aut inventa, narrare, voluerint, ii his commentariis sua committant, quibus vere hoc litterarum genus adiuuetur. Ita enim eveniet, ut, quae ad uberrimos philologiae omnis thesauros augendos nuper collata fuerint conferrique potuerint, ea his commentariis et contineantur et adserventur. Quorum ratio et usus ut eo latius pateret, neque ad patriam modo sed exteras etiam spectaret regiones, latina in iis oratione uti non dubitavimus, quamquam fuerunt, qui nostrae aetatis ingenium huic consilio minus favere existimarent. Enimvero intelleximus, omnino non probatum iri illos Commentarios iis, quibus vernacula unice placeant, quique in liminibus philologiae substiterint.

II.

Historia, consilia, et instituta philologicae societatis eiusque exercitationum.

Quum humanissimorum virorum, qui hanc societatem vel ornarunt olim vel nunc ornant, et consilio et operae primum illud debeatur, quod hi prodeunt commentarii, quumque saepe, interdum etiam paullo acerbius, monitus ille fuerit, cuius studio coiit ante hos XVII. annos illa societas, ut leges eius atque exercitationes innotescere omnibus iuberet: non abs re visum est, nunc, cum nihil obesse videremus, illud agere, quod, quo minus fieret tum, cum postularetur, variae neque leues impediuerunt causae. Etenim anno superioris saeculi LXXXIV. cum non modo philologiae studia acerrima inter nos vigerent, sed agerentur etiam consilia praeparandorum magis atque rectius instituendorum eorum iuvenum, qui scholis olim maioribus minoribusve operam dicarent suam, condita est et constituta haec societas, cui, qui tum nomen dederunt, amplissimis nunc et muneribus praesunt plerique et laudibus condecorantur. Fuerunt autem tum octo numero, postea interdum etiam plures. Neque enim ab eo inde tempore aut interruptae unquam sunt et intermissae societatis exercitationes, aut studia enervata iacuerunt; quamquam, ut fit in rebus humanis, non eadem semper vis, idem vigor, et ardor, eminuit. Sed, quae tum, cum primum iniretur, communi consilio, scripta sunt huic societati praecepta, fuerunt haec:

„Exercitationes ipsae, quarum instituendarum causa Societas amicorum singulis hebdomadibus bis convenit, versantur in eo, ut unus ex eorum numero, pro ordine semel constituto, locum aliquem scriptoris antiqui, qui ab ipso lectus et aliquot diebus ante indicatus reliquis amicis sit, praesentibus et illis et eo, qui his exercitationibus praeest, interpretetur, cognoscatque ex ipsorum monitis, quid recte aut minus recte intellectum et dictum fuerit. Iam primum omnium quaeri potest de consilio, cur haec omnia instituantur.“

I. Consilia.

„Et primo quidem neminem fugit, eum, qui commentari in locum aliquem et eum aliis explicare studeat, ipsum eum melius intelligere et omnia rectius percipere oportere, quam qui ipse eum solus legat. Is enim multa putat se bene cepisse, quorum tamen vim non satis, aut omnino non, perceperit, quibus sensum tribuerit prorsus alienum. Sed interpretatio loci, quam ipse suscipere debet, cogit eum et de singulis verbis et de nexu eorum et de loci sensu et de vera eius lectione, denique de rebus, quae a scriptoribus proferuntur, cogitare diligentius secum, ut, adhibito iusto labore, clara omnia et perspicua reddantur.

Quae res ut intelligentiam multorum locorum et scriptorum recte adiuvat: ita etiam optime docet, quomodo in interpretando sit utiliter versandum. Nam si vel maxime alios audiveris, et peritissimos, auctorum veterum interpretes; si vel omnes cognoveris sanae interpretationis scriptorum et sacrorum et barbarorum leges: tamen, nisi accesserit usus et exercitatio, optima omnium rerum magistra, non facile erit, leges istas sequi et proposita exempla imitari. Qui vero quendam

amicorum suorum interpretantem scripta nonnulla audiverint mente ea, ut de ipsius labore iudicent, hi partim non cuivis interpretationi, quae proponatur, assentientur, quod, ubi doctores harum rerum audimus, fieri solet, partim videbunt, quid ad meliorem loci cuiusdam tractationem requiratur. Eum vero, qui olim in scholis vel maioribus vel minoribus interpretis veterum scriptorum munus susciperé in se constituit, si a talibus exercitationibus instructus accesserit, illud felicius administraturum esse, quam si imparatus rem aggressus fuerit, in promtu est. Erit igitur harum exercitationum multiplex vis, ut et iudicia acuant et legum interpretandi usum monstrent, et intelligere recte multos locos doceant, et muneribus scholasticis paullo aptiores reddant iuvenes. Omittuntur alia, ut, quod sic etiam facultas linguarum et inprimis Latinae, augeri mirifice possit.

§. 2. Sed ex his consiliis sponte patet, quinam recte his exercitationibus interesse possint, et quibus scriptoribus eae occupentur. Et primo quidem his potissimum destinatas eas esse apparet, qui vel nunc antiquarum litterarum magistri pueris sunt, vel olim earum doctores in quibusvis scholis erunt. Quod tamen non eo valet, ut ad alios eae omnino non pertineant. Neque vero ex iis ullam capiet utilitatem, immo et sibi et aliis displicebit, qui ad eas non secum attulerit aliquam linguarum et rerum antiquarum peritiam, aliquam legum interpretandi atque de lectionibus, et de rebus etiam, et de modo, quo eae a scriptoribus exponuntur, iudicandi scientiam, qui non intellexerit, se non plane carere subtili iudicio dotibusque mentis aliis. Qui vero, et a studio muneris aut scholastici aut academici suscipiendi, et a negotio puerilis institutionis alienus est, is et ipse, cum non sine fructu coetibus

nostris interesse possit, modo idonea facultate gaudeat, propterea non videtur a consiliis nostris alienior esse. Nam sive sacris litteris det operam, habebit etiam, in quorum explicatione se exerceat, divinos libros, inprimisque eos, qui Christianae religionis praecepta continent, sive aliud quodcunque litterarum genus colat, acuet sic facultatem interpretandi et iudicandi suam. Ei enim, qui omnino litteris, quae ab humanitate nomen duxerunt, totum se dedit atque consecravit, non inutiles fore has nostras exercitationes, vix est cur moneatur. Scriptorum vero, Graecorum et Latinorum, qui explicandi sumantur, ii potissimum apti nostris laboribus videntur, qui in scholis et minoribus et maioribus tractari vulgo soleant, et quorum facilis cuique amicorum sit copia, omninoque ii, qui classici jure et habentur et dicuntur. Ex eorum operibus vel poterunt seligi loci quidam, vel integri libelli ab aliquo per partes tractari, ita ut tandem continua commentatio in talem librum exoriatur, vel partes maiores explicando et examinando illustrari. Et cum in scholis tantum non omnibus explicari debeant sacri libri, et cum multis modis prodesse possit, etiam horum religionis monumentorum interpretationis rationem cognoscere, omninoque necessitudo quaedam sit philologiae quae sacra et quae profana vulgo dici solet: poterit interdum (sed rarius) particula librorum N. T. aut graecorum V. T. interpretum illustranda sumi."

II. De ratione explicandi et commentandi.

§. 1. „Est vero duplex omnino commentationum in veteres scriptores genus; alterum *grammaticum*, quod praeter orationis sensum, singula verba, eorum scripturam, etymologiam, significationes, usum apud varios

scriptores diversis aetatibus, diligentius examinat, alterum, quod haec omnia non plane quidem negligit, sed tamen inprimis ad iudicii subtilitatem, pulcritudinis et elegantiae sensum spectat, quodque recentiori nomine *aestheticum*, antiquiori *criticum*, appellare possis. Cuique sua dignitas, sua est utilitas. Itaque ut a nostris exercitationibus posterius non abhorret, ita prius tamen praecipue colendum commendandumque esse, ex earum consiliis intelligitur. Omnino enim concedenda est cuivis ea libertas, ut ex suo sensu hac in re versetur, neque adstrictus semper sit certis quibusdam legibus, modo nihil, quod explicandum ullo modo videri possit, prorsus intactum relinquat.

§. 2. Nam inprimis curari debet, ut, qui commentatur in locum aliquem, nullum eius verbum, nullam formulam, tropum, figuram, periodum nullam, nullam denique rem omittat, de qua aliquid vel ad lectionem constituendam vel ad explicationem vel ad illustrationem, vel ad sensum, dicendum sit. Ut et linguae, et rerum, scientiae in hominibus magna est diversitas: ita etiam iudicia super iis, quae explicatione egeant, admodum varia esse comperimus. Poterit tamen fortasse omnibus satisfieri, si in quovis loco sic versemur, ut quosnam instituere, et quibusnam locum interpretari constituerimus, certum nobis sit et bene perspectum.

§. 3. Erit autem hoc omnino tenendum, ut nihil, nisi quod necessarium sit, dicatur, atque etiam vitentur omnes orationis longiores ambages, nimia in proferendis et examinandis aliorum commentis copia, iactatio multae et variae lectionis inanis, digressiones omnes, quae non multum valeant ad eum, quem tractes, locum, et omnino non exprimatur imitando ratio eorum, qui commentariis illustratos ediderunt scriptores veteres,

et multa saepe egregie, sed non suo semper loco, disputarunt. Ut enim magnopere inter se et consilio et methodo differt scholastica et academica scriptorum veterum interpretatio: ita etiam editores longe aliam pro instituti diversitate sequuntur rationem. Sed haec singula legibus quibusdam definire infinitum est, et iusta huius rei ratio est potius usu et exercitatione ipsa cognoscenda. Omnino autem quaevis adolescentis scriptio luxurians et redundans magis placebit, quam sterilis et ieiuna, propterea quod facilius suaviusque est, luxuriem, ut arborum, ita et ingeniorum, compescere, quam sterilitatem iuvare.

§. 4. Qui igitur locum aliquem interpretari conatur, eum, quantum fieri possit, cognoscere oportet ea, quae hactenus a Viris doctis in eum scripta vel brevius vel uberius sunt, et inde seligere, in suum usum convertere, atque proponere, quae digna commentatione videantur. Si quae vox, aut formula rarior, aut ulla alia de causa dignior observatione videatur, eam recte illustrabit, ex usu aliorum scriptorum. Sed in colligendis et proferendis aliorum exemplis, videbit diligenter primo, ne iusto copiosior sit, ubi paucis defungendum est; deinde ne laudet promiscue locos scriptorum ex variis et longe a se distantibus saeculis, quo in genere multi non indocti Viri peccant.

Ingenium vero et linguae et scriptoris cuiusvis semper et potissimum explanare studebit. Adhibebit inprimis Grammaticos veteres et Scholiastas et Lexicographos, quorum multiplex est hoc in genere usus, de cuius iusta ratione non hic plura dici possunt. Neque vero inhaerebit tantum vocabulis, sed et nexum eorum persequetur, et sensum accurate declarabit, qui quidem saepius nondum definitur, si omnes vocabulorum singulorum significationes calleas et illustrare valeas, sed

eruendus est ex serie omnis, et praecedentis et sequentis, orationis, et ex mente atque consilio auctoris, de quo nobis aliunde constet. Denique fuit olim nonnullis hic mos, ut legerent et explicarent scriptores veteres non nisi verborum et sermonis causa, sententias et res fere negligerent. Eum, utpote indignum nostrorum temporum humanitate, ita fugiemus, ut rerum et sententiarum non minorem, quam verborum et orationis habeamus rationem. Sed et hic erit modus quidam adhibendus, ne in aliud delabamur, idque etiam antiquius, vitium.

§. 5. Et cum interdum ad illustrandam rem non parum conferat aliorum scriptorum comparatio, nec hanc, qui instituat, reprehendetur, immo laudabitur, modo numquam oblitus fuerit, instituti nostri utilitatem postulare, ut et breves hac in re simus, et inserviamus potissimum iis, quos instituere simulamus. Inprimis hoc ii tenebunt, qui poëticos locos illustrant.

§. 6. Neque vero iusta explicatio sine lectionis cuiusque loci examine critico recte vel cogitari potest. Nam, ut non moneam, disputari de integris quibusdam libris, genuini sint, nec ne, saepe incidit dubitatio, num locus quidam aut versus, vel, quod frequentius occurrit, verba singula sint a scriptore profecta, aut eo, quo leguntur, loco posita. Tales locos et verba praeterire eorum interpreti non licet, sed ostendere tenetur, quae cuiusque loci sit, aut esse videatur, vera lectio. Oportebit autem ipsum hac in re brevissimum esse, si iam ab editoribus omnia explanata sunt, copiosiorem, si minus certa, aut idonea hactenus fuerint prolata. Argumenta ipsa lectionis constituendae petet non tam a codicum numero, quam ab eorum auctoritate, sententiae et seriei et linguae natura, aliisque criticis, quae varia sunt, praesidiis. Sed

ut examen verborum, ita et iudicium de rebus, nobilius illud, non negligendum est.

§. 7. Haec de commentandi ratione, quam definire in singulis locis interpretandi consilium, auctorum explicandorum diversitas, debent; nunc de commentationis in locum aliquem scriptae forma. Intelleximus vero multo suaviorem reddi praelectionem commentationis cuiusdam, si interpretatio continua oratione procedat, neque interrumpatur. Etsi autem, quae omnis est domestico stilo scripta litterisque mandata recitatio, diligentius elaborata est, quam quae subito effunditur: multum tamen iuvabit nos olim, si mature didicerimus quaedam addere ex tempore, neque litteris consignata, quoniam partim non semper satis otii est, ad tales commentationes elaborandas, partim magister, qui omnia de scripto docet, videtur sibi ipse diffidere, neque gratus auditoribus reperitur. Sint autem commentatiunculae integrae latina conscriptae lingua, nisi ubi discedere nos ab huius linguae usu, interdum vel scriptor, quem tractamus, latinus scilicet, (quamvis in hos quoque latine commentari liceat) vel adnotationis et disputationis cuiusdam natura iubeat, vel varietatis causa placeat vernacula lingua uti, cuius et ipsius facilis et rectus usus scholarum magistris est necessarius. Denique non nimis longas scribi posse, vel temporis, quod praelectioni et examini earum impendendum est, angustia, si non alia etiam, docet.

§. 8. Versiones autem locis explicatis addere, etsi non semper necessarium, tamen multis modis utile est. Et hae quidem, si Graecis verbis respondent, latinae esse possunt, pressae et fideles esse semper debent. Visum tamen nobis est, cum multis aliis eruditis et idoneis harum rerum iudicibus, in dialogis Platonicis v. c.

scriptis philosophicis, carminibus inprimis, versionem germanicam, eamque, si poëticos locos exprimit, ipsam quoque metricam, non modo probandam, sed interdum adeo praeferendam esse, cum aliis de causis, tum quod nostra lingua vocabulis compositis et particulis et omni forma Graecis bene respondere reperitur, et quod sic simul vernacula lingua potest excoli."

III. De iudiciis super scripta et praelecta commentatione in locum quendam ferendis.

„Ei, qui societati huic praeest, commentatio praelegenda pridie tradenda est, ut diligentius eam examinare et, si videatur, mutare atque addere nonnulla et de ea statuere severius possit; reliquis amicis indicatur locus, qui explicandus sumitur, ut eum perlegere possint; hora constituta commentatio iis clara voce, neque nimis celeriter, praelegitur; finita lectione is, qui proximo die specimen exhibebit, iudicium fert, tum reliqui suo quisque ordine. Erit in his iudiciis brevitati studendum, ut aliquantum temporis relinquatur ei iudici, qui ante diligentius examinasse laborem dictus est, et cavendum, ne acerbior disceptatio oriatur. Neque copiosi erunt amici in laudando, temporis causa, sed indicabunt, ratione consiliorum instituti nostri habita et causis adiectis, quae sibi aut male, aut non satis clare, aut minus copiose explicata, et quae praetermissa, quae omittenda videantur."

His legibus et consiliis ita obsecuti sunt, qui per hos XVII. annos societatis huius necessitudine coniuncti fuerunt, ut non modo, angustis limitibus conclusi, quid scholarum usus posceret, spectarent, sed latius exspatiati quaererent etiam, quid omnino subtilius philologiae omnis studium iuvaret, atque sectarentur. Et

specimina quidem laborum societatis nomine et iussu edita sunt deinceps haec:

Cleanthis hymnus in Iovem, graece edidit, notis illustrauit *Fr. Gu. Sturz* (nunc Prof. eloqu. Gymn. Ger.) 1785. 4.

Historia poëseos graecae brevioris ab Anacreonte usque ad Meleagrum ex Anthologia gr. adumbrata, scr. *Car. Gottlob Sonntag* (nunc eccl. Iac. Rigensis Pastor.) 1785. 8.

Poëseos Leonidae Tarentini specimen. Ed. et ill. *Car. Dav. Ilgenius* (nunc Orr. LL. P. O. et Theol. Prof. hon. Ienensis.) 1785. 8.

Eiusd. Comm. Chorus Graecorum tragicus qualis fuerit, et quare usus eius hodie reuocari nequeat? 1788. 4. (Uterque libellus etiam V. doctiss. Opusculis philoll. insertus est.)

De notione philosophiae in Platonis ἐραςαῖς obuia, scr. *Augustus Magnus Krafft* (scholae Dondorp. nunc Rect.) 1786. 8.

Ren. Gotthelf Loebel: In Aristotelis notionem tragoediae Comm. I. 1786. (Secundam non edidit, mortuus 1799. Musis et amicis lugentibus.)

Dec. Laberii Mimi Prologus. Praecedit Historia poëseos mimicae apud Romanos. Scr. *Frid. Liebegott Becher* (Scholae Cottbus. Rect.) 1787.

Plotini de rerum principio Enn. III. Lib. VIII. Cap. 8 — 10. animaduerss. illustr. *Fr. Christi. Grimm.* 1788. 8.

Euripidis ingenium ad Aristot. Poët. c. 13. §. 4. breuiter adumbratum scr. *Joh. Frid. Haberfeld* (nunc V. D. Min.) 1789.

De dramate Graecorum Comico-Satyrico, inprimis de Sosithei Lytiersa. Scr. *Henr. Car. Abr. Eichstädt* (nunc Prof. Ien.) 1793. 8.

De Aeschyli Persis Diatribe — Scr. *Car. Gf. Siebelis* (nunc Scholae Ciz. Conr.) 1794.

De Alcestide Euripidea, scr. *Gottlob Wagner*, 1797. 8. (qui V. D. proximo anno ipsam hanc fabulam Eur. commentario, cuius particulas praelegerat, ornatam edidit).

Ex aliis amicorum Commentatt., quas in consessu nostro examinatas, varia opportunitate oblata ediderunt Sonntagius, Ilgenius, Augustius et alii, una, quae minus videtur innotuisse, memoranda est:

I. C. Hüttner (postea Sinensis itineris quod Macartnius et Stauntonus susceperant, comitis) Comm. de mythis Platonis 1788.

Nomina eorum, qui nunc his exercitationibus occupantur, sunt:

M. *Adolphus Langius*, Thuringus
M. *Theophilus Kiesslingius*, Lusatus
Car. Christian. Iahnius, Plaviensis
M. *Aug. Gotthilf Gernhardus*, Numburg.
M. *Henr. Aug. Schottus*, Lipsiensis
Vitus Theoph. Scheu, Francus
Car. Gottlob. Aug. Erfurtius, Zörbicensis
Conr. Beni. Meissnerus, Variscus.

III.

Ex *Christi. Aug. Schwarzii* Conr. Gymn. Gorlic. Comm. de duplici plantarum genere, primum in loco *Herodoti I*, 193. reperto [1]).

Linnaeo, ut plantarum sexum duplicem accuratius discerneret, indeque repeteret earum novam descriptionem, *Sebastiani Valentis* (Vaillant) Oratio de structura plantarum Lugd. Bat. 1718. 4. edita, persuasisse videtur. Sed iam antea *Ioachim. Iongius* (Rect. Gymn. Hamburg. mort. 1657. cuius Linnaeus mentionem non fecit [2]) et *Rud. Iac. Camerarius* [3]) Prof. Tubing. mort. 1721.) aliique, et omnibus antiquior, Plinius [4]) de utroque arborum, inprimis palmarum, et herbarum sexu exposuerunt. Fuerunt, qui eius rei vestigia in Iobi XV, 33. sibi reperisse viderentur [5]). Sed multo certior est Herodoti locus, quem vernacula lingua ita

1) *Ueber die wahrscheinlich älteste Stelle in den griech. Schriftstellern von dem doppelten Geschlechte der Pflanzen* beim Herodot. I. B. 193. Kap. vom Konrektor *Schwarz* zu Görlitz, in der Neuen Lausizischen Monatsschrift, Iul. 1800. p. 26—47.

2) De nuptiis plantarum in Amoenitt. acadd. I. p. 61 ss. add. *Willdenow* Grundrifs der Kräuterkunde, p. 408.

3) De sexu plantarum, Tub. 1695. 12. Rud. Iac. Camerarii Opuscula botanici argumenti edidit *Minkan*, Pragae 1797.

4) Hist. Nat. XIII. c. 4. s. sect. 7.

5) *Sander* Oekonom. Naturz. für den deutschen Landmann etc. III, p. 136.

ita reddit auctor [6]): *In der ganzen Ebne stehen Dattelpalmen: die meisten derselben tragen Früchte, aus welchen die Einwohner Speise, Wein und Honig bereiten. Diese behandeln sie übrigens wie wir* (Griechen) *die Feigenbäume. Sie binden die Frucht derjenigen Art, welche die Griechen männliche Palmen nennen, an die Datteln tragenden Palmen, damit die Wespe Psen* (ὁ ψὴν) *in die Dattel derselben krieche, sie zur Reife bringe, und so die Frucht der Palme nicht abfalle. Denn es enthalten die männlichen Bäume in ihrer Frucht-Wespen* (ψῆνας) *wie die wilden Feigen* (ὄλυνθοι). Quae Herodotus de artificiosa fecundandi ratione, graecis ἐρινεασμὸς, lat. *caprificatio*, dicta narrat, ea aliis, ut Wesselingio et Larchero vera videntur, a Schwarzio p. 36. ss. impugnantur. Etenim Ammian. Marc. (Hist. XXIV, 3. T. II. p. 13. ed. Bip.) de palmarum maritatione copiose exponit, ita ut nullam faciat mentionem animalculi, cuius ope fecundetur palma feminea [7]), atque 700. annis ante eum Theophrastus (Hist. plant. II. 9. extr. de caus. pl. II, 13. III, 23. p. 287. Heins.) quem Plinius et Salmasius (ad Solin. p. 938.) sequuntur, meliora de pulvere (semine) virilis palmae docuerant. Quae quidem etiam uberius et subtilius declarata sunt a recentioribus, Prosp. Alpino, Ottero, Hasselquistio, et Kämpfero (Amoen.

---

6) Praeter *Larcheri* vers. francogall. Herod., duplex prodiit germanica eius interpretatio, altera *Degenii* (6. voll. 8.) altera nuper coepta, *Maxim. Iacobii.*

7) In not. Schwarz. contulit et explicuit loca Gellii N. A. III. 9. ubi *Spadix*, et Theophr. Hist. Plant. II. 9. 30. de causs. plant. I, 24. p. 227. ubi σπάθη palmarum legitur. (Die grosse Blumenscheide der Palme, welche in einem traubenförmigen Büschel ist, und mehrere tausend Blüthen einschliesst.)

exot. p. 706.) qui spadices virilis palmae avelli atque cum muliebri coniungi, ita ut haec semine illius oblinatur, auctores sunt. Psen autem Cynips ad ficus unice pertinet, in quibus et fecundandis et maturandis eius ope usi sunt cum veteres tum recentiores. v. Aristot. H. An. V, 32. ubi in ed. Bas. (1550.) p. 481. perperam ψῆρας legitur pro ψῆνας, Theophr. Hist. Plant. II, 9. 37. ss. de causs. pl. II, 12. s. Plin. H. N. XV, 19, 21. Palladius IV, 10. et Tournefortius (Reisen nach der Levante T. II. vers. vern. Norib. 1777. p. 32. ss.). Et errorem quidem Herodoti exortum ita esse Schwarzius existimat (p. 45. ss.): vidisse eum spadicem s. termitem virilis palmae alligatum femineae; perperam in illo non flores modo sed fructus etiam inesse existimasse; forte tum plures psenas s. cynipes circumvolitasse; hinc in mentem ei venisse fecundationis caricarum in patria usitatae, atque inde conclusisse, idem fieri in dactylis. Et similitudinem quidem esse quandam etiam Theophr. de causs. plant. II, 13. p. 248. animaduertit, qui quidem et illo loco, et Hist. plant. II, 9. p. 38. fin. Herodotum corrigere videtur voluisse,

IV.

Prolusione Deum ex machina in re scenica veterum illustrante Oratt. nov. juvv. indicit *Car. Aug. Böttiger.* Oct. MDCCC. XVIII. pagg. 4.

Ex uberrimo hoc atque doctissimo libello, quae grauissima insunt, ipsis verbis cel. auctoris exponemus. Ad disputationem de usu machinae scenicae V. D. excitatus est loco Aesch. Eumenid. 400. seqq. (395 Herm.) cuius dura et inusitata dictione *ῥοιβδεῖν κόλπον* offensus propius ad Ald. lect. *ῥοιδοῦσα*, legendum esse putat (in not. p. IV): *πτερῶν ἄτερ τ' οἰδοῦσα κόλπον αἰγίδος*, tumore inflans sinum aegidis. Scilic. neutralis signif. verbi *οἰδεῖν* cum activ. permutata non abhorret ab Aeschyli studio formarum antiquarum, neque insolentem esse usum verbi *οἰδεῖν* pro *οἰδάνειν*, testatur Valken. ad Herod. III. p. 261, 63. Non potuerunt ab alto demitti Dii in theatris antiquae Graeciae et Italiae. Sub dio enim erant pulpita et scenarum structurae et sedes spectatorum, ad quos adversus solem defendendos expansa sero vela fuisse constat vel ex Ovidio et Propertio. vid. VV. DD. ad Propert. III, 16, 13. Iuven. IV, 123. Funium igitur demissionibus et deductionibus non erat locus. Ut Dii et heroes in sublimi apparerent, Graeci uti non potuerunt sero demum apud Romanos in scena adhibitis pegmatibus, quae [vid. not. p. VII] e Poliorceticis veterum repetenda, in triumpho plebi spectanda circumlata [vid. Ioseph. de Bell. Iud. VII, 17.

et Buonarotius Osservazione sopra alcuni medaglioni T. IX, 1. p. 151 seq], deinde in pompas sacras translata [Plin. XXXIII. 3, s. 16] in theatris etiam usurpari coeperunt diverso modo [Apulei. Metam. X, p. 202. 31 seq. ed. Pricaei], quorumque artificium [vid. Senec. ep. 88. p. 387 ed. Paris.] in eo ponebatur, ut, ubi impositi erant Dii et heroes, et, cum pantomimis unice delectarentur Romani, citharoedi etiam et tibicines, mimorum saltationibus accinentes, (Phaedr. V, 7) plicatiles hae et confixiles machinae, quae paulatim in tantum fastigium excreverant, incredibili celeritate dissolverentur in alias subinde formas transeuntes (*raptare pegma*). Una igitur relicta fuit via. Quod in inferiore scenarum contignatione apte excogitatum fuerat, ut scenae essent versatiles et ductiles, i. e. ut machinis quibusdam circumactae vel reductae dehiscerent, et quae in postsceniis fuerant, spectatorum oculis subito exponerent, idem in superiore parte earumdem tabularum, quibus scenae compositae fuerunt, fieri debuit. Antiquissima ratio fuit [vid. not. p. VII], ut patentibus repente valvis aedium, vel reductis omnino tabulis, in quibus aedificiorum externa facies depicta erat, ea quae spectatorum oculis ex adytis templorum vel aedium penetralibus subiicienda essent [ut initio Eumenid. Aesch. Pythia, et nova deinde scena oblata] non aulaeis, quae tum exulabant a theatris Graecorum, sed machinatione (ἐκκύκλημα) provolverentur, [ἐκκυκλεῖν, quod ubique refingendum pro ἐγκυκλεῖν, vid. Casaubon. ad Athen. VIII, 13, p. 628] aut revolverentur, [εἰσκυκλεῖν, vid. Pollux IV, 128, ad cuius explicationem ἐκκυκλήματος intelligendam, observandum est, aedificii in fronte et a lateribus cuiuslibet portam, πάροδον, mansisse, cum ornamenta alia, ut portus, speluncae etc. ostenderentur [vid. not. p. IX] machinatione rotatili [μηχάνημα ὑπότροχον, Eu-

stath. Iliad. p. 964, 9. τρόχους ἔχον, Suidas T. I. p. 673) aut sublicis teretibus [ἐξώστρα quod nihil differt ab ἐκκύκλημα Pollux IV, 129] trusatilibus aut rotatilibus, et deinde faciliori modo scenarum ductilium et versatilium [Serv. ad Virg. III. Georg. 24.] circumactionibus [περιακτοῦς Pollux IV, 126. et Rodius in vers. Vitruv. T. I. p. 244]. Quandocunque in sublimi aliquid erat ostendendum, tabulata, quibus superior scenarum ad aedificiorum similitudinem compositarum contignatio coagmentata erat, subito diducta, spectatorum oculis subito exponebantur Dii personati, qui in postsceniis asseribus et tignis constrata machina firmiter niterentur, ut in aëre suspensi sine alarum praesidio. [Congruunt Pollux IV, 128. ubi legendum κεῖται κατὰ τὴν ἀριστερὰν πάροδον, ὑπὲρ τὴν σκηνὴν πρὸς ὕψος, non τὸ ὕψος, Suidas s. v. ἀπὸ μηχανῆς T. I. p. 286, e quo emendanda sunt Scholia graeca ad Lucian. pro Merced. Cond. c. 1. Plura tradunt scholia ad Luc. Philops. c. 23. ex quo loco etsi corrupto apparet tamen, in utroque scenae latere eiusmodi machinam conspectam fuisse [ἀνεῴγεσαν]. Multiplex huius machinae fuit usus cum in adventitiis personis, quae e machina in proscenium descenderent [ut Minerva in Eumenid. et Oceanitides in Prometh. v.] funibus per cochleas tractis; tum remeantibus currus iisdem funibus sed inverso motu potuit retrahi [Eurip. Medea 1321 seq. vid. Dan. Heins. de tragoed. constit. c. 12. p. 96—102. Alia loca ut Platon. Cratyl. c. 56. p. 75. Fisch. Plutarch. in vita Themistocl. c. 10. Aristotel. Metaph. I, 4. docent, formulas illas veteribus frequentatas ἕλκειν, αἴρειν θεοὺς, ubi de repentino adventu aut fuga sermo est, hac ratione illustrari posse]. Sed evolare etiam debebant et in aëre diutius commorari [Pollux, ut Belleroph. Eurip. et Sophocl. Andromache] nec facile, nisi funibus a tergo ab altioribus quibus-

dam vel moenium pinnaculis et fastigiis vel rupium promontoriis eminentibus [vid. Pollux IV, 129. nam praeter pictas tabellas, καταβλήματα, turres et speculae ibidem exhibebantur, vid. not. p. XII] utrimque aptis. Quam rem testantur Pollux IV, 129. κράδην esse i. q. μηχανὴν, Scholia ad Aristoph. Pac. 626. ubi vid. Flor. Christ. p. 172. ed. Kuster. Ex Append. Proverb. Vatic. Cent. II, 20. s. v. κράδης ῥαγείσης, κράδη proprie est ansula, qua suspensi tenebantur histriones volantes. Verba Graeca notatu dignissima: κράδη — ἡ ἄγκυρα [refingendum haud dubie ex Hesychio T. II, c. 336, 23 ἀγγυρὶς seu ἀγκυρὶς, quod patet e Zenobii loco, quem laudavit H. Steph.] ἀφ' ἧς οἱ ὑποκριταὶ ἐν ταῖς τραγικαῖς μηχαναῖς ἐξαρτῶνται θεοῦ μιμούμενοι ἐπιφάνειαν ζωστῆρσι καὶ ταινίαις κατειλημμένην. Ultimum vocab. scribendum κατειλημμένοι. In Aristoph. Pace exemplo sit Trygaeus scarabaeo invectus in aërem, vid. Pollux IV, 131 qui αἰώρας vocari docet funes ad sustinendos heroas. Totus apparatus μάγγανον vocabatur; vid. Bulenger. de Theatro I, 22. p. 878. et du Cangius in Gloss. Ling. Graec. sub hoc vocab. Inferorum etiam supplicia interdum in eiusmodi machinis spectatorum oculis obiecta esse patet in Diodor. XIV, 112. p. 726. Mus. Pio Clement. Vol. V. T. 19.

Sic Oceanus gryphibus vectus in Aeschyli Prometheo V. vel Hercules in Philoct. apud Sophocl. funibus montium iugo et Minerva in Ione Eurip. templorum pinnaculis aptis sustentari potuerunt. vid. Ion. 1548. In Thesmophoriazusis provoluitur Agathon, ut in Acharnens. Euripidis ex interioribus aedium cubiculis, ἐκκυκλήματι, in quo proprie solium rotatili seu transitili machina promovebatur [teste Polluce IV, 128. et monumentis quae poëtas dramaticos solio insidentes exhibent. vid. Winkelmanni Monumenti inedit. n. 168.

Menandri et Posidippi statuas in Museo Pio Clementino III, 15, 16.] In Nubibus Aristoph. ubi in scholiis ad v. 300 legendum est παρεκκύκλημα pro παρεγκύκλημα, e machina loquitur Socrates et Nubes descendunt v. 322. Scilicet post aediculas Socratis et Strepsiadis prominent altiores fabricae ad similitudinem quamdam montium deformatae, unde funium, quorum ope sublevatae Nubes prodeambularent, suspensura et continuatio. In Avibus in superiore aëris tractu peragitur Θεολογεῖον. Ab hac scenici apparatus parte crebras duxerunt auctores veteres metaphoras, imagines et loquendi formulas, ad quarum sensum interiorem explorandum machinae istius investigatione opus est. Didicerunt Tragici ab Homero deorum ministeria fabulis suis interponere. Posterioris aevi poëtae Epici multa repetierunt a Tragg. in adornanda Deorum praesentia. In singulis poëtarum locis huc respicitur, ut Pind. Pyth. VIII, 45. comp. cum Nem. VIII, 52. Olymp. IX, 120. Euripid. Rhes. 886 seq. occur. ἅρματα χαρίτων de quibus Hemsterh. ad Luc. Somm. c. 15. T. I. p. 20. Pulcherrimum est praeceptum Demetrii de Elocutione c. 232 p. 92 Schneid. ubi de machina scenica cogitasse scriptorem confirmat loc. Platon. in Clitophone, T. IX. p. 277 Bipont. verba ὥςπερ ἐπὶ μηχανῆς τραγικῆς θεὸς vid. Wyttenbach. in Biblioth. Crit. Vol. III. P. 1. p. 42. In priscae artis monumentis multa reperiuntur, quae ad speciem illius machinae sunt exigenda. vid. Griech. Vasengemälde, P. II. p. 220 seqq.

Pag. XIV Böttig. singula, inquit, accuratius exquirere nunc nec vacat, neç operae est. Repetamus alio tempore pensum, quod nunc temporis et scriptionis angustiis praeclusi, absolvere non possumus.

V.

Frid. Guil. Sturzii Prof. Gymn. Gerani Animaduersionum in Empedoclis carmina specimen I.

Cum ego iam per aliquot annos, quicquid horarum subseciuarum mihi contigisset, colligendis locis veterum insumserim, quibus vel placita Empedoclis memorarentur illustrarenturve, vel ipsa eius verba afferrentur aut ad illa respiceretur, quo plena et numeris pene omnibus absoluta collectio existeret, qua deinde alii viri docti commode vti suo modo possent; cumque in his reliquiis partim emendandis et illustrandis, partim componendis et apte iungendis, in tot tantasque difficultates inciderim, vt sperari vix posset, me ante aliquot annos labore isto defunctum esse: commode mihi a *Beckio*, Viro Excellentissimo, fuit occasio data, viris eruditis ostendendi, me non abusum esse otio, aut consilium de restituendo, quantum posset, Empedocle abiecisse, et nonnulla, quae dubia mihi vel propemodum inextricabilia viderentur, proponendi. Ita enim sperabam, fore, vt, aliis quoque quid sentirent ostendentibus, loci corrupti tandem pristinae formae vel prorsus restituerentur, vel proxime accederent.

Primus ex hoc genere locus extat apud *M. Antoninum* 1), qui dicit fere haec: „Bene tibi per reli-

1) de se ipso ad se ipsum 12, 3.

„quam vitam erit, si τὸ ἡγεμονικὸν (quam nostra„tes rationem practicam vocauerint) purum conser„naueris, et cupiditates ab eo remoueris, curisque „illud omnibus liberaueris, atque te ipsum feceris ta„lem, οἷος ὁ Ἐμπεδόκλειος

„σφαῖρος κυκλοτερὴς κονῇ περιήθεϊ γαίων."

Vbi facile patet, *Antoninum* sibi voluisse hoc: „*si te* „*feceris* ἀπαθῆ." Primo enim quicquid rotundum est idemque laeue, v. c. globus marmoreus, potest symbolum esse laeuitatis, quae nihil omnino recipiat in sese, sed faciat, vt omnia, quae globo admoueantur, defluant delabanturque. Quae quidem facile applicari ad hominem possunt, cuius animus ita sit constans, vt nullas cupiditates prauas habeat, nullasque nasci patiatur, vel natas certe protinus reprimat. Declarat hoc ipse *Antoninus* alio loco [2]: τὰ τοῦ νοῦ ἴδια οὐδεὶς ἄλλος εἴωθεν ἐμποδίζειν· τούτου γὰρ οὐ πῦρ, οὐ σίδηρος, οὐ τύραννος, οὐ βλασφημία, οὐχ ὁτιοῦν ἅπτεται· ὅταν γένηται σφαῖρος, κυκλοτερὴς μένει. Et rursus [3]: σφαῖρα ψυχῆς αὐτοειδὴς, ὅταν μήτε ἐκτείνηται ἐπί τι, μήτε ἔσω συντρέχῃ etc. Simili metaphora *Simonides* aliique virum bonum vocarunt τετράγωνον [4]. Deinde videntur *Horatius* [5] et *Pseudo-Virgilius* [6] ad hunc Empedoclis versum respicere. Ille quidem his verbis:

---

2) ibid. 8, 41.
3) ibid. 11, 12.
4) quam metaphoram egregie explicant *Ludou. Caelius Rhodiginus* lectt. antiq. 18, 14. et Amicus doctissimus *Fr. Ioseph. Grulich* in commentatione, quae inscripta est: Ἀνὴρ τετράγωνος qualis fuerit apud Graecos, Neostadii ad Orilam 1792. 4.
5) 2, sat. 7, 83—88.
6) in carmine de viro bono v. 5. sq.

Quisnam igitur liber? Sapiens, sibi qui imperiosus,
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent,
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, et in se ipso totus teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per laeue morari,
In quem manca ruit semper fortuna. —

Virgilius autem, si diis placet, sic:

Securus, mundi instar habens, teres atque rotundus,
Externae ne quid labis per laeuia sidat.

Iam haec ipsa verba, *mundi instar habens*, docere videntur, in versu Empedocleo legendum esse σφαῖρ ὡς pro σφαῖρος, vt iam *Gatakerus* coniecerat, qui tamen etiam tentauit σφαιρὸς, h. e. σφαιρόεις. Sed praetulerim ego tamen lectionem σφαῖρος ob verba ipsius *Antonini* paulo ante ad n. 2. allata, vt alia argumenta taceam. Verum quilibet videt, in his nullam admodum esse difficultatem.

Multo difficilior est altera pars versus Empedoclei, de qua quid apud *Antoninum* quidem statuendum sibi videri per literas mihi ante quinque fere annos significauerit vir doctissimus et mihi amicissimus, *Christophorus Gotthelf Gersdorf*, sacrorum minister apud Tautendorfienses in agro Vidensi, ante omnia dicendum est, quoniam nihil apud alios reperi, quod loco *Antonini* esset aptius. Scilicet primo ille tentauit κονίῃ περιήθεϊ γαίων, et ne quis hac emendatione violari metri leges opinaretur, laudauit locos Homericos Il. γ, 55. ρ, 457. ψ, 26. vbi nominis κονίῃ media syllaba corripitur. Iam si nomine περιήθης, ad formam nominis συνήθης, significetur *valde con-*

suetus vel *valde familiaris*, et si γαίων idem sit quod χαίρων in loco *Stobaei* paulo post laudando, enasci putat hunc sensum: '*puluere* (corpore quod e puluere ortum est) *consueto* (semper nos circumdante) *laetus et contentus*, h. e. non plura aut meliora aut celsiora appetens, liber a cupiditatibus, securus. Et egregie haec explicatio videtur conspirare non modo cum versibus poëtarum Latinorum supra allatis, verum etiam cum his verbis *Antonini* [7]) μέμνησο, ὅτι ἀκαταμάχητον γίνεται τὸ ἡγεμονικὸν, ὅταν εἰς ἑαυτὸ συστραφὲν (nempe vt σφαῖρος κυκλοτερὴς) ἀρκεσθῇ ἑαυτῷ. Ita verba σφαῖρος κυκλ. declarauerint animi tranquillitatem, quatenus nulla re externa turbatur, sed verba κονίῃ περιήθ. γ. et *securus*, *fortis responsare cupidinibus*, quatenus intrinsecus omnia bene composita seruat. Si quis tamen adiectiuum περιήθης Graece dici negauerit, habet idem vir doctus, quod reponat: κονίῃ περὶ στήθεϊ γαίων [8]), h. e. *glorians et exultans certamine cum cupiditatibus suis* [9]), vel κονιεὶς περ, κύδεϊ γαίων, vbi fortassis κονιεὶς explicatum ab aliquo fuerit verbis μιγεὶς ἐν κονίῃσι, quamuis itidem sensu metaphorico, et inde corruptum illud μιμίης natum in *Stobaeo*, cuius locus paulo post afferendus.

Mihi quidem, si ex his coniecturis, quaenam eligenda videatur, dicendum sit, vnice placere profiteor, vt apud *Antoninum* legatur sic:

σφαῖρος κυκλοτερὴς, κονίῃ περιήθεϊ γαίων.

Nam I) σφαῖρος malo, quam σφαῖρ᾽ ὡς, quoniam Empedocles cum constantia quadam dicitur delectatus

---

7) de se ipso ad se ipsum 8, 48.

8) ut ap. *Homer*. Il. Ψ, 365. ὑπὸ στέρνοισι κονίη.

9) Sic fere legisse vel coniecisse videtur *Canterus* apud *Stobaeum*. Vertit enim *magno sub pectore gaudens*.

esse genere masculino [10]) pro feminino: id quod praeter alia, quae hic e syntagmate meo repetere nolebam, docet locus *Eustathii* [11]): παρὰ τὴν σφαῖραν, ἡ παρώνυμον ὁ Ἐμπεδόκλειος σφαῖρος· et quoniam in loco *Antonini* praecedit ὁ Ἐμπεδόκλειος. II) Forma adiectiui περιήθης, quam alias inusitatam esse constat, neminem, opinor, offendet, qui Empedoclem sciat etiam aliis nominibus compositis, inprimis adiectiuis, gaudere, quae in nullius scriptoris Graeci libris reperias, vt ἐμπεδόκαρπος, μελάγκαρπος, qualia multa in mea reliquiarum carminis Empedoclei collectione extant. III) Si legas κονίῃ περιήθεϊ, metaphora multo verior est et constantior, atque adeo elegantior. In globo enim rotundo, etiamsi vel maxime laeui, nihil tamen impedire potest, quin haereat puluis, cum caetera omnia difficulter inhaerescant. Puluis igitur recte dici potest περιήθης. IV) Participium γαίων haud dubie accipi pro χαίρων potest. Nam *Hesychius* illud explicat participio γαυριῶν, sed γαυριῶν interpretatur verbis χαίρων et ἀγαλλόμενος. Et *Phauorinus* habet haec: γαίων· ἱλαρὸς, γαυριῶν, τερπόμενος. — γαίεσκον δὲ, ἔχαιρον. V) Omnium minime recedit haec emendatio a lectione vulgo recepta. VI) Non id agit *Antoninus*, vt de physicis Empedoclis placitis exponat, sed videtur solo nomine globi rotundi motus esse, vt versum istum ad suam Stoicorum doctrinam accommodaret, atque adeo quaedam in eo immutasse.

Non vero ita, vt apud *Antoninum* legi posse dixi,

---

10) quin etiam neutro. *Simplicius* enim ad *Aristot.* phys. 8, fol. 258. a. καὶ οὐδετέρως ποτὲ καλεῖ, inquit, σφαῖρον ἔην.

11) ad *Homer.* Odyss. ζ, p. 1554, 2. ed. Rom.

scripsisse putabam ipsum Empedoclem, cuius verba quin corrupta ad nos peruenerint, dubitari nequit. *Achilles Tatius* [12]) a nonnullis dicit mundum quoad figuram comparatum fuisse cum ouo, rectius vero cum globo comparari, κατὰ τὸν Ἐμπεδοκλέα, ὅς ἔφη οὕτως·

σφαῖρος κυκλοτερὴς, μούνῃ περιηγέϊ χαίρων.

Iosephus Scaliger in notis editioni *Achillis* Iuntinae (Florent. 1567. fol.) adscriptis p. 86. legit δίνῃ pro μούνῃ. Sed idem *Scaliger* p. 116. [13]) vbi haec leguntur: καθὸ καὶ ὁ Ἀσκραῖός φησι·

σφαίρας κυκλοτερεῖ μανίᾳ περιηγέϊ χαίρων,

legi iubet κ. κ. ὁ Ἀκραγαντῖνός φησι· σφαίρου etc. et in vltima exempli Florentini pagina scripsit haec: „p. 116.

„σφαίρου κυκλοτερεῖ μανίᾳ περιηγέϊ χαίρων.

„Citat ex *Hesiodo*; puto ex *Onomacrito*." *Petauius* in altero loco coniicit μονίᾳ pro μανίᾳ.

Stobaeus [14]) tribuit hos versus *Parmenidi*:

ἀλλ' ὅγε πάντοθεν ἶσος καὶ πάμπαν ἀπείρων
σφαῖρος, κυκλοτερῆς μιμίης περιτείθῃ χαίρων.

Grotius haec emendauit sic:

ἀλλ' ὅγε π. ἶσος ἐὼν καὶ π. ἀπ.
σφαίρῃς κυκλοτεροῦς μιμήματ' ὑπέρτατα χαίρων,

vt vltima verba significent: *quod ipsi maxime placet forma sphaerica.* Cel. *Heeren* hanc emendationem

---

12) introduct. in *Arati* phaenomena c. 6. in *Petauii* Uranologio p. 130. C. ed. Paris. 1630. siue p. 77. ed. Antuerp. 1703. fol.

13) ed. *Petav.* Paris. p. 169. ed. Antuerp. p. 96. Petii autem *Scaligeri* notas e Cel. *Villoisoni* epistolis Vinariensibus, Turici 1783. 4. editis, p. 78.

14) eclog. phys. c. 16. T. I. ed. *Heeren.* Gotting. 1792. 8. p. 354

illustrat verbis *Cleanthis* (hymn. in Iov. v. 4), vbi mortales dicuntur ἰῆς μίμημα λαχόντες, *Echo similes*. Non satis apte, opinor. *Salmasius* [15]) priorem versum itidem sanauit interposito participio ἐὼν, sed alterum ita legi iubet:

σφαῖρος κυκλοτερὴς, δίνῃ περιηγέϊ γαίων.

et vocabulum περιηγὴς explicat nomine *rotundus*. Vnice probatur emendatio ista *Heerenio*, nisi quod ipse pro σφαῖρος, quippe quod corruptum putat, legit σφαῖρ' ὥς, et poëticum illud γαίων, quod quid esse possit, non assequitur, mutat in prosaicum χαίρων. Salmasianam vero, vel potius Scaligeranam, lectionem δίνῃ defendit eo, quod Parmenides δίνην, *vorticem*, vim productricem vniuersi posuerit, et verba δίνῃ περιηγ. χαίρων monet intelligenda esse de motu circulari, quo omnia feruntur. Denique cum nomen σφαῖρος concoquere non potuerit, et tamen in priore versu viderit masculinum esse ὅ γε, expedire se ita conatur, vt istud ὅ γε, qui reuera est articulus, ad nomen σφαῖρος referendus, pertinere opinetur ad omissum nomen κόσμος. Crisin istam Heerenianam per omnia sequitur *Georgius Gustauus Fülleborn* in fragmentorum Parmenidis collectione [16]), nisi quod ad articulum ὅ γε supplendum putat ὁ οὐρανός.

Ego vero, me prorsus non delectari hac crisi, ingenue fateor. Cum enim non nisi ex vno alteroue vnius eiusdemque scriptoris veteris codice pendere video iudicium de auctore libri alicuius carminisue antiqui, equidem semper suspicari soleo, valde lu-

---

15) exercitatt. Plinian. ad *Solinum* p. 68. E. ed. Trai. ad Rhen. 1689. fol.

16) quae separatim prodiit Züllichau. 1795. 8.

bricum illud et incertum esse, atque ideo diligenter quaero, an non alia reperiri certiora argumenta et indicia possint, quae, quis vere auctor fuerit, manifesto declarent. Et ab *Heerenio* quidem, vtpote pluribus plurium veterum philosophorum fragmentis districto, non semper hoc fieri potuisse facile largior: sed *Füllebornio*, qui id agebat, vt carmina Parmenidis, non aliorum, restitueret, diligentius quaerendum fuisse contendo. *Salmasius* enim, oceanus ille eruditionis, iam diserte dixerat, versus illos, de quibus agitur, ab aliis tribui Empedocli. Vidimus vero etiam, eosdem *Hesiodo* vel *Onomacrito* adscribi. Iam cum *Stobaeus* ita nude hos versus posuerit, vt prorsus non appareat, quomodo illi cohaeserint cum reliquis siue Empedoclis siue Parmenidis decretis; cum plures sint, qui eos Empedoclis esse dicant; cum σφαῖρος Ἐμπεδόκλειος valde celebratus inter veteres fuerit, non σφαῖρα, Parmenides autem nomine σφαῖρος non usus esse reperiatur: non dubitabam, Empedoclem agnoscere versuum auctorem, quamquam non ignorabam, philosophum Agrigentinum dici posse eos debere Parmenidi, quippe qui a nonnullis fertur illius magister fuisse [17]). Quae traditio, quam incerta sit, exponere hic quidem non licet. Hactenus de auctore. Videamus iam, quid de emendatione a viris doctis tentata statuendum sit. Et de priore quidem versu prorsus assentiendum putabam *Grotio* ac *Salmasio*, de altero autem vlterius quaerendum. Salmasianum illud δίνῃ videtur commendari per haec verba *Antonini*: ὅσα ἡ ἔξωθεν περιῤῥέουσα δίνη ἑλίσσει, quae paulo ante,

17) v. c. a *Theophrasto* ap. *Diogenem Laertium* 8, 55. et *Eudociam* in Violario p. 169. Vol. I. anecdotorum Graecorum *Villoisoni*, Venet. 1781. 4. a *Simplicio* ad *Aristot.* phys. 1, fol. 6. b. ed. Venet. 1526. fol. et a *Suida* in v. Ἐμπεδοκλῆς.

quam versum Empedocleum laudaret, posuit. Et possit illa correctio etiam cum Empedoclis placitis conciliari. Nam terram et reliqua omnia circumagi dicebat ab aethere, id quod docet hic eius versus a *Clemente Alexandrino* [18] seruatus:

Τιτὰν, ἠδ' αἰθὴρ, σφίγγων περὶ κύκλον ἅπαντα.

Commendari idem δίνῃ potest per hunc *Simplicii* [19] locum, vbi postquam dixit, ex Empedoclis mente non hunc mundum, qui sensibus percipitur, per Amicitiam factum esse, adiicit haec: ἀλλ' ὁ νοητὸς γέγονεν, ὁ σφαῖρος κυκλικὸς, μόνῃ τῇ περιφορᾷ τῶν γαιῶν καὶ τῇ ἐν αὐτῷ ἑνώσει. E quo ipso loco possit quis etiam hanc lectionem elicere:

σφαῖρος κυκλοτερὴς δίνῃ περιηγέϊ γαιῶν,

h. e. *Sphaerus rotundus per circularem terrarum circumactionem*, nempe quasi laeuigatus ac tornatus. Putabam item aliquando, legendum sic esse:

σφαῖρος κυκλοτερὴς κοινῇ περιέστεφε γαῖαν,

quoniam *Phauorinus* in v. στέφω habet haec: περιστέφειν, ἐπὶ τοῦ κυκλοτεροῦς κόσμου. Possit etiam coniectura mea confirmari videri verbis *Eustathii* [20]: τὸ δὲ νεφέεσσι περιστέφει (h. e. auctore Scholiasta, περιλαμβάνει, περικαλύπτει) οὐρανὸν, σφαιροειδῆ αἰνίττεται εἶναι τὸν οὐρανόν. σφαῖραν γὰρ ποιεῖ περιελιχθεὶς ὁ κατὰ στέφανον κύκλος. Verum neque hae meae, neque aliorum emendationes supra relatae, satis mihi placuerunt. Imo veram lectionem latere putaui in scholio quodam ad *Aratum*, quod *Petro Victorio* prae-

---

18) stromm. 5, p. 570. A. ed. Colon. 1688. fol.
19) ad *Aristot.* de coelo 3, fol. 145. b. ed. Venet. 1526. fol.
20) ad *Homer.* Odyss. ε, 303. p. 1538, 46.

praeeunte etiam *Petavius* adiunxit *Achillis Tatii* introductioni in *Arati* phaenomena, et cuius partem iam supra attuli. Verba sunt [21]: στέφεται δὲ τὸ πᾶν αὐτὸ περὶ αὐτὸ ὁσημέραι καὶ ὧραι· καθὸ καὶ ὁ Ἀσκραῖός φησι,

σφαῖρας κυκλοτερεῖ μανίᾳ περιηγέϊ χαίρων.

σφαῖραν μὲν καλέσας τὴν σφαῖραν, ὡς καὶ Ὅμηρος ἑσπέριον τὴν ἑσπέραν. καὶ κυκλοτερῆ δὲ, διὰ τὸ σφαιροειδές. μανίαν δὲ περιηγέα, τῆς στροφῆς τὴν μονήν. Vbi primo ipsius scholiastae verba sic videbantur corrigenda: στρέφεται δὲ τ. π. αὐτὸ περὶ αὐτὸ ὅσαι ἡμέραι [22]) καὶ ὧραι· καθὸ κ. ὁ Ἀκραγαντῖνός φ. — σφαῖρον μὲν καλ. τὴν σφαῖραν, ὡς κ. Ὅμ. ἕσπερον [23]) τὴν ἑσπέραν. — μονίαν δὲ etc. Apparet igitur, scholiasten ita legisse versum Empedoclis:

σφαῖρος κυκλοτερὴς μονίᾳ περιηγέϊ χαίρων.

Neque dubito, quin Empedocles scripserit:

σφαῖρος, κυκλοτερὴς, μονίῃ περιηγέϊ γαίων (vel χαίρων).

Et verto fere ad verbum: *Sphaerus, rotundus, constantia* siue *perseuerantia circulari gaudens*, h. e. perpetuo se in orbem vertens. Cui emendationi et explicationi vnum est, si quid video, quod possit obstare, nomen μονίη, quippe quod in nullo antiqui alicuius scriptoris libro reperitur. Sed iam supra vidimus, Empedoclem delectari multis nominibus nouo modo formatis, et nomen μονίη aeque recte formari potuit a

---

21) ed. *Petav.* Paris. p. 169. et ed. Antuerp. p. 96.

22) Ita enim magis conuenit cum sequenti ὧραι, et bene dicitur ὅσαι ἡμέραι pro ὁσημέραι. v. *Viger.* 3, 9. extr. ibique *Hoogeveen.*

23) v. *Homer.* Odyss. α, 422. ibique Schol. et *Eustath.* p. 1427, 18.

perfecto μέμονα, ac λογία a λέλογα, λοχία a λέλοχα, πορία a πέπορα et sic porro. Mediam autem nominis μονίῃ syllabam recte corripi, quilibet largietur, qui vel *Doruillium* legerit [24]). De ipso placito Empedocleo disserere, et, quomodo cum eo conciliari facile lectio a me proposita possit, ostendère, nimis hic longum sit. Apposui tamen vnius *Iohannis Philoponi* [25]) verba: ὁ Ἐμπεδοκλῆς — τὸν νοητὸν (κόσμον) σφαῖρον ἐκάλει διὰ τὸ πρὸς ἑαυτὸν ἐπεστράφθαι. Si quis tamen pro μονίῃ, malit rescribere μουνῇ, quod Ionice dictum sit pro μονῇ, is non me habebit admodum repugnantem, quia supra vidimus in *Achillis Tatii* loco esse μούνῃ, quod inepte *Petauius* vertit *sola*. Neque item refragabor, si quis apud *Antoninum* itidem praetulerit μονίῃ siue μουνῇ περιηγέϊ. In hac enim scriptione nihil spectaui aliud, nisi vt omnia, quae de corrupto Empedoclis loco dici posse viderentur, diligenter congererem, et quid viri me doctiores iudicaturi essent, hac ratione cognoscerem.

---

24) ad *Chariton.* 4, 5. p. 405. sq. ed. Amst. p. 446. sq. ed. Lips.

25) ad *Aristot.* phys. auscultt. 1. A. 10. (Paginarum enim numero caret editio Veneta 1535. fol.)

VI.

M. Henr. Augusti Schotti phil. Soc. Sodalis de locis quibusdam libri Dionysii Halicarnassensis de compositione verborum observata.

Dionysii Halicarnassensis scriptis, quibus vel ipse proposuit praecepta, quae ad artem oratoriam pertinerent, vel de oratorum veterum aliorumque scriptorum ingenio docte et acute iudicavit, perlegendis examinandisque quum nuper operam navarem: facile intellexi, quibusdam illorum librorum (inprimis arti rhetoricae et libro de compositione verborum) idem accidisse, quod monumentis litterarum graecarum latinarumque complurибus, diligentissima virorum doctorum cura et labore haud indignis, accidisse experientia docuit, ut interpretes in iis emendandis illustrandisque nollent ea uti ingenii sagacitate, ea doctrinae ubertate, quae quanta fuerit, aliorum librorum interpretatione significaverant. Etenim non possum non libere profiteri, ne nuperrimam quidem omnium Dionysii Halicarnassensis operum editionem a B. Reiskio institutam de his duobus libellis ab omni labe purgandis ita meruisse videri, ut aliis observationibus emendationibusque nullus esset locus relictus; quum eorum, qui ante ipsum librum de compositione verbb. 1) tractaverunt, adno-

C 2

1) Libri huius editionem diu a doctissimo quodam viro promissam cupide exspectavimus. *Ed.*

tationibus nonnisi paucas easque brevissimas addere ei placuerit, artem vero rhetoricam morte occupatus nullis potuerit illustrare. Haec mecum reputans, praesidiis aliis praeter ea, quae in editione Reiskiana observata reperi, destitutus in iis locis, quae vel emendationem desiderare, vel ab interpretibus minus recte coniecturis tentata fuisse intelligebam, ita mihi versandum putavi, ut ingenii exercendi causa de probabili ratione, qua illa emendari, haec defendi possent, ipse viderem. Quae ita meditanti coniicientique subinde a veritate non prorsus aliena visa fuerint, eorum partem liceat hac quidem mente proponere, ut de iis, in quibus ipse fuerim humanam ad errandum proclivitatem expertus, ab aliis meliora edocear.

I. De compositione verborum c. I. p. V. ex. (edit. Reisk. T. V.)

Expositis causis, cur iuvenibus praecipue pulcrae et elegantis elocutionis studium sit commendandum, addit Dionysius, se ideo consilium cepisse, librum de composit. verbb. conscribendi, conscriptumque Rufo Melitio illi (ad quem statim ab initio libelli sermonem convertit) mittendi. *Εἰς δη τουτο το μερος, ὅ δει πρωτον νεοις ἀσκεισθαι, συμβαλλομαι σοι μερος εἰς τον ἐρωτα, το περι συνθεσεως των ὀνοματων.* Sensus: ad hanc igitur partem artis rhetoricae studiose tractandam et excolendam (scil. quae de verborum ἐκλογῃ et συνθεσει agit; id enim sub vocab. μερος intelligendum esse, et quae proxime antecedunt, et similis locus c. IV, p. XXXI. „περι τουτο το μερος“ ostendunt) quae adolescentibus primum omnium est exercenda, confero tibi aliquid (nam alterum μερος est i. q. simpl. τι) ad amorem huius rei excitandum alendumque, scil. hunc de com-

posit. verb. libellum. Ea ratione quamquam sensus non omnino incommodus extricatur, sunt tamen plura, quae vehementer displiceant. Primum enim vix erit, quem non ingrata illa substantivi μερος et praepositionis εἰς repetitio offendat, quae nullo modo defendi eo potest, quod scriptorem in duplici vocab. μερος significatione lusisse dicamus (quis enim est, quin sponte sentiat, hunc admodum frigidum esse lusum verborum et a re alienissimum?). Hinc Uptonus alterum μερος ante verba εἰς τον ἐρωτα delendum censuit. At ne sic quidem multum concinnior prodibit enunciatio. Non enim intelligitur, cur sententiam, quae verbis εἰς δη τουτο το μερος inest, post verba συμβαλλομαι σοι repetat, dum dicit εἰς τον ἐρωτα; Putaveram quidem, haec posteriora ita posse explicari, ut non ad amorem et studium illius artis rhetoricae partis, sed ad iuvenis illius erga scriptorem benevolentiam referantur: confero tibi munusculum, quo tuus erga me amor confirmetur et alatur; ductus simili loco libri de arte rhetor. c. 2. §. 1. p. 234. εἴτε και (βουλοιο) ἑτερῳ τινι τουτου οἷον ἐρανον τινα εἰς χαριν συνεισφερειν. Sed vix nostro loco verba sic nude posita illum sensum admittunt. Itaque omnem locum ita emendandum puto: εἰς δη τουτου του μερους, ὁ δει πρωτον νεοις ἀσκεισθαι, τον ἐρωτα συμβαλλομαι σοι το περι συνθεσεως των ὀνοματων. „Ad huius partis iuvenibus primum exercendae studium et amorem (tuum) confirmandum alendumque confero tibi.“ Facile poterat haec genuina loci scriptura verbis τον ἐρωτα librariorum negligentia transponendis, illisque μερος εἰς ex antecedentibus perperam repetendis corrumpi.

C. IV. p. XXIV. Docuerat Dionysius exemplis poëtarum adhibitis, verborum compositione mutanda metra et rhythmos mutari, ideoque haud raro vim omnem

carminis frangi, omnemque colorem perire. Haec uberius exposita in unum quasi colligens, addit, se aliorum quoque metrorum exemplis, si modo per temporis brevitatem liceat, ostendere posse ὡςε της μεν ἐκλογης των ὀνοματων της αὐτης μενουσης, της δε συνθέσεως μονης μαλιςα πεσουσης, τα τε μετρα μεταῤῥυθμιζεσθαι, και συμμεταπιπτειν αὐτοις τα σχηματα, τα χρωματα, τα ἠθη, τα παθη, την ὁλην των ποιηματων ἀξιωσιν.

Quo in loco vulgatam lectionem μαλιςα πεσουσης, quae plures nacta est adversarios, recte defendi posse arbitror. Videntur enim interpretes in eo haesisse, quod compositio verborum, ut metra mutarentur, atque orationis figurae, color, mores, affectus, omnis dignitas carminum periret, prorsus tolli ac dissolvi deberε diceretur, μαλιςα πιπτειν (πιπτειν enim constat de iis dici, quae corrumpuntur et pristino meliori statu deturbantur, v. c. de hominibus, quibus tale quid accidit, Sophocl. Oed. Tyr. v. 146. Aristoph. Nubb. v. 126.) Propterea Sylburgius pro μαλιςα πεσουσης legendum esse putavit μετα πεσουσης, Uptonus ἡκιςα πεσουσης (si modo paullulum immutetur compositio verborum) Reiskius μονης, ἡ μαλιςα μεταπεσουσης (compositionem verbb. immutatam, etsi idem sit verborum delectus, vel solam, vel certe praecipue efficere, ut etiam μέτρα, χρωματα, σχηματα, alia esse videantur). At bene se habet lectio vulgata. Etenim si compositio verborum *prorsus* immutatur, μαλιςα πιπτει (id quod in illis Homeri locis a nostro antea exempli loco propositis fieri intelligimus) necesse est, numeri, figurae, omnisque orationis habitus *prorsus* immutentur (συμμεταπιπτειν) non item, si parva est compositionis mutatio. Quare recte opponitur συνθεσις, ἡ μαλιςα πιπτει, τῃ ἐκλογῃ των ὀνοματων, ἥ αὐτη μενει, ut intelligatur, quot quantaque a compositione pendeant.

C. XIV. p. LXXII. Duplex esse dicit genus primorum linguae elementorum s. litterarum (ϛοιχέιων), alterum vocalium (φωνήεντων), quae φωνας, alterum litterarum consonantium, quae nonnisi ψοφους efficiant; consonantes vero vel per se ψοφους edere qualescunque, vel omnis soni esse expertes, nisi cum vocalibus coniunctae efferantur. Commemorato discrimine, quod φωνήεντα inter et litteras, quae nonnisi ψοφους edunt, intercedit, addit haec: Δευτερα δε (sc. ἐϛι διαφορα των ϛοιχειων) καθ' ἣν των φωνηεντων ἃ μεν καθ' ἑαυτα ψοφους ὁποιους δη τινας ἀποτελειν πεφυκε, ῥοιζον, ἢ συριγμον, ἢ ποππυσμον, ἢ τοιουτων τινων ἀλλων ἠχων δηλωτικα· ἃ δ' ἐϛιν ἁπασης ἀμοιρα φωνης, και ψοφου, και οὐχ οἷα τ' οχεισθαι καθ' ἑαυτα, ταυτα μεν ἀφωνα τινες ἐκαλεσαν, ὅσα και καθ' ἑαυτα φωνειται, και μεθ' ἑτερων, και ἐϛιν αὐτοτελη· ἡμιφωνα δε ὅσα μετα μεν των φωνηεντων κρειττον ἐκφερεται, καθ' ἑαυτα δε χειρον τε και οὐκ αὐτοτελως· ἀφωνα δε, ὅσα οὔτε τας τελειας, οὔτε τας ἡμιτελειας φωνας ἐχει καθ' ἑαυτα, μεθ' ἑτερων δ' ἐκφαινεται.

Primum vitium, quo locus laborat, est in verbis: καθ' ἣν των φωνηεντων. nam de vocalibus nullo modo dici potest, earum alias ψοφους qualescunque edere, alias omnis soni esse expertes. Recte monuit Uptonus, lectionem esse mutandam. Dubito tamen, utrum cum ipso sit συμφωνων, an potius συμφωνουμενων (qua voce noster περι της λεκτικης Δημοσθενους δεινοτητος c. 43. p. 1091. T. VI. ed. Reisk. usus est) aut οὐ φωνηεντων (quae non sunt vocales, sed ἡμιφωνοι et ἀφωνοι, consonantes) reponendum. Quae ultimo loco commemorata est emendatio, eam attuli, quum intelligerem, non modo voculam οὐ facile excidere potuisse, sed etiam vix probabile esse, scriptorem nostrum h. l. litteras vocalibus oppositas nomine συμφω-

νων aut συμφωνουμενων designasse, qui litterarum divisionem eiusque causam expositurus neque in antecedentibus ea innuerit, e quibus vis nominis συμφωνων intelligi poterat, quae infra, aliam tamen ob causam commemorantur, (quod sc. litterae, quae ἡμιφωνοι et ἀφωνοι dicuntur, nisi cum vocalibus iungantur, vel nullum vel imperfectum edant sonum) neque in sequenti huius disputationis parte, qua de illa litterarum divisione uberius exponitur, nominis συμφωνων ullam fecerit mentionem, nonnisi illam commemorans technologiam, qua ἡμιφωνα et ἀφωνα a vocalibus distinguantur. Videtur potius reliquas omnes litteras vocalibus adpositas communi nomine των συμφωνηεντων designasse (non aliter quam antea universe dixerat ψοφους ἀποτελειν τα λοιπα παντα) accuratiorem earum descriptionem et divisionem in sequentibus allaturus.

Maiorem fere difficultatem obiecerunt nobis verba ταυτα μεν ἀφωνα τινες ἐκαλεσαν vulgo in editionibus nonnisi commate ab antecedentibus et sequentibus separata, a Reiskio in adnotatt. sic emendata; „ταυτα (quod pro τουτων accipit) τα μεν ἀφωνα. At neque hac ratione, neque omnino sola interpunctione mutanda tolluntur loci difficultates. Etenim si verba ταυτα μεν ἀφωνα τινες ἐκαλεσαν (aut ex Reisk. mente ταυτα, τα μεν αφ.) ad sequentia ὁσα και καθ' ἑαυτα“ referuntur, necesse est, scriptor sibi contradicere videatur (quis enim ἀφωνους appellet litteras, quae et per se et cum aliis coniunctae sonum edant?) Accedit, quod in sequentibus demum de ἀφωνοις dicit, eaque recte sic describit: „ὁσα ὀυτε τας τελειας.“ Sin quis ad antecedentia „ἁ δ' ἐςιν ἀπασης ἀμοιρα φωνης“ referenda putet, non habent, unde pendeant, verba: „ὁσα και καθ' ἑαυτα — ἀυτοτελη, Hinc puto pro ἀφωνα esse φωνηεντα scribendum, puncto post ἠχεισθαι καθ'

ἑαυτα posito. Ταυτα μεν φωνηεντα τινες ἐκαλεσαν, ὁσα και καθ' ἑαυτων." In eandem fere sententiam abiisse video interpretem latinum, qui ita vertit: „quidam „vero, triplici divisione instituta primarum vocis po„testatum, vocales appellarunt, quae tam per se, quam „cum aliis coniunctae vocem edunt absolutam." in quibus nonnisi verba: triplici divis. instit. male me habuerunt, quum sole clarius sit, scriptorem non novam adferre litterarum divisionem, sed eam, quam antea commemoraverat, repetere, addendis singularum partium vocabulis technicis.

C. XV. p. XC. Ταυτα δη καταμαθοντες οἱ χαριεςατοι ποιητων τε και συγγραφεων, τα μεν αὐτοι τε κατασκευαζουσιν ὀνοματα, συμπλεκοντες ἐπιτηδειως ἀλληλοις τα γραμματα, καὶ τας συλλαβας δε οἰκειως, οἱς αν βουλωνται παραςησαι παθεσι, ποικιλως φιλοτεχνουσιν.

Pro adverbio οἰκειως ob sequens adverbium ποικιλως forte elegantius scribetur οἰκειας: syllabas aptas et accommodatas adfectibus pro lubitu excitandis. Quanam ratione syllabae adfectibus quibusdam pro lubitu excitandis aptae et accommodatae dici possint, discimus ex antecedentibus, in quibus scriptor noster docuerat, maxime differre litteras tum longitudinis et brevitatis, tum sonorum (ἠχων) ratione habita, ita ut aliae demulceant aures, aliae exacerbent; (cfr. inprimis c. IV.) ideoque fieri non posse, quin syllabae ex illis varie compositae, dum et propriam litterarum singularum, et omnium communem vim comprehendant, nunc molliores, nunc asperiores φωνας efficiant.

C. XVI. p. XCVI. Pulcram et suavem dictionem quum breviter ita definiisset, ut eam esse diceret, quae pulcris et iucundis vocabulis esset exornata (i. e. iis, quae e litteris syllabisque pulcris enascerentur): sic per-

git: και το παραπλησιον (sc. αναγκη εςι) ονοματων τε και συλλαβων και γραμματων τας τε κατα μερος εν τουτοις διαφορας, καθ' ἃς δηλουται τα τε ἠθη, και τα παθη, και αἱ διαθεσεις, και τα εργα των προσωπων, και τα συνεδρευοντα τουτοις, απο της πρωτης κατασκευης των γραμματων γενεσθαι τοιαυτα.

Duo sunt, quae in his lectorem offendant. Etenim primum vix est, quod moneam, particulam τε in verbis τας τε κατα μερος non habere, quo referatur, quum praeter illas ονοματων, συλλαβων, γραμματων διαφορας nihil commemoretur, quod ex prima litterarum conformatione nascatur. Tum ultima vox τοιαυτα ad διαφορας referenda grammaticis rationibus prorsus damnatur. Utrumque vitium facile tolli potest particula illa delenda et voce τοιαυτα in τοιαυτας mutanda: tales fieri διαφορας illas (quales descripserat) prima litterarum conformatione.

Cap. XX. p. CXL. Laudatis versibus Homericis (Odyss. λ, v. 492. sq.) quorum exemplo ostenderet, verborum singularem compositionem rebus quibusdam ac sensibus exprimendis esse accommodatissimam, de iis haec dicit: ενταυθα ἡ συνθεσις εςιν ἡ δηλουσα των γινομενων ἑκαςον, το βαρος του πετρου, την επιπονον εκ της γης κινησιν, τον διερειδομενον τοις κωλοις, τον αναβαινοντα προς τον οχθον, την μογις ανωθουμενην πετραν ουδεις αν αλλως ειποι, παρα τι γεγονε τουτων ἑκαςον. ου γαρ εικῃ, ουδ' απο ταυτοματου.

Vulgata lectio ουδεις αν αλλως ειποι ab interpretibus, qui in formula αλλως ειπειν haeserunt, haud parum sollicitata est. Uptonus vel αλλους scribendum putavit (quod quonam referendum sit, non video) vel ουδεις αν ειποι, παρα τι αλλο γεγονε τουτων ἑκαςον (nemo facile dicat, per quamnam aliam rem

haec singula, *βαρος του πετρου, επιπονος εκ της γης κινησις* etc. fuerint effecta, i. e. tali ratione expressa et quasi oculis subiecta, quali in illo Homeri loco expressa vides). Reiskius vero locum sic voluit emendari: *ουδεις αν αλλως ειποι· παρα τι γεγονε τουτων εκαστον;* rem facile negare ausit (exprimi illa). Sed unde fit unumquodque illorum? Elegans sane coniectura, tamen propterea vix admittenda, quia vulgatam lectionem non immerito defendi posse intelligimus, cuius hic est sensus: nemo facile alia ratione explicet, quomodo haec fuerint effecta (necesse est concedat, *συνθεσιν* esse *ταυτα δηλουσαν*). Non enim temere et fortuito ita sunt proposita. Quam significationem formulae *ουδεις αν αλλως ειποι* recte tribui, loca aliorum scriptorum, inprimis Platonis ostendunt, qui haud raro similibus formulis: *η αλλως δοκει ουτως ειπειν περι τινος, αλλως συνειρειν* (alia ratione de re quadam disserere, aliam disputandi vim ingredi) *αλλως τι φαναι*, utitur. (Cfr. Cratylus c. 35. ex. c. 40.)

Cap. eod. p. CXLIV. V. Finita disputatione de omni natura, vi, et fine compositionis verborum, ad ultimam libelli partem accessurus, id ipsum consilium his verbis significat: *νυν δε τα καταλειπομενα, ων υπεσχομην και ουδενος ηττον αναγκαια ειρησθαι, ταυτ' ετι προσθεις τω λογω, παυσομαι· τινες εισι διαφοραι της συνθεσεως, και τις εκαστης χαρακτηρ ως επι το πολυ, των τε πρωτευσαντων εν αυταις μνησθηναι, και δειγματα εκαστου παρασχειν.*

Quaeritur, quonam referenda sint verba: *τινες εισι διαφοραι — επι το πολυ*, et unde pendeant infinitivi *μνησθηναι* atque *παρασχειν*; His difficultatibus ut occurreret, recte Sylburgius post *μνησθηναι* inseri voluit *βουλομενος* (eadem verborum structura, qua supra

c. XVI. p. C. ex. τον βουλομενον ἐργασασθαι λεξιν καλην). Iam vero quum de verbis τινες εισι διαφοραι nil praeterea monuerit, videtur ita de omni loco statuisse, ut βουλομενὸς cum verbis ταυτ' ἐτι προσθεις παυσομαι coniungeret, illis vero τινες εισι — ὡς ἐπι τὸ πολυ explicari putaret τα καταλειπομενα. Eodem modo latinus interpres, qui haec habet: „nunc ubi „ea, quae restant, quaeque eram pollicitus, haud „dictu minus necessaria huic sermoni addidero, „finem dicendi faciam: quae scil. compositionis sint „differentiae; quis uniuscuiusque maxima ex parte „character et nota; scriptorum adeo in singulis, qui „primas meruerint, mentionem facturus, suis cuique „exemplis additis.“ Video tamen huic sententiae partim ordinem verborum, partim omnem sententiae rationem obstare. Quod enim ad illum attinet, facile intelligitur, scriptorem nostrum, si verbis: τινες εισι διαφοραι — ὡς ἐπι το πολυ explicare voluisset, quid sub illis καταλειπομενοις intelligeret, ea potius statim post ἐιρησθαι quam post παυσομαι additurum fuisse. At ne ipsa quidem sententia recte se haberet. Nonne enim inde sequeretur, Dionysium sub illis reliquis, dictu non minus necessariis, ideoque mox addendis nihil nisi disputationem de rarae compositionis verborum generibus intellexisse? quum tamen ea, quae statim sequuntur, sole clarius ostendant, his minime omnem libellum absolvi, sed illam de composit. generibus disputationem excipere aliam, qua quaeritur; quomodo compositio efficere possit, ut oratio soluta metro adstricta, haec illi similis esse videatur? Praestat igitur mea qualicunque sententia, vocabulo βουλομενος vel ante vel post μνησθηναι posito, atque verbis: τινες εισι — παρασχειν ab antecedentibus plane seiunctis de omni loco ita statuere, ut ante

haec verba excidisse aliqua putemus, quae quamquam non accurate restitui possunt, coniectura tamen assequi licet, auctorem fere ita scripsisse: *και πρωτον μεν δειξομαι, τινες εισι διαφοραι* (nam certe particulam *μεν* desiderare videtur sequens *δε*, *όταν δε ταυτα λαβῃ μοι τελος*).

Quo in loco quum semel versemur, licet aliam observationem adiungere ad verba pertinentem, quae in eadem pagina c. XXI. in. leguntur: *ἐγω της συνθεσεως ἰδικας μεν πολλας διαφορας σφοδρα ειναι τιθεμαι*, ubi adverbium *σφοδρα* non suo loco positum, sed ante *διαφορας* collocandum videtur.

Cap. XXII. p. CXLVIII. Compositio austera, quam vocabulorum firmas quasi tutasque sedes, intervalla iusta, quae singulas partes intercedant, asperas litterarum elisiones, magna et grandia vocabula praecipue sectari monuerat, quid maxime fugiat, his significat: *το γαρ ἐκ βραχειας συλλαβης συναγεσθαι, πολεμιον αὐτῃ*, ubi sententiae ratio maxime suadet, ut *βραχειαις συλλαβαις* scribamus, sequuti vestigia interpretis latini, qui ita reddidit: nihil enim huic inimicum adeo, ac brevibus coarctari syllabis.

Cap. eod. p. CXLIX. De composit. austera sic loqui pergit: *περιοδους δε συντιθεναι συναρτιζουσας*, (rectius *ἀπαρτιζουσας* ex Hudsoni coniect.) *τον νουν τα πολλα μεν ουτε βουλεται· εἰ δε ποτε αὐτοματως ἐπι τουτο κατενεχθειη, το ἀνεπιτηδευτον ἐμφαινειν εθελει και ἀφελες· ουτε προσθηκαις τισιν ὀνοματων, ἱνα ὁ κυκλος ἐκπληρωθῃ, μηδεν ὠφελουσαις τον νουν χρωμενη, ουθ᾽ ὁπως αἱ βασεις αὐτων γενοιντο θεατρικαι τινες, ἡ γλαφυραι, σπουδην ἐχουσα· ουδ᾽ ἱνα τῳ πνευματι του λεγοντος ὠσιν αὐταρκεις συμμετρουμεναι μα Δια, ουδ᾽ ἀλλην τινα πραγματειαν τοιαυτην ἐπιτηδευει οὐδεμιαν* (sic enim Reiskius bene e codd. correxit).

Quae h. l. displicent, pertinent partim ad interpunctionem partim ad sedes particularum ὀυδε et ὀυτε, quibus noster h. l. frequentius usus est. Quicunque enim locum obiter perlustraverit, sponte intelliget, verba οὐτε προσθηκαις τισιν — συμμετρουμεναι μα Δια eo consilio a nostro addita fuisse, ut doceret, quanam ratione compositio austera, si forte in periodos incidat, in iis struendis negligentiam quandam ab omni artificio alienissimam prae se ferre studeat, quod quidem triplici ratione effici dicit, ita ut neque vocabula, quae orbi periodi explendo inserviant, sententiae nihil prosint adhibeat, neque clausulas periodorum splendidas et artificiose elaboratas studiose quaerat (nam βασεις ἀυτων sunt periodorum clausulae, vid. Ernestius in lexico technolog. Graec. rhetor. sub v. βασις, non sententiarum, de quibus latinus interpres cogitavit) neque periodum spiritui dicentis diligenter accommodet. Iam quum verba: ὀυδ' ἱνα τῳ πνευματι — μα Δια cum antecedentibus: ὀυτε προσθηκαις — σπουδην εχουσα unam eamdemque sententiam constituant, non ὀυδ' sed ὀυθ' ἱνα (ut in prioribus membris) scribendum et post ἐχουσα non semicolo, sed commate interpungendum est. Contra particula οὐτε in vbb. τα πολλα μεν οὐτε βουλεται in οὐδε mutanda videtur: periodos, quae sententias comprehendant, absolutas componere plerumque ne cupit quidem; sin forte in eas incidat. De verbis: ὀυδ' ἀλλην τινα — ἐπιτηδευει οὐδεμιαν dupliciter statui posse arbitror. Possunt enim vel ita explicari, ut respondeant verbis: περιοδους δε — βουλεται, ideoque austera compositio non modo periodos non sectari, sed omnino ab aliis quoque eiusmodi artificiis abstinere dicatur (quae ratio si probetur, malim post μα Δια minus plene interpungere), vel cum proxime

antecedentibus coniungi, commate post μα Δια posito, atque ὀυδ' in ὀυθ' et ἐπιτηδευσι οὐδεμιαν in ἐπιτηδευουσα ὀυδεμιαν mutato, in quam posteriorem sententiam ductus sum vestigiis duorum codd. (Colbert. et Reg. I.) hunc omnem locum minus corrupte, quam reliqui exhibentium, quorum ille ἐχουσα ἐπιτηδες οὐδεμιαν, hic ἐχουσα ἐπιτηδ' ὀυδεμιαν legit (ἐπιτηδες i. q. consulto, de industria). Potest enim, si ἐπιτηδευουσα ὀυδεμιαν pro genuina lectione agnoscitur, facile intelligi, quomodo ea vel interpretamento, quod inest formulae ἐχουσα ἐπιτηδες, vel vocabulo ἐχουσα e lin. 11. repetendo potuerit depravari. Sensus totius loci erit hic: periodos vero, quae sententias comprehendant absolutas, plerumque ne cupit quidem struere; sin forte in eas incidat, tamen negligentiam ab omni ornatu alienissimam in iis studet ostentare, ita ut neque vocabula addat, quae orbi conficiendo inserviant, sententiae nihil prosint, neque clausulas periodorum tragico ornatu compositas et artificiose elaboratas sectetur, neque eas (periodos) spiritui dicentis mensura plane studeat accommodare, neque alia eiusmodi artificia captet (quae artem ac studium in periodis struendis prodant). Verba quae sequuntur pessime depravata quum a Reiskio e codd. egregie fuerint emendata, de iis quod moneam non habeo.

Cap. XXIII. p. CLXXXI. Causam, cur plura de compositione florida atque polita, quam modo exemplo odarii Sapphici in Venerem usus descripserat, nolit disserere, exponit his verbis: ἐξεσαι γαρ σοι παντι ἀλλῳ καθ' ἑν ἑκαςον των ἐξηριθμημενων ὑπ' ἐμου κατα την προεκθεσιν του χαρακτηρος ἐπιλεγεσθαι τε και σκοπειν ἐπι παραδειγματων κατα πολλην εὐκαιριαν και σχολην.

Videtur locus alia vocula addenda, alia eiicienda

esse corrigendus. Etenim quemadmodum post vocab. σοι copula και deesse non potest (id quod iampridem Sylburgius vidit): ita et sensum orationemque turbari et aures offendi, intelligimus eo, quod praepositio κατα h. l. ter adhibeatur. Desideratur enim obiectum verborum ἐπιλεγεσθαι et σκοπειν. Quae cum ita sint, praepositionem illam post vbb. παντι ἀλλῳ tollendam esse arbitror, ita ut sensus evadat hic: licet enim et tibi et alii cuilibet singula eorum, quae, dum characterem illius compositionis proponerem, enumeravi, otio dato exemplis adhibitis recensere atque expendere i. e. utrum recte an perperam commemorata fuerint, perspicere. Similiter paulo ante p. CLXXX. ex. dixerat: ἐλεγον δ'ἀν και τα λοιπα της συνθεσεως ταυτης ἰδιωματα, και ἀπεδεικνυον ἐπι των παραδειγματων τοιαυτα ὀντα. Neque inprobabiliter coniicere mihi videor, librarios voculam και, quae vulgo post σοι deest, post ἀλλῳ posuisse, unde enatum fuerit καθ'.

Cap. XXV. p. CLXXXIX. Expositurus de utroque genere orationis et soluto et metris adstricto ita conformando, ut illud carmini, hoc sermoni pedestri simile esse videatur, haec dicit: ἀρξομαι δε πρωτον ἀπο της ψιλης λεξεως, ἑνα των ἀνδρων προχειρισαμενος, ὁν ἐν τοις μαλιςα ὀιμαι την ποιητικην ἐκμεμαχθαι.

Quibus in verbis non observatum est a viris doctis, post ἐν τοις excidisse λογοις, quo voc. addito oratio aeque ac sententia integra procedit: ita ut initium faciam a viro, quem in orationibus studiosissimum fuisse puto poëticae verborum structurae. Simile vitium inveni arte rhetor. C. II. §. 2. in. p. 234. προκεχειρηται γαρ· ἐν τοις μαλιςα και τουτο

προ

προ παντων τοις νεωτεροις εις γραφήν· ει γαμητεον, ubi post τοις haud dubie ἀσκημασι addendum.

C. eod. p. CXCV. Ostendit scriptor, nonnisi compositione verborum orationis pedestris singulari quadam arte conformanda effici posse, ut oratio soluta nisi ipsam carminis dignitatem plane adsequatur, similis tamen fiat orationi metris numerisque adstrictae, atque ex illius gratia et venustate aliquid traducere videatur. πασα λεξις ἡ διχα μετρου εγκειμενη, ποιητικην μουσαν ἡ μελικην χαριν οὐ δυναται προσλαβειν, κατα γουν την συνθεσιν αὐτην· επει και ἡ εκλογη των ὀνοματων μεγα τι δυναται, και εςι τις ὀνομασια ποιητικη, γλωττηματικων τε και ξενων και τροπικων και πεποιημενων, οἷς ἡδυνεται ποιησις, εἰς κορον εγκαταμιγεντων τῃ ἀμετρῳ λεξει. ὁ ποιουσιν ἀλλοι τε πολλοι και οὐχ ἡκιςα Πλατων· οὐ δη λεγω περι της εκλογης."

Sententia totius loci haec est: „omnis oratio metris non adstricta carminis gratiam et venustatem vindicare sibi nequit, certe quoad ipsam verborum compositionem (siquidem etiam verborum delectus multum efficit; est enim quaedam poëtica locutio, conspicua inusitatis, peregrinis, figuratis, novatisque, quibus poësis maxime delectatur, ad taedium usque solutae orationi permistis. Qua in re cum alios permultos, tum praecipue Platonem peccasse videmus). Iam vero non dicturi sumus de verborum delectu." Quae quidem omnia ita plana et expedita nobis esse videntur, ut profecto miremur, quod Uptonus et Hudsonus locum emendationibus sollicitaverint. Displicuit iis lectio vulgata verborum: εἰς κορον εγκαταμιγεντων. Nam ille quidem (Uptonus) vel pro ἀμετρῳ λεξει scribendum putavit εμμετρῳ (orationi metris adstrictae), vel omnem locum ita emendandum: οἷς ἡδυνεται ποιησις, εἰς κορον εγκαταμιγεντων· εν δε τῃ ἀμετρῳ λεξει

και αὐτο ποιουσιν ἀλλοι τε πολλοι, και οὐχ' ἡκιϛα ὁ Πλατων. Etenim partim omnis orationis series declarat, scriptorem sub ὀνομασιᾳ ποιητικῃ illud locutionis genus intellexisse, quo sermo pedestris eo consilio utatur, ut poëticam orationem verborum delectu imitetur, non illud, quod proprie dicitur poëticum, metris numerisque poëticis vinctum (de quo scriptoris verba interpretetur necesse est, qui alterutram illarum emendationum voluerit amplecti). Accedit, quod vix universe dici potuit, orationi metris adstrictae vocabula γλωττηματικα, ξενα etc. ad taedium usque immisceri, quum eorum, qui inter Graecos Latinosque veteres de arte poëtica et oratoria praeceperint, omniumque non omnis sensus boni et pulcri expertium iudicio poëtis hoc in genere multo maior, quam oratoribus, libertas concessa fuerit et concedatur [a]). Praeterea alteram Uptoni coniecturam quo minus probandam putemus, id quoque impedit, quod ea ratione vel ante vel post ἐγκαταμιγεντων vocabulum deesse intelligamus, quo significetur, cuinam tandem rei vocabula illa dicantur ἐγκαταμιγεντα. Hudsonus vero, codicis Colbert. auctoritatem sequutus nil mutandum censuit, nisi quod comma vulgo post ποιησις positum tollatur et post κορον collocetur. Sensus, qui inde nascitur: quibus vocabulis poësis ad taedium usque solet delectari, quibusnam difficultatibus prematur, ex iis patet, quae antea contra Uptonum disputavimus. At ne ulla quidem loci emendatione opus esse videtur, quum omnia commode possint explicari. Iubebant enim veteres artis rhetoricae scriptores (cfr. Aristoteles arte rhet. et

---

a) Cfr. Aristoteles, qui in arte rhetor. l. 3. pluribus locis c. 2. 3. 4. id ipsum haud obscure innuit. Cicero de orat. l. 3. c. 38. orat. c. 20.

Cicero de orat. locis antea laudatis [3]) oratores cum aliis quibusdam ornamentis tum praecipue vocabulis compositis (διπλοις) novatis (πεποιημενοις) peregrinis et inusitatis (ξενοις κ. γλωττηματικοις), poësi magis quam orationi solutae convenientibus; nonnisi admodum rare et verecunde uti. Hinc intelligitur causa, cur noster ita universe monuerit, vocabula illa orationi solutae (ἀμετρῳ) esse ad taedium usque permista. Nam quum prosaici scriptores in usu eorum deberent multo prudentiores esse ac moderatiores, quam poëtae, facile fieri poterat, ut permulti essent scriptores, qui, dum poëticam quandam venustatem ad orationem solutam traducere cuperent, ea in re modum omnem excederent, atque eo frequentius peccarent, quo facilius posset peccari. Eo nomine cum alios haud paucos, tum praecipue Gorgiam Leontinum et Platonem reprehendi, nemo ignorat. Quapropter Dionysius noster statim addidit, et alios multos, et Platonem id facere. Cfr. eiusd. epistola ad Cneium Pompeium (T. VI. edit. Reisk. p. 760.) ubi Platonis orationem propterea vituperat, quod saepenumero vocibus propriis communibusque relictis novatas, peregrinas, antiquas sectetur; in tropis, metaphoris, allegoriis modum excedat, atque figurarum poëticarum usu summam adferat satietatem (qui locus omnino ita comparatus est, ut noster haud parum lucis inde lucretur). Quae cum ita sint, quis miretur, quod noster eorum causa, quae plerumque hac in re peccari soleant, universe dixerit vocabula illa εἰς κορον ἐγκαταμιγεντα τῃ ἀμετρῳ λεξει; Neque haec conciliari nequeunt cum iis, quae supra monuerat, illam ὀνομασιαν ποιητικην (hanc

[3]) add. Cic. orator c. 23. 24.

enim sub ἐκλογῇ των ὀνομ. intelligi, vix est, quod moneam) μεγα τι δυνασθαι. Etsi enim frequentior illorum vocabulorum usus vel maxime efficiat, ut oratio soluta metris adstrictae similis esse videatur, tamen non potest non auribus eorum esse ingratus, qui facile sentiunt, quam parum idem conveniat orationi solutae.

VII.

1) *Bernh. Ludov. Koenigsmann* prolusio de fontibus commentariorum sacrorum, qui Lucae nomen praeferunt, deque eorum consilio et aetate. Altonae, cIↄIↄccLxxxxvIII, mense Maio 4. pp. 22.

2) Eiusd. prolusio critico-exegetica: an mundum ex nihilo creatum tradant litterae sacrae. Slesvici, cIↄIↄccLxxxxvIII, mense Octobr. 4. pp. 22.

3) Eiusd. prolusio historico-critica: narratio Manethoniana de regibus pastoribus iterum Aegypto excidentibus a Flavii Josephi argumentis vindicata. Slesvici, cIↄIↄccLxxxxIx, mense April. 4. pp. 16.

4) Eiusd. prolusio de navigationis Salomoneae terminis, Tharsisa et Ophira, recte atque ordine constituendis. Slesvici, cIↄIↄccc. mense April. 4. pp. 50.

Harum quatuor commentationum (quibus Vir Amplissimus, Rector Gymnasii Flenopolitani (*Flensburg*) explorationes iuventutis scholasticae litterarias instituen-

das et nonnullorum discipulorum orationes recitandas indicavit) quanquam nonnisi recentissima ad consilium et rationem commentariorum nostrorum, annum ultimum saeculi praeteriti non excedentium, pertinere videtur; noluimus tamen, anteaquam illius capita praecipua exhiberemus, reliquas neque multum antiquiores, neque minus omnibus Philologiae Sacrae patronis permultis nominibus commendandas, neque hactenus satis notas, prorsus tacere.

Quod ad illam, quam primo loco commemoravimus, Viri Ill. prolusionem attinet, de *fontibus* commentariorum Lucae (p. 1—16.) ita disputat, ut partim ex ipso scriptoris prooemio (Evang. c. I, vs. 1—4.), quod uberiori persequitur interpretatione, partim ex inconstantia orationis nunc ad Hebraicam linguam nunc ad latinam propius accedentis comprobet, commentarios e pluribus monimentis, a Christi legatis eorumque comitibus conscriptis, fuisse congestos; eo quidem *consilio* (p. 16. 17.) ut rerum a Christo et apostolis gestarum narratio non fide dignior, sed plenior et integrior iis, quae ante eum propositae fuerant, exhiberetur. Ceterum iisdem aetatem suam adsignaturus (p. 17—22.) docuit, partim, quae ipse scriptor in prooemio antea explicato significet, partim, quae in eiusdem commentariis subinde occurrant cum historia profana vix concilianda, minime prodere scriptorem, qui ipse unum ex legatis Christi comitatus, aut temporibus, quorum historiam enarrat, admodum vicinus fuerit; quumque commentarii illius a Iustino Martyre, et antiquioribus nunquam diserte laudentur, videntur ex auctoris Doct. sententia non ante priorem saeculi secundi p. C. N. partem innotuisse.

Secundae commentationis consilium in eo versatur, ut scriptores sacros creationem mundi ex nihilo nun-

quam tradidisse doceatur. Hinc auctor Doct. de praecipuis locis scripturae s., quibus contraria sententia nonnullis defendi posse visa est, ita sibi disputandum putavit, ut ostenderet, neque loco Genes. I, 1 sq. (quem sic interpretatus est: cum ad mundum efficiendum accederet Deus, terra erat תהו ובהו. ברא enim esse dicit i. q. formavit, non: ex nihilo creavit, idemque cum Aben Esra et Raschi effert בְּרָא. Verba autem את השמים ואת הארץ non semina prima coeli et terrae, sed omnino totam hanc rerum universitatem designare putat. Tandem בראשית ipsi est simpliciter: initio mundi, et ו in והארץ particula ἀποδοτικη.) neque epist. ad Hebrr. 11, 3. (μη ἐκ φαινομενα non: quae non erant, sed quae non cernebantur, propter oppos. βλεπομενα) neque ep. ad Romm. 4, 16. (καλουντος τα μὴ ὀντα ὡς ὀντα, qui ea, quae non sunt, vocat, adesse iubet ita, ut si iam adsint, significat omnem rerum universitatem mero arbitrio divino compositam fuisse,) neque 2 Maccab. 7, 28. (ποιειν τινα ἐξ οὐκ ὀντων h. l. non: facere quaedam ratione materiae, sed ratione formae) inesse vestigia illius de creatione mundi ex nihilo doctrinae.

Tertia pertinet ad locum Iosephi contra Apionem c. 26. sq. T. III. p. 1196. sqq. edit. Oberthuer. ubi narratio Manethonis, rerum Aegyptiacarum scriptoris, cuius reliquias plures Iosephus servavit, adfertur, qui homines quosdam Aegyptios lepra vel alia corporis labe adfectos ab Amenophi rege Aegypt. in urbem Avatin compulsos duce Osursipho quodam (postea Mose appellato) coniunctos cum pastoribus, qui olim Aegypti dominatu amisso in Palaestinam sese contulissent, regnum occupasse, terram diu vexasse, neque nisi post tredecim annos ab Amenophi eiusque filio Sethone fugatos fuisse memoriae prodidit. Cuius narrationis ve-

ritatem a Iosepho variis de causis inpugnatam defensurus ostendit auctor Doct. partim Iosephum in eo errasse, quod Manethonem alio loco perhibuisse monuerit, Israëlitas non sub Amenophi rege, sed 518 annis ante, Tethmosi imperante Aegypto, discessisse (quum ea minime de Israëlitis, sed de gente quadam pastoritia incertae stirpis ac originis sint intelligenda); partim alia quaedam verba Manethonis, quibus eum significasse putaverit, totam ipsius narrationem meris fabulis inniti, perperam fuisse interpretatum, neque intelligi, quomodo, si ipse haec fuerit confessus, tamen (quod Iosephus ab eo factum putat) eiusmodi fabulas confingere aut aliis eas narrantibus fidem habere potuerit; partim regis illius (Amenophis), quem Iosephus confictum putat, aetatem nisi in illa de leprosis narratione, tamen aliis locis a Manethone satis esse definitam; partim non satis gravia esse et firma argumenta, quibus Iosephus narrationis verisimilitudinem impugnaverit.

Uberius persequemur quartam Viri Ampliss. commentationem, qua novam suam de Tharsisae, Relandianam de Ophirae situ sententiam ita defendit, ut nescias, utrum doctrinae copiam, linguarum veterum notitiam, intimamque, quam cum scriptoribus geographicis et historicis vett. contraxerit, familiaritatem magis, an miram ingenii sagacitatem in locis explicandis, emendandis, et illis, quibus magna pars eorum, quae ad Geographiam veterem pertinent, obvoluta esse solet, tenebris discutiendis conspicuam debeas admirari. Quum enim iamdudum de situ locorum illorum, quae classem Salomoneam cum Phoenicia coniunctam, tertio quoque anno redituram, et eximiam auri, argenti, aliarum rerum pretiosarum copiam inde adlaturam adiisse libri sacri memoriae prodiderunt, Thar-

sisae, et Ophirae, inter viros doctos fuerit disceptatum, auctor Doct. diversis eorum sententiis ponderatis, omnibusque locis scriptorum tum sacrorum, tum profanorum, e quibus illa disputatio aliquam lucem potuit lucrari, diligenter examinatis, ita sibi a communi sententia, quae Tharsisam in occidentali Europa, Ophiram in australi Asia vel Africa quaereret, recedendum esse intellexit, ut utrumque eidem mari (Erythraeo) adiacere statueret. Ac primum quidem Tharsisae situm suum adsignaturus (quae disputatio a p. 2—36. pertinens maiorem libelli partem complectitur) refutat, gravissimis usus argumentis, sententiam eorum, qui Tartessum fuisse putant urbem Hispaniae Baeticae. Ostendit enim, partim talem totius Africae circumnavigationem, qualem Hebraei et Phoenices, quos ad Tartessum traiecturos ex sinus Arabici portu solvisse scriptores SS. referunt, Hispaniae urbem adituri instituere debuerint, Herodoto teste non fuisse ante aetatem Nabopalassari, Babylonn. regis, susceptam; partim ne exstitisse quidem illam, quam plerique Tarsisam putant, Tartessidem insulam, duplici Baetis ostio circumfusam; quum non modo Ptolemaeus eam plane ignoret, sed etiam illud de Tartesside insula commentum facile inde oriri potuerit, quod Gadium insula utrique Baetis fluvii capiti (testibus Abulfeda et Strabone) propemodum opposita, neque nisi unius stadii intervallo a continenti disiuncta, eademque conspicua urbe quadam a Phoenicibus Gadir, postea per abusum Tartessus appellata, iis, qui eam e longinquo contuerentur, inter ipsa Baetis ostia iacere videretur. At ne quis putet, Carteiam, eiusdem Hispaniae Baet. urbem prope Calpen montem sitam a scriptoribus SS. Tarsisae nomine indicatam fuisse, bene monet, Phoenicium huius urbis nomen Tartessus (טַרְטֵשׁ) quod

rupem teretem significet, ab illo monte vicino, qui urcei speciem referret, petitum, postea non modo ad Carteiam urbem, sed etiam ad vicinas Gades ipsumque Baetin et regionem circumiacentem translatum ob ipsam litterarum indolem non posse cum Hebr. תַּרְשִׁישׁ conferri. His praemissis, suam de Tharsisa sententiam prolaturus ita versatur, ut primum ostendat, classem Hebraeorum Tharsisam Ophiramque una eademque via adiisse (1 Regg. 22, 49. coll. 2. Parall. 20, 36.) et partim utrumque locum Hebraeis mature cognitum (Ex. 28, 20. 39, 13. Iob. 28, 16. 22, 23.) partim navigationem Tharsisensem Ophirensemque haud dubie longe ante Davidis aetatem Phoenicibus fuisse tentatam, quorum ope et Salomon (2 Parall. 8, 18. 1 regg. 10, 11. 22.) et haud dubie Davides, auro Ophirensi abundans (1 Parall. 29, 3. Eupolemus apud Euseb. praepar. evangel. 9, 30.) in eadem navigatione suscipienda fuerit adiutus. Iam quaeritur, unde Phoenices tam mature acceperint Tharsisae et Ophirae notitiam? cui quaestioni a Viro Ampl. haec respondentur. Tradunt scriptores fide non indigni (Herodotus, Plinius, Isidorus, Iustinus), maiores Phoenicum oram maris Erythraei habitasse, unde terrae motibus propulsi littora Syriaca occupaverint; quod perquam mature accidisse intelligitur ex aetate urbis Sidonis a Phoenicibus exstructae longe antiquioris Hierosolymis (Genes. 10, 16. coll. Ios. 15, 63. Iudd. 1, 21.) quas ipse auctor Doct. in prolusione sub n. 3. indicata, p. 6. docuit circiter 400 annis ante natum Iacobum conditas fuisse. Huncce Phoenicum ortum accuratius definierunt (Strab. l. 16.) incolae maris rubri (quod partem maris Erythraei constituit, unde ipsum subinde κατ' ἐξοχὴν Erythraeum appellatur) qui Phoenices ab hoc mari prognatos ferebant; cuius sententiae veritatem praeterea insulae quae

dam sinus Persici, Tyrus et Aradus, quae (teste Strab.) sacra Phoeniciis similia habuerunt, itemque oppidulum quoddam in ora Caramaniae situm a piscium ubertate Sidone dictum (Arrian. hist. Ind. c. 37.) haud obscure arguunt. Non longe ab hoc oppidulo distabat Ταρσιη ἀκρη, Tarsium promontorium in confinio Caramaniae et Persidis situm (Arr. l. l.). Hoc ipso loco reperisse sibi videtur auctor Doct. Tharsisam nostram, quod vocabulum Persis haud ignotum (Esth. I, 14.) ideo ad promontorium illud designandum adhibitum fuerit, quod cum clypeo posset ob externam speciem comparari, cuius notio Samaritano תריס, Chald. תריס, Arab. תרש (unde formatum putat Hebr. תרשיש) exprimatur. Iam quum Phoenices, inde ab eo tempore, quo Syriacas oras occupaverant, longinquarum navigationum studiosissimos (Herod. auctore) non improbabiliter coniici possit etiam hanc, vetustam ipsorum patriam, adiisse, inde factum putat, ut eiusmodi iter a Ταρσιη ἀκρη, quae fere ultimam talis navigationis metam constitueret, nomen duceret, atque seriori aetate omnis tractus maritimus, qui a Tarsio promontorio usque in citeriorem Indiam procederet, Tharsisae nomine comprehenderetur (quare Ies. 66, 19. Ps. 72, 10. τοις הגוים et האיים fuerit adnumerata). Confirmat deinde sententiam modo enarratam eo, quod Tharsisa etiam in sacris litteris patria Phoenicum per Nilum adeunda perhibeatur, provocans ad orac. Ies. c. 23. quo Phoenices universae calamitatem deplorari putat, quae terra cum eo tempore Tyriis paruerit (Menander Ios. antiquitt. Iudd. 9, 2.) et alibi Sidonis nomine veniat, in ipsa oraculi inscriptione Tyri, vs. 11. et 12. autem Sidonis nomine fuerit comprehensa. Omne vaticinium (a vs. 1—14.) dum auctor Doct. uberiori persequitur interpretatione, ita ut haud raro novas tentet locorum

explicationes, ostendit vatem non modo commoda, quae Phoenicum navigationes Tharsisae incolis olim attulerint, nunc amissa, pluribus locis commemorasse, sed etiam Tharsisam diserte vs. 10. et 13. Phoenicum patriam vetustam perhibuisse. Nam vs. 10. quidem ita interpretatur, ut Phoenices relicta, quam hucusque obtinuerant, terra in patriam veterem, Tharsisam, per Nilum transire dicantur. Eiusmodi viam duplicem docuit Phoenicibus patuisse, alteram, qua per Nili ostium Pelusiacum Bubastum urbem peterent, alteram, quae a Copto ad Berenicem ferret, utramque faciliorem et breviorem transitu terrestri, qui a Casio monte ad sinum Arabicum procederet. (Non minus docta est et ingeniosa vs. 13. explicatio: en hanc Chaldaeorum terram; populus iste aliquando in ea non fuit, sed Assyrius eam adsignavit ichthyophagis. Hi erexerunt turres illius, eiusdemque excitarunt palatia. Nunc autem ad ruinam usque devastata iacet.) Singulorum verborum et explicationes et emendationes afferre hic non licet.

Quod ad alterum locum, Ophiram, attinet, optima ipsi visa est Relandi sententia, qui Ophiram esse putat Upparam (s. Suparam), mercatoriam urbem citerioris Indiae cum regione circumiacente, quae cum aliis rebus pretiosis, tum auro et argento ita abundaverit, ut a vett. terra aurea appellaretur. Cui sententiae quum Saurinus se ita opposuisset, ut non intelligi diceret, quam ob rem classi Idumaeam inter et illum Indiae tractum commoranti triennium fuerit conterendum, bene monet auctor Doct., ventos Etesias hanc navigationem veterum, qui eo tempore pyxide nautica essent destituti, haud parum retardasse. His subiicit alia, quibus vel sententia ipsius confirmetur, vel obscuriora illustrentur. Hac enim ultima parte libelli

causam, cur Phoenices sub nomine Tharsisae Ophiram comprehenderint, hanc fuisse ostendit, quod Thars. fines iis prius essent attingendi, quam ad Upp. deferrentur. Uberius deinde disputat partim de nominibus *Sophira* (quo Aegyptiis et Iudaeis Alexandrr. India ab illo nobili tractu ita appellata significatur) Arabico שופארה (fonte Hebraicc. אוֹפִר et אוּפַר) et Arrianeo Ουππαρα (pro Σουππαρα, littera init. omissa, ut Οὐφειρ pro Σουφειρ) ab Ophira nostra nihil diversis; partim de mercibus quibusdam Tharsisensibus, quarum nomina vel corrupta sint, vel obscuriora (v. c. de שֶׁנְהַבִּים 1 regg. 10, 22. cui substitui vult שֵׁן הָבְנִים ebur, ebenum; עֲצֵי אלמוגים 1 regg. 10, 11. rect. אלגומים quod de pinorum genere quodam pinibus in Libano natis praestantiori interpretatur, et ex Arab. articulo אל et voc. גומא (גּוּמִי resina, quae incisuris ex arbore elicitur, unde formatum fuerit גומיי arbor resinosa, deducit; et aliis quibusdam vocabulis).

Praeter illa modo exposita, ad rem ipsam propius pertinentia, quorum nonnisi praecipua capita breuitatis studiosi exhibere potuimus, omissa haud raro diligentiori argumentorum historicorum et philologicorum notatione, reperiuntur et in ipsa disputationis serie et in notulis libello subiectis permultae aliae observationes notatu dignissimae, quibus vel singula loca tum scriptorum profanorum (Strabonis, Melae, Ptolemaei) tum codicis sacri (Iobi 22, 23. p. 12. Ies. 23, 1. 3. 11. all.) explicantur et emendantur, vel alia, quae ad Geographiam veterum pertinent, nova luce collustrantur (sic p. 5. 6. de ficta Erythia insula, p. 6. 7. de duplici Baetis ostio, p. 9. 10. de urbis Carteiae nominibus, p. 13 — 16. de φοινικων κωμη in sinu Arabico sita et sinu Aelanitico Phoenicibus a Davide concesso,

uberius disserit) vel de origine, forma, et significatione vocabulorum quorundam (ut de voc. Φοίνικες a flavo faciei colore petito p. 20. vocab. כשדים communi nomine eorum, qui Sabaeismum profitebantur, p. 33. voc. הודו non totius Indiae, sed partis illius terrae nomine p. 48. 49.) disputatur. Quae quo minus accuratius indicemus, huius diarii ratio prohibet.

VIII.

Tentamina Strabonis aliquot mendosos locos emendandi. Auctore M. *Car. Godofr. Siebelis*, Schol. episc. Ciz. Conr. subst.

Lib. V. p. 339. A. ed. Almel. Καὶ οἱ τὴν Ἀτθίδα συγγράψαντες ἱστοροῦσι περὶ ΤΩΝ ΠΕΛΑΣΓΩΝ, ὡς καὶ Ἀθήνησι γενομένων ΤΩΝ ΠΕΛΑΣΓΩΝ. Sic exhibetur hic locus in recentissima etiam editione Siebenkeesii et Tzschuckii: sed parum equidem dubito, quin pro posteriori isto τῶν Πελασγῶν Strabo scripserit αὐτῶν, et lectoris alicuius manus interpretationis causa in margine alleverit τῶν Πελασγῶν, quod interpretamentum deinde in texta admissum genuinam expulisse videtur lectionem αὐτῶν.

L. VIII. p. 580. B. Ἀγαπητὸν οὖν ἑκατέροις ἦν τοῖς τε ἐκ τῆς Ἀσίας, καὶ τοῖς ἐκ τῆς Ἰταλίας ἐμπόροις ἀφεῖσι τὸν ἐπὶ Μαλέας πλοῦν εἰς Κόρινθον κατάγεσθαι τὸν φόρτον αὐτόθι· καὶ πεζῇ δὲ τῶν ἐκκομιζομένων ἐκ τῆς Πελοποννήσου, καὶ τῶν εἰσαγομένων ἔπιπτε τὰ τέλη τοῖς τὰ κλεῖθρα ἔχουσι. Hic non modo vitiosa interstinctio, verum etiam τε perperam in δὲ mutatum alienoque loco insertum est: corriges igitur hunc in modum: Ἀγαπητὸν οὖν ἑκατέροις ἦν, τοῖς τε ἐκ τῆς Ἀσίας, καὶ τοῖς ἐκ τῆς Ἰταλίας ἐμπόροις, ἀφεῖσι τὸν ἐπὶ Μαλέας πλοῦν, εἰς Κόρινθον κατάγεσθαι τὸν φόρτον· αὐτόθι καὶ πεζῇ τῶν τε ἐκκομιζομένων ἐκ τῆς Πελοποννήσου, καὶ τῶν εἰσαγομένων ἔπιπτε τὰ τέλη τοῖς τὰ κλεῖθρα ἔχουσι.

Ibid. p. 581. B. Ὄρος ὑψηλὸν ὅσον τριῶν ἥμισυ σταδίων ἔχον τὴν κάθετον, τὴν δ' ἀνάβασιν καὶ τριάκοντα σταδίων, εἰς ὀξεῖαν τελευτᾷ κορυφήν. Mons, cuius hic altitudinem Strabo metitur, est Acrocorinthus; sed nescio an ἥμισυ σταδίων mutandum sit in ἡμισταδίων, ut sesquistadii perpendiculum, quod τρία ἡμιστάδια conficiunt, exprimatur. Vocabulum ipsum ἡμιστάδιον legitur apud Lucian. T. III. ed. Amstel. p. 260. § 17.

L. IX. p. 663. D. Ἡ δὲ Πίνδος ὄρος μέγα, πρὸς ἄρκτον μὲν τὴν Μακεδονίαν, πρὸς ἑσπέραν δὲ Περραιβοὺς, μετανάστας ἀνθρώπους, ἔχουσα, πρὸς δὲ μεσημβρίαν Δόλοπας· αὕτη δ' ἐςὶ τῆς Θετταλίας. Pro αὕτη legendum puto αὐτὴ, ut sit *Pindus ipse*, atque sic etiam reddidit interpres latinus. Eadem horum pronominum vitiosa permutatio reperitur XIII. p. 906, quem locum paulo post corrigere tentabimus. Θετταλία autem videtur h. l. esse *Thessaliotis*, quam saepe simpliciter dictam esse Thessaliam, Cellarius iam monuit in Not. Orb. Ant. p. 1060. Strictiori sensu Θετταλία accipienda videtur esse libro etiam V. p. 338. A. ubi haec: καὶ τὸ Πελασγικὸν Ἄργος, ἡ Θετταλία λέγεται, τὸ μεταξὺ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Πηνειοῦ καὶ τῶν Θερμοπυλῶν, ἕως τῆς ὀρεινῆς τῆς κατὰ Πίνδον, διὰ τὸ ἐπάρξαι τῶν τόπων τούτων Πελασγούς. Ad λέγεται intelligitur ἀφ' Ὁμήρου, ut patet ex VIII. p. 568 A. Τὴν γοῦν ὁμωνυμίαν τοῖς ἐπιθέτοις διαςέλλεται (Ὅμηρος,) τὴν μὲν Θετταλίαν Πελασγικὸν Ἄργος καλῶν. (Il β, 681.)

Νῦν δ' αὖ τοὺς, ὅσσοι τὸ Πελασγικὸν Ἄργος
ἔναιον.

Hic Strabonem erroris arguere vult Schlichthorstius in Geogr. Hom. p. 21. et 97, quod Πελασγικὸν Ἄργος de universa Thessalia acceperit, cum tamen de urbe

urbe tantum Thessaliae, non multum ab antiqua Hellade remota, intelligendum sit, quoniam h. l. Homerus eius tantum regionis Thessalicae, quae paruerit Achilli, urbes recenseat. Schönemanno etiam in Geogr. Hom. p. 73. Πελασγικὸν Ἄργος urbs est. At, si quid sentio, iniuria fit Straboni, namque ei *Thessalia* h. l. non est *universa Thessalia*, ut ex limitibus iam intelligitur, Thessaliae hic ab eo positis, qui multo arctiores sunt universae Thessaliae finibus, vid. IX. p. 657. B. sed *Thessaliotis cum Dolopia et parte Phthiae*, seu *omnis illa Thessaliae pars, quae Achillis parebat imperio, latissime patens.* Cf. Schöneman: Geogr. Hom. p. [illegible]. sqq. et Strothius in Comp. Geogr. Ant. T. I. P. II. p. 746.

L. X. p. 711. B. Ἔφορος δὲ τοὺς Αἰτωλοὺς ἔθνος εἶναι μηδεπώποτε γενόμενον ὑφ' ἑτέροις· ἀλλὰ πάντα τὸν μνημονευόμενον χρόνον μεμενηκὸς ἀπόρθητον· διὰ δὲ τὰς δυσχωρίας τῶν τόπων, καὶ διὰ τὴν περὶ τὸν πόλεμον ἄσκησιν, ἐξαρχῆς μέν φασιν ἅπασαν τὴν χώραν Κουρῆτας μετασχεῖν· ἀφικομένου δ' ἐξ Ἤλιδος Αἰτωλοῦ τοῦ Ἐνδυμίωνος, καὶ τοῖς πολέμοις κρατοῦντος αὐτῶν, τοὺς μὲν Κουρῆτας εἰς τὴν νῦν καλουμένην Ἀκαρνανίαν ὑποχωρῆσαι. — Παρατίθησι δὲ καὶ τὰ τούτων μαρτύρια κ. τ. λ. Hic primum vitiosa interpunctio corrigenda; cola enim post ὑφ' ἑτέροις et ἀπόρθητον mutanda sunt in commata, comma autem inter ἄσκησιν et ἐξαρχῆς in punctum. Deinde pro διὰ δὲ τὰς δυσχωρίας legendum διά τε τὰς δυσχ. tum pro ἐξαρχῆς μέν φασιν scribendum Ἐξαρχῆς μέν φησιν, ut istud φησιν referatur ad Ephorum, cuius h. l. sententiam exponit Strabo. Neque ad alium quam ad eundem Ephorum pertinet sequens verbum παρατίθησι. Quid? quod eadem haec pag. sequente prope verbotenus repetita nominatim Ephoro

tribuntur: Εἰπὼν γὰρ (Ἔφορος) ἀπόρθητον ἐκ τοῦ μνημονευομένου χρόνου παντὸς τὴν Αἰτωλίαν· εἰπὼν δὲ καὶ ἐξ ἀρχῆς τὴν χώραν ταύτην τοὺς Κουρῆτας κατασχεῖν κ. λ. Denique lectio vulgata τὴν χώραν Κουρῆτας μετασχεῖν cedere debet scripturae codicum Mss. κατασχεῖν, quae, ut modo vidimus, pagina sequente, eadem haec repetente, recte legitur in texto. Caeterum ad prima periodi verba Ἔφορος δὲ repetendum est λέγει ex antecedente voc. λεγέτωσαν.

L. XIII p. 900. C. Ἔςι δ' ἡ μετὰ τὴν Σιγιάδα ἄκραν καὶ τὸ Ἀχίλλειον ἡ Τενεδίων περαία τὸ Ἀχαιὸν, καὶ αὕτη ἡ Τένεδος. Male hic post περαία comma omissum est. Deinde pro δ' ἡ legendum δὲ, et Σιγειάδα, ut est p. 890 B. pro Σιγιάδα, et Ἀχαιΐον, ut p. 891 C. pro Ἀχαιὸν, et denique αὐτὴ pro αὕτη, ut sit ipsa Tenedos. Cf. monita ad IX. p. 663.

L. XIV. p. 952 B. Ἐκτήσαντο δέ ποτε καὶ ναυτικὴν ἀξιόλογον δύναμιν. Κολοφώνιοι καὶ ἱππικὴν, ἐν ᾗ τοσοῦτον διέφερον τῶν ἄλλων κ. λ. Perversa huius loci distinctio in oculos incurrit; punctum enim post δύναμιν plane delendum, et post Κολοφώνιοι comma ponendum est.

IX.

Frid. Aug. Wolfii, Prof. Hal. in Taciti quosdam locos animadversiones, in Catall. nonnullis lectt. Halenss. prolusionis loco exhibitae [1]).

Taciti Annal. I, 1. *donec - deterrerentur*. Generosi spiritus scriptores si adulatione saeculi *deterrentur* a tractando opere *periculosae aleae plenissimo*, si id aliorum curis aut cupiditatibus relinquunt, nihil ipsi suo decore et persona indignum faciunt: at si *deteruntur* communi labe, infectique accedunt ad scribendum, vix eos decoro nomine dignos habeas. Iam quum Histor. I, 1. post Actiacam victoriam dicantur magna ingenia *cessisse*, ibi prius illud, non hoc indicari apparet. Nam de ipsius Augusti principatu et extremis quidem annis eius, intelligenda sunt verba, *donec gl. adul. deterr.*, non de rebus insequentium principum. Adeo Velleium, ut nonnulli suspicantur, neutra lectio tangeret. Muretus autem non est audiendus, cui verbum *deterendi* venustatem trahere ex contraria notione *gliscendi* videbatur. Quippe falso acumine adscita foret talis comparatio. Denique cogitetur etiam absurda iunctura: *Exstiterunt ingenia decora, donec fierent deteriora.*

1) Comparari possunt cum nonnullis locis *Tho. Wopkensii* Animadvv. Critt. ad Taciti Opp. in Act. Soc. Traiect. T. II. p. 19. ss.

I, 1. *ob metum falsae.* Non magis placent Latine *res falsae compositae*, quam *fallere res gestas s. historiam*, quod posterius prorsus nihili est. Nimirum esset aliquid, si *falsae* eum haberet sensum, quo barbare *falsatae.* An igitur *falso* legendum vel potius *false?* Forma haec proba est et priscae Latinitatis, quam Tacitus amat impense. Iam huic adverbio commode reddatur ablativus adverbialis, recentibus odiis.

I, 3. *etiam dum.* Scrib. *etiam tum*, i. e. *tum adhuc*, uti vulgus loquitur. *Eod. Collega imperii.* De Tiberio agitur, qui se in partem principalium curarum ab Augusto vocatum ipse testatur c. 11. Eam ad rem satis est laudare Velleji II, 121. et Sueton. Tiber. c. 21. Quippe ibi narrata, quae, si recte interpretamur Velleium, ad A. U. 765 pertinent, hanc *Collegae* appellationem vel certe vim eius designant. Nam nomen hoc fortasse isto tempore non fuit in usu publico. Cf. Dio Cass. LVI, 28. ad a. 766. *Perpetuum* autem *imperium proconsulare*, quod Ern. huc trahit, an nunquam Tiberio datum sit, dubitamus; ea quidem vi, qua id primum Augustus, mox Germanicus accepit. Vid. Dio Cass. LIII, 32. Quodsi datum esset lege, per Coss. lata, appellationem illam haud dubie adiecisset eorum aliquis scriptorum, quos supra nominavi. Itaque etiam ad Suet. l. c. errare opinamur Interpretem. Quid vero hic ad Tacitum dicat, vix satis assequimur. *Imperatoris* etiam nomen, quod paullo ante memorabatur Tiberio Drusoque simul tributum, nunc iterum inculcari non potuit; neque ei rei nomen *Collegae* conveniebat.

C. 4. *princ.* omnis scrupulus eximetur virgula, quae *aegro* praefigitur, deleta. Tacito aliisque istius aetatis nihil tritius est postposito *et*, non ad morem

poëtarum, sed ut sit *etiam*, *adeo;* quo significatu nondum utitur saeculum Ciceronis. Provectior aetas Augusti *etiam* morbis conflictabatur. Sic duo membra apte constringuntur in unum Freinshemii coniecturae, *animo* allinentis, atque exemplo Livii XXXVIII, 29. ipsius exemplum Freinshemii obverti poterat Supplem. Liv. LXXXIX, 37. Nec rectius Wopkensius coniecit, *postquam proveсtâ iam senectute aeger*, et corp. f.

Eod. premantur. Favet huic lectioni non tam alius locus (Hist. I, 26.) quam ratio rei ac proprietas sermonis. Vitia animi premere, virtus est: id vero est coercere ea et compescere: at significationes eorum nobis incautis et imprudentibus erumpentes premere, h. e. occultare et oculis hominum subducere, simulatio est virtutis. Haud abnuerim, figurate etiam alterum dici posse, sensu eodem, sed in alia collocatione verborum.

C. 5. veram scripturam praestamus, *acribus custodiis*. Apud Liv. XXXIX, 19. est *custodia intentior*, voce plane συνωνύμῳ. Mox pro *firmatus animo* fortasse leg. *animi*. Certe ita a Sallustio, Taciti deliciis, construebatur *firmatus*, teste *Arusiano Messio* libro Elocutt. Ibidem *aegre* est de obnitente praevalido homine, et, quantum nudis manibus poterat, ictus reddente. Cf. Annal. XVI, 9. Falso Brotierius centurionis misericordiam cogitabat.

C. 6. vulgatum *nuncianti* tenendum putamus. Legitima enim et propria haud raro optimi scriptores spernunt consulto: idque h. l. promptius erat ob memoratum *morem militiae*. Ita inferius *Virgines Vestae* vocantur, quae *Vestales* sunt publico vocabulo: adeo, ut Dionysio Hal. opus videretur, facere τὰς Ἑςιάδας. Accedit, quod verba simplicia more poëta-

rum praeferuntur saepe compositis. Ut c. 7. *posuit editum* est *proposuit*, quod ipsum ibi sine causa legere volebat Muretus. Ceterum Suetonium c. 22. et alios tenuioris generis cum centurionibus loqui facile patimur.

C. 7. in verbis, *neque abscedere a corpore ne corpus* ad celebrationem funeris aut Tiberii ea super re sermonem in Senatu habendum cum Ernestio trahamus, tum Latinitatis usus vetat, tum locus a Lipsio laudatus aliusque Curtii X, 7. extr., denique tempus instans verbi *abscedere;* quod, ut tempora licenter mutet Tacitus, certe isto sensu adhibiturus non fuerat. Illa vero palmaria observatio est Boecleri, postremi membri sententiam rursus revolvi ad primum, quasi illud de custodia cadaveris interiectum sit. Itaque hoc dicit Tiberius: „relaturum se de sepultura patris, cuius corpori ut assideret, pietatem poscere; hanc Senatus convocationem unum esse ex Senatoriis s. Tribuniciis muneribus, quo fungi animum induxerit; idque omitti sibi non licere, quoniam ad Augusti honorem pertineat.“ Hac oratione quid modestius esse potest in eo, quem successorem imperii sperabat Senatus metuebatve? Iam gravis significatio latet in ista παρενθήκῃ, eo spectante nimirum, ne quis illum iam nunc aliquid moliri suspicetur ad occupandam rem publ. videantque omnes, nihil nunc ei potius cura venerandi corporis esse, sive custodiendi sive comitandi. Hoc enim edictum fortasse Nola vel ex via Romam misisse putandus est. Nola missi sunt, qui Agrippam necarent; Nola sunt mandata ad exercitus distributa; iam Nolae quodammodo aula fuit. Quippe haud paucos intra dies omnia illa peracta esse arguunt Kalendaria vetera. Postero statim die, quam corpus in Urbem illatum erat, hic senatus agebatur. Vid. Dio Cass. LVI, 31. LVII, 2. sq.

C. 8. *legionariis autem cohortibus civium Rom. CCC numos viritim dedit.* Haec usitata hodie scriptura est, cuius depravationem unus acute sensit Gronovius pater, sed nemini adhuc auditus. Quod antequam persequamur, monendum est, *pecuniae populo plebique legatae distributionem* ita intelligendam esse, ut, quod princeps donarat populo, in aerarium delatum sit ad publicos usus; quod plebi, tributim vel vicatim pernumeratum. Qua de re cur Lipsio secus videatur, non reperimus. Iam in proximis, duplici modo corruptis, unicus Cod. Flor. habet *legionariis aut coh. civium Rom. CCC.* ubi ex vocula *aut* Beroaldus fecit *autem*, admodum pingui Minerva. Inde qui fluxerint novi errores, verbo attigisse suffecerit. Freinshem. legebat *legion. autem et cohort.* Ernestius vero fideliter sequitur Beroaldum, copulam *et* a Tacito omitti potuisse putans. Id vero, etsi per se verissimum, h. l. ineptum esse sentiet, quisquis verba legerit, ut decet, sublatis notis interpunctionis. Tum ipsa adversativa *autem* frequentissima illa apud Ciceronem, adeo Tacitus parce utitur, ut eam ne semel quidem in hoc toto libro posuerit. At, inquit iste, error forsitan fuerit aut negligentia Taciti, cohortes urbanas et milites legionarios uno ordine habentis, quum hos aliquanto minus quam illas accepisse ex Suet. Aug. c. 101. et Dione 56, 32. constet. Quem ad Dionis locum Reimarus aliud quiddam notat, a Tac. omnino praetermissas cohortes urbanas; ut ille adeo legendo coniunxerit *legionariis cohortibus*, quae ratio, olim pluribus probata, legionem antiquam cogitanti facile in mentem venire potest. Verum huc nullo modo pertinent *legionariae* illae *cohortes*, distinctae ab *alariis* i. e. *cohortes Romanae*, legionibus attributae, a *peditibus sociorum*, qui pugnabant in

alis; hic *cohortes civium Rom.* nullae aliae sunt, quam quae vulgo *urbanae* vocantur, quas sive *tres* sive *quatuor* numero, Augustus, quum politiam ordinaret, una cum 7 cohortibus vigilum custodiendae urbi instituerat. Cf. Annal. 4, 5. et Dion. 55, 24. ibique Reimar. Hos igitur *urbanos* milites in Augusti testamento lautius tractatos esse legionariis, prudentem scriptorem eo minus latere potuit, quia eadem ratio fuerat testamenti Tiberiani, Dion. 59, 2. Neque negligentiam aut errorem obrepsisse verisimile est in re gratissimae apud vulgus memoriae. — Non defuerunt etiam, qui illud Codicis *aut* defenderent, sicut Gronov. filius et editor Bipontinus, qui ei particulae vim simplicis copulae tribuunt, locis quibusdam perperam intellectis decepti. Denique Broterii levitas non magis, quam reliqua commenta, veram attingit difficultatem. Id una fit felicissima Gronovii maioris emendatione, quae ex depravato isto *aut* elicit numeralem notam CCC, atque simul proximo versu CCC mutat in CCCCC. Notae istae numerorum foede a librariis modo confusae sunt inter se, modo in vocabula indoctissime mutatae. Sic alicubi *ecce* ortum est ex CCCC, sic alia nata etiam ineptiora monstra.

C. 15. *qui fecere* nulli possunt alii esse, quam Triumviri; ex quo sententia nascitur, in quamcunque partem traxeris, inepta et imperfecta. Restituitur autem simul et veritas et gravitas Mureti coniectura *cepere*; cui a Bipontino editore futiles ratiunculae quaedam oppositae sunt. Abuti iste speciosius poterat simili loco Hist. I, 6. ut vulgatum dici videretur de mensoribus ex partibus Triumvirorum. Sed cui placere hic potest horum operarum mentio? Immo quod in tali genere largitionum Cicero de Off. II, 22. accidere ait, ut eas plerumque sperata gratia non sequatur, id

in illa agrorum divisione accidisse, clare testatur Suet. Aug. c. 13. Ita ad probabilitatem ex ipsius rei natura accedit etiam diserta probati testis auctoritas.

Eod. *qui Tedii et V: P. luxus.* Illi pronomini nullus hic locus est, nulla adeo auctoritas: nam in uno, cui hos priores libros debemus, Cod. legebatur *nuberetque Tedii.* Unde certissima emendatione scribendum esse *Quinti,* facile coniiciat, quisquis Latinos codd. versavit. Nam eo modo saepissime depravatur illud praenomen; tum omnino abesse tale nomen hic non potest. Sed Bipont. iste editor, acutius nimirum cernens, post longae disputationis taedium nos donat coniectura sua, *nuptaeque taedia.* Haud vidi magis: hoc, opinor, nemo non videt, malevolis vulgi linguis unum exemplum luxuriae satisfacere non potuisse. Ceterum de altero nomine, ac persona *Tedii* s. *Atedii* nihil compertum habemus. Nec lubet, nobiles popinones omnes simili nomine exagitare ex lustris suis, hoc ipso *Tedio* nihilo notiores. Si tamen similitudo nominis sufficiat, ex proximo ceperim Q. *Pedium,* Augusti coheredem (Suet. Caes. c. 83.) cui nebuloni nullus Intpp. adhuc manum iniecit.

C. 16. *in verbis, mox celebratio annuum ad praetorem translata,* veterem lectionem sibi reduxisse videtur Ernestius, quam nos vetus vitium putamus. Quod enim Cod. praebuit *annum,* non *annuum,* sed *annua* legi oportebat. Ferri posset, si scriptum esset, *annuum magistratum:* nunc vero nomine magistratus addito frigidum et absurdum fit adiectivum; idque sibi ipsius sententiae vi adsciscit *celebratio.* Nempe qui alteri scripturae favebant, errabant in eo, quod ludos illos iam ante hoc Senatus decretum statos et quotannis celebratos crederent. Id autem non liquet ex locis Dionis Cassii, LIV, 10. et 34. LV, 6. 29. 46. et 29.

Sed ut illud pro certo sumamus, quotannis celebratos ludos esse, (credibilem rem facit adulatio saeculi,) ex uno tamen istorum locorum plane apparet, a. U. 743. a Senatu nihildum constitutum vel ordinatum fuisse in singulos annos. Nec, si ita esset, fieri potuisset, ut nunc, quasi nihil actum esset, Tribuni pl. operam suam et sumptus offerrent aut de modo celebrandi ulla consultatio apud Patres oriretur. Aliud quiddam, quod nostrae scripturae firmandum fuerit, contra Lipsium afferemus ad c. 54. Iam una restat dubitatio, a Freinshemio mota. Putat is, infectum verbum *vocarentur* ex obliqua oratione pendere, ne Augustalia tum demum in fastos relata nomenque adepta videantnr; petitionem eius generis modum Tribunorum egressuram; itaque eos dixisse *ludos qui — Augustales vocantur.* At haec sermonis ratio, apud Ciceronem certissima, multum cautionis habet in Tacito. H. l. certe, si illud voluisset, simpliciter *Augustales* scripturus fuisset. Nec videmus, quae lex aut consuetudo magistratum, qui ius relationis haberet, ab illa re addenda absterrere potuerit. At Dio repugnat, aiunt. Nondum credimus. At licet repugnet is, qui Augustalium nomine tam parum accurate utitur, ut quamvis prope diem, in Augusti honorem celebratum, ita appellet. Cf. Fogginius de Fast. Praenest. p. 133.

C. 54. Lipsii emendationem, *coepta,* editores omnes assumpserunt in ordinem, Tacito ipso infra auctore, aiunt. Quid ille affert infra c. 77? Nempe *hoc anno coeptam theatri licentiam.* Tamne sero, et universam? Licentiam histrionum et fautorum iam dudum sub Aug. pantomimorum amatore studiosissimo invaluisse, et ipsa res et historiae loquuntur. Iam Horatius plebem in theatro viderat *depugnare paratam, si discordaret eques.* Minime ergo totum hoc genus

licentiae *tunc invectum* dici potuit, quum ludi Augustales darentur; sed hos ludos *tunc primum institutos* turbavit discordia quaedam. Hoc affert vetus lectio, quam non solum ferendam, sed coniecturae etiam praeferendam censemus. Nam *primum coeptos* licebat dicere *ludos*, qui tunc primum solemni modo acti, et sive celebrati novum in modum, sive instaurati a Senatu essent. Non enim est dubium, quin hi iidem ludi sint, quorum pars, Circense ludicrum, supra c. 15. in hunc annum Tribunis pl. concessum dicebatur.

C. 59. *hominem.* Grotius *homines*, quam quidem rationem ornavit Gronovius eleganterque explicuit. Verum illud miramur, qui ei probari potuerit languidissime additum *homines*, quod nusquam ap. Tac. ita legi contendimus. Primum vero vitiosum esse *hominem*, nemo dubitabit. Nam oratio statim conversa ad *rem*, quae inexcusabilis dr., *hominis*; cuius illud commissum sit, commemorationi repugnat; quatenus obiectivus casus inest his ipsis, *Quod — viderint.* Quanquam id ferendum esset, si huius verbi loco legeretur *adduxerit* aut simile quodpiam, quod a Segeste penderet. Etiam hoc argueris, quam ridicule loquatur Arminius, qui optare videatur, ut invisus socer excusationem et veniam impetret? Praeterea alia quoque parte laboramus in hoc loco, siquidem *sacerdotium* sic nude prolatum loquentis animum non explet, et excidisse videtur aliquid, quod peregrinae religionis contemptum indicaret. His incommodis omnibus medebitur coniectura nostra: *Redderet filio sacerdotium Romanum: Germanos etc.* Nunc demum verbum *accusandi* nativa fungitur potestate, quam obscurare temere volebat Gronovius; simul ita vis et vigor redditur sententiae.

C. 70. ubi nunc ex Lipsii coniectura legitur *sa-*

piens ab imprudenti, Cod. habuit *a prudenti*. Hoc forsan uno Lampugnani larva, cum Lips. pugnans, proxime accessit ad verum. Leniter ea correxit *sapiens ab rude*. Sed ex bonorum scriptorum observatione et regulâ Plinii mai. apud Charis. I. p. 114. ac Prisciani VII. p. 767. debebat esse *rudi*. Inde vitio irrepsisse videtur *aprudi*, tum corrector aliquis dedit *a prudenti*.

Qui vulgo Taciti operibus subiungitur, libellus de *Eloquentia*, etsi grandi illius ingenio indignus, neque nostro quidem iudicio a Quinctiliano, ut plures olim putabant, nec a Plinio minore compositus, tot praeclaris sententiis et locis refertus est, unde vel litterarum Romanarum sub primis Caesaribus conversam faciem intueri, vel saluberrima monita de optima educationis et institutionis ratione haurire licet; omninoque, si non universus, in partibus tamen tantum laudis meretur, ut tam multis ulceribus atque adeo mutilatione foedatum doctissimus quisque merito doleat. Quorum vitiorum partem quum feliciter exemerint *Lipsius*, *Muretus*, *Acidalius*, *Gronovius*; tantum abest, ut ceteri illorum vestigia secuti sint aut felicitatem imitati, ut ne paratas quidem ab iis copias omnes ad emendandum et explicandum adhibuisse reperiantur. Itaque plura etiamnum in *Ernestino* exemplo leguntur vitiose, quae ex prioribus quibusdam corrigere facile fuisset, alia temere in suspicionem adducuntur, nec pauca denique sunt, in quibus accurati et sollertis interpretis operam desideres. Qui autem paullo ante *Ernestium* et post eum ad hoc opus accesserunt, magnopere veremur, ne ii studii

atque industriae plus quam facultatis et artis attulerint.

Ex isto triplici genere promiscue nunc exempla quaedam dabimus.

C. I. *Nostra potissimum aetas deserta et laude orbata.* Hic omnis emendandi labor frustra sumitur. Nam primum adiectio *eloquentiae* in Mss. Vatic. glossam sapit; ut Ernestii librarium, qui non recepit, potius quam ipsum, qui recipi iussit, sequendum censeamus. Et sustinent illi codd. alibi quoque suspicionem glossarum. Ut c. 32. ubi ante *quidquid* nihil addi opus, non *inquit*, non *ait*, non denique *refert*, quod indidem expromit Broterius. Nihil omissione horum verborum usitatius est huius aetatis scriptoribus. *Disertum* autem in priorem locum statim inferre pro *deserto*, quod plures volebant, anticipatio est doctae auri molesta. *Deserta aetas* ut locus dr. a paucis cultus, *comparatis multorum olim oratorum ingeniis.* Sic *gloriae* redditur *aetas laude orbata.* Honore artis amisso, ait, cessere etiam, qui artem tractarent, ita ut nunc ne artificis quidem nomen relictum sit. — Paullo post praeferimus lectionem *existimandum habeam.* Tuetur eam libri cetera boni fides, estque multo aptior loco, et doctior quam pro ingenio librarii. *Habere dicendum, existimandum* etc. genus loquendi est, Ciceronis saeculo prope ignotum, ad huic nostro scriptori et aequaevis valde adamatum. Vid. c. 31. 36. et Intpp. ad Plin. Epp. I, 7. extr.

C. 5. *Ego enim, quatenus arbitrum litis huius inveni — excogitari potest.* Olim plures spinae in hoc dumeto haerebant: restat post palmarium inventum Pithoei adhuc una, sed insignis. Mirum in mo-

dum languet illud *quatenus*. Esse id *quoniam*, *quandoquidem*, nemo nescit. Ita iam Horat. Serm. I, 1, 64. ubi iunge, *Libenter quatenus*. Sed requiritur h. l. pronomen personae. Amplectimur ergo Mureti corr. *Quando te nunc arbitrum — inveni*. Codicum compendia et ductus litterarum qui norit, hoc ipsum per vulgaris scripturae vestigia agnoverit. — Mox eodem auctore scribamus *omittit studium*. Sane dr. *spem amittere*, drr. similia: *amittere studium* an Latinum non sit, dubitamus. — C. 18. recte praefertur ex Mss. *vocaverimus* i. e. vocare licet; nec defendi potest vulg. *vocaremus*. Longe alia ratio est enuntiatorum, ubi boni scriptores imperfecta ponunt, Cicero in primis, cuius usus viro summo et hic et alibi saepe fraudi fuit. Sed haec res et usus omnino a Grammaticis subtilius declarari debuit, quam adhuc factum est, etiam respectu diversarum aetatum linguae Lat. — C. 37. idem dubitat de forma *clientulus*, corrigens *Ne clientelarum loco potius quam patronorum numerarentur*. Non dicam huic coniecturae adversari relatum patronorum: certe priscis in usu fuit *clienta*, Asconio *clientula*. *Clientus* quidem fortasse non fuit; sed meminerimus, ab *infante* esse *infantulum*, ab adolescente *adolescentulum*.

Difficilior locus est c. 24. omnibus suspectus: *Cum praesertim — ratio temporum collegerit*. Hic alii *Apri* nomen adscribi volebant: alii id nomen subaudiendum putabant. Alterum violentum esset, alterum genio linguae contrarium. Non *oculis nutuque*, ut ille ait, Latini loquuntur pro substantivis. Nec par exemplum c. 25. extr. Vel una analogia fretus, Latine bene dici statuerim, *ratio colligit*, eo sensu, quo Germ. *die Berechnung ergiebt*. Sicut enim in dialecticis dr., *ratio efficit*, *vincit*, *constat* etc. ita

in alio genere ratiocinandi, usu numerorum, iisdem formulis locus esse debuit. Quippe hic fons translationis. In numeris autem proprium *colligere:* fere semper quidem de ratiocinatore, at etiam, ut opinor, de ipsa ratione. Simillime Plinius Epp. 2, 19, 9. *Omnes in utraque parte calculos pone, idque elige, in quo vicerit ratio.* Ceterim hic Apri c. 17. putidam in temporibus computandis sedulitatem agitari, manifestum est. Iam quid tandem in principio est, quod frigeat? *Tantum* subauditur, ut saepe fit. *Praesertim* vero propter ipsam paucitatem annorum adiectum est.

Sunt alia, ut diximus, ubi vera lectio ex priorum et meliorum exemplarium comparatione facile erui poterat. Itaque c. 9. leg. *Saleium nostrum, egregium poëtam,* pro inepto isto per tot libros vulgato, *S. nostrorum egregium poëtam.* C. 15. *Contentus* mutandum in *contentis.* Qui *contentum* vocarit contenta voce loquentem, neminem scimus, ne poëtam quidem: nec vero illud huc pertineret. De commotis plausibus auditoriorum sermo est, non de Stentorea rhetoris declamantis voce. C. 30, quivis sponte ex Cic. suo corrigat *Diodotum* pro *Diodoro.* Ex eadem classe vitiorum illud est, quod tamen Lipsianas omnes ac deinde reliquas occupavit, c. 15. *Maligni in iis opinionem non verebaris.* Pro istis Acidalius coni. *iudicis,* emendatione satis facili, ut ipse autem appellabat, eleganti. Sed elegantiam quidem mallemus cuiuspiam boni auctoris exemplo quam tali praeconio probavisset. Nobis de elegantia contra videtur. Propiorem et vere Latinam lectionem servant plures vett. edd., postea diductam vitiatamque sola fortasse culpa operarum, *malignitatis opinionem.* Id primum conspectum nemo non simul verissimum iudicaverit.

Similis corruptio et emendatio Acidalii c. 10. ubi vulgo: *Hinc ingentes ex his assensus.* Ibi ille, *exsistere assensus.* Quod cum Gronovio tum ferremus, si ex vitio isto nihil melius et sententiae convenientius elici posset. Nam *exsistere*, si quid sentio, h. l. animum legentis non explet. Scribendum conieci, *Hinc ingentes exciri assensus*, *haec in ipsis auditoriis praecipue laudari* etc. Sic Curtius et alii huius saeculi eo verbo utuntur. Ceterum totus locus, dubitari licebit, an hodie non satis integer legatur. Quippe hiat quodammodo, quod mox sequitur, *Tolle igitur.* Sed de hoc genere plura insunt libello, vix sine locupletioris codicis ope sanabilia.

X.

X.

Recensio breuis philologg. librorum, proximo anno editorum.

Non ingratum erit, de iis exponi breuissime, quae praeterlapso anno saeculi superioris postremo, et paulo ante, et de philologia veterumque scriptt. studiis disputata sunt, et ad iuuandam lectionem atque interpretationem adlata.

Et quatuor quidem lustra postrema superioris saeculi (1776—1796.) persequi ita coepit *Brehmius*, Prof. Philos. extr. Lips., opere satis grandi, nec adhuc absoluto, ut cum scripta ad litteras graecas et latinas omnino pertinentes enumeraret, tum editiones scriptorum, versiones eorundem, et libellos, quibus illustrantur, laudaret. Inscribitur opus ita:

Bibliographisches Handbuch der gesammten neuern, sowohl allgemeinen als besondern griechischen und römischen Litteratur. Von Georg Niklas Brehm. Erster Theil. Allgemeine griech. und röm. Litteratur. Leipzig, bei Casp. Fritsch. XXIV. 792. pagg. 8. mai.

Zweiter Theil. Besondere griechische Schriftstellerkunde. L. 1800. VI. 753. pagg.

Priore volumine recensentur scripta 1. ad historiam Gr. et Latt. 2. ad geographiam eorundem. 3. ad notitiam populorum, 4. ciuitatum, 5. religionum, 6. omnis cultus Graecorum et Romm. Tum sect. 7. scripta, quae ad artis Graecorum et Romm. notitiam omnino et sect. 8. quae speciatim eo pertinent, indicantur. Porro 9.

libri de linguis Gr. et Lat. omnino, 10. Lexica, 11. Grammatici libri, 12. in quibus de methodologia istarum linguarum agitur, 13. exegetici, 14. anthologici, 15. ii, qui de classica litteratura omnino exponunt, enumerantur, ex illo, quod supra indicauimus, viginti annorum spatio. Secundo volumine coepit Editor *alphabetico ordine* scriptores Graecos, eorumque editiones et alia ad eos pertinentia scripta recensere, non exclusis Christianis scriptt., quos *ecclesiae patres* appellant. Primus in hoc vol. est *Achilles Tatius*, ultimus *Horapollo*. Ut autem editorem multam impendisse huic operi laborem et diligentiam, neque magnopere reliquisse quae supplerentur, grati fatemur: ita visa est eius opera utilior etiam futura fuisse, si brevitati magis studuisset et in rebus quae afferuntur (nam leguntur, quae in Bibliotheca uniuersa horum scrr. potius quaerantur) et in oratione, si curasset, ut in libro describendo chartis magis parceretur, si laudasset, qui vere de libro quodam aut editione iudicarunt, et quaedam ei addiderunt. Non satis nobis clarum fuit, utrum liber in iuniorum usum scriptus esset, an provectiorum, philologorum. Illis iusto copiosior videri potest, his redundare notissimis admonitionibus, utrisque carior, quam plerorumque facultates patiuntur. Caet. de *Tzetzae* Antehomericis T. II. p. 747. perperam dicitur, esse nouam operis noti editionem. Nam *Iacobsius* primum illud carmen e codd. edidit. Potueramus et de primi Vol. locis nonnullis disputare, si id consilium sequi placuisset.

Duorum lustrorum (1785—1795.) libros philologicos brevissime, sed accurate indicavit, ita ut et inscriptiones plenas afferret, et pretia quibus libri venduntur notaret, et laudaret praestantissimos criticos libros, in quibus de illis exponitur, illud Re-

pertorium, quod Ienenses suis addiderunt ephemeridibus, inscriptum:

Allgemeines Repertorium der Litteratur für die Iahre 1785 — 1790. *für die Iahre* 1791 — 95. 4.

et quidem particula II. quae inscribitur: *Philologische Litteratur von* 1785 — 1780. — *von* 1791 — 95. Singulae enim particulae, quod utilissimum est, separatim venduntur, totumque opus cum descriptione partium et locorum, tum diligentia et copia ita commendatur, ut quisque litterarum iustus arbiter eam velit operam continuari.

Nuper admodum duae Commentationes *Christiani Danielis Beckii* philologiae fata inde a superioris saeculi initiis ad eius usque finem persecutae sunt. Utraque communem habet inscriptionem: *Praemissae sunt Observationes critico-exegeticae*, III. et IV. (nam primum earum specimen a. 1795., secundum 1799. prodierat.) Altera, qua ad memoriam Grafianam recolendam d. XIV. Febr. MDCCCI. invitatur (XV. pagg. 4.) continet Obs. V. *Recognitionem iudiciorum de philologia et classicorum auctorum lectione.* Primum exponitur, quid in utramque partem disputatum sit de studii philologici lectionisque vett. scriptt. necessitate et utilitate, de qua cum male statuissent nonnulli, horum iniquorum iudiciorum causae examinantur quatuor: 1. quod (controversia iam a. MDCLXXXVII. — ita enim pro MDCLXXVII. legendum - orta) recentiores scriptores veteribus omnino praeferri coeperunt, ab aliis inepte veteres defendi; 2. quod solidioribus disciplinis philologica studia variis modis nocere putarentur; 3. quod pueris ea magis, quam viris conuenire existimarentur; 4. quod nuper (Trappio praeeunte) statueretur, etiam e minoribus scholis plerisque proscribenda esse studia linguarum vett. et auctorum classi-

eorum lectionem. Deinde in querelas inquiritur de contemtu litterarum antiquarum, et, a quibus earum, graecarum potissimum, necessitas, utilitas, elegantia, demonstrata est, laudantur.

Altera, qua prima saeculi novi solennia philos. doctorum creandorum d. XIX. Febr. indicuntur (XX. pagg. 4.) habet VI. Obs. inscriptam: *Auctorum veterum studii et philologiae omnis rationes superiori saeculo probabiliter emendatae, adiutae, auctae.* Scilicet 1. de consiliis linguarum vett. discendarum auctorumque legendorum rectius praeceptum est. 2. ipsa ratio vett. linguas et scriptores tractandi est emendata. 3. editionum vett. auctorum genera et consilia prudentius sunt constituta. 4. commentandi consilia et modi certius sunt distincti et constituti. 5. critices studium multis partibus crevit. 6. grammatica interpretatio suis finibus et legibus melius est definita. 7. aesthetica interpretatio est salubrius instituta. 8. disciplinae, quae ad vett. scriptt. lectionem et interpretationem faciunt, auctae sunt et exornatae. 9. nova accesserunt praesidia, et 10. omnis philologiae orbis et ratio melius coepit describi. — In his omnibus illustrandis ut auctor plerosque scriptt. laudavit (neque enim omnes nominare potuit: ita v. c. addi possunt primae Comm. *D. F. Roos* disp. quibus se finibus continere debeat institutio scholastica etc. Versuche über Klassiker, 1790. p. 93. ss. — secundae *C. G. Kühnöl* d. de subtilitate grammaticam interpretationem commendante —): ita sua saepe interposuit iudicia, et quid statuendum, quid agendum, quid optandum, superesset, docuit; quae omnia ita sunt brevissime admonita, ut repeti nequeant.

Et fuerunt nuper, qui de omni philologia docte disputarent. Quos priusquam laudaremus, commemorandus visus est, qui paucis innotuit,

Bernardi Nieuhoff de ratione studii recte constituenda libellus singularis. „Quid exspectas? nulli sapere casu obtigit.“ Seneca. *Harderovici, ap. I. v. Kasteel.* 1800. 114. pagg. 8. mai.

Etsi enim ad omnia omnino studia litterarum academica spectat, et quarumvis disciplinarum cultores; tamen insunt, quae et ad has, de quibus agimus litteras earumque studiosos pertineant. Nam auctor, postquam omnino sanam studiorum rationem (p. 5. ss.), atque mentis vires et animi indolem, quae in litterarum studioso quaeratur (p. 8. 11.) exposuit, de studiorum selectu instituendo egit (p. 16. ss.) et de subsidiis admonuit, quae sunt doctoris vivi opportunitas, autodidaxis, librorum lectio, excerpta, attentio, observandi studium, diligentia, constantia, modestia, delectus, meditatio, temporis parsimonia, ordinis studium; de quibus omnibus graviter praecipitur. Sed ut auctor locis veterum et recentt. scriptorum, maxime poëtarum suum distinxit libellum, tanquam gemmis, ita voluissemus eum etiam simplici purae et elegantis dictionis cultu magis commendari.

Quanto praestantior etiam hoc nomine est

Vita Davidis Ruhnkenii, auctore Daniele Wyttenbachio. Lugd. B. et Amstelod. ap. Honkoop et Pet. den Hengst (et Gothae ap. Etting.) 1799. VI. 295. pagg. 8. mai.

Ut enim in Hemsterhusio Ruhnkenius egregium felicissimi Critici et Philologi exemplum proposuit, ita in Ruhnkenio Wyttenbachius ostendere voluisse videtur, qua via et ratione quisque, cui facultates idoneae non deessent, ad solidam harum litterarum scientiam pervenire posset. (cf. p. 7. ss.) Quo pertinent etiam observationes grauissimae de modo et ordine, quo R. veteres scriptores legit, sibique inde multa enotabat

(p. 34. ss.). „Primum ad singula verba attendebat: novorum et minus cognitorum usum aperiebat cum ex originis notatione tum ex usu. — Deinde animadvertebat ad compositionem et structuram totius loci, eamque cum investigando sententiae nexu, tum observatione grammaticae rationis ostendebat. Locum ita patefactum relegebat aliquoties, antequam ad proximum pergeret. Denique perlectum scriptorem, uno et continuo tenore rursus totum legendo iterebat: unde fiebat, ut se in eius mentem, mores, aetatem, locum quasi insinuaret: formam dicendi, cogitandi, argumentandi, animo imprimeret: multa, in quibus antea haesisset, expediret: perperam a se intellecta rectius perspiceret, corrupta emendaret; quum quovis dubio loco facile videret, quam sententiam scripturamque consuetudo et ingenium scriptoris postularet. Ita a grammaticae interpretationis exercitio sponte et nascebantur verissimae emendationes, et ingenium ad criticam facultatem formabatur." Docet deinde Vu., non in quibusuis scriptoribus, neque semper, tantum operae et laboris postulari, imo lectionem faciliorem fieri cum per ipsam linguae, sensim melius intellectae, indolem, tum per rectam progrediundi rationem. Et quod ad hanc adtinet, eam docet duabus contineri partibus, iusta difficultatis, et, annotandi consuetudine: „Ruhnkenius, inquit (p. 37.), institutum iter strenue persequebatur: ad locum perveniens, in quo haereret, si bis terve lectum expedire non posset, ad eum non adhaerescebat, eum relinquebat, notabat, in aliud tempus reponebat, progrediebatur: mox ultro lux oboriebatur, vel simili in sequentibus oblato loco, vel per iteratam totius scriptoris lectionem nexu accuratius perspecto." Quam multiplex sit consuetudinis annotandi fructus, ita exponit Vu., ut Gesnerum et Erne-

stium notet, quorum disserendi iudicandique subtiliter dotes copiarum et apparatus penuria obscurari et labefactari ait. „Nimirum, inquit, interpretatio est res non modo subtilitatis, sed etiam testimonii: et omnis iudicandi subtilitas vana est et fluctuat, nisi tamquam fundamento nitatur copia doctrinae eaque praesente et parata; ut testes quorum auctoritate sententiam tuam tamquam in iudicio probes, producantur et excitentur; quippe aliter probatio atque adeo interpretationis munus ac finis exstare nullo modo potest. — Et reperiemus fere, ingeniosos quamvis ac doctos homines, sed in annotando et congerendis adversariis negligentes, infelices in emendando esse coniectores et hebetes." Quo loco tamen monendum etiam videbatur, quid potissimum et quomodo annotaretur, ne, quod fieri in hoc genere facile potest, tempus perderetur; deinde, quomodo in testibus producendis versandum, ne farraginem magis quam copias doctrinae animadversiones continerent. Denique nec illud negandum est, non omnis generis vel editiones vel animadversiones multitudinem testimoniorum aut ferre aut postulare, et posse tamen, modo quis utatur ingenio multa lectione subacto, feliciter eum in emendandis et explicandis scriptoribus versari, etiamsi non instructum bene a larga aduersariorum copia. Sed haec et disputare longum est, et varia iudicia conciliare difficile. Continet vero hic Vu. liber multa etiam alia subtilissime observata, et prudentissime monita, ut p. 46. de philologiae studiis, quae Ruhnkenio adolescente in Batauis floruerunt, et ratione vett. scriptt. explicandi, quae tum fuit; de ingenio verae latinae orationis p. 227., de vita et scriptis ipsius Ruhnkenii, de dotibus eius et virtutibus p. 216., de aliis viris doctis, ut Toupio p. 168., Bioernstolio Sueco, p. 250. Rittero p. 88. Capperon-

nerio p. 62, s. 71, H. A. Schultensio p. 207. Pet. Niewlandio p. 209. Nec minus digna sunt, quae leguntur et examinantur, loca, quibus Vuesselingius et Valkenarius (p. 86.), Hemsterhuisius, Valkenarius et Ruhnkenius (p. 134. ss.), I. A. Ernestius et I. Albertius (p. 114. ss.) comparantur. Narratur etiam, H. Hanam Phrynichi Arabii Sophist. Apparatum, saepe a Ruhnk. laudatum, editurum esse (p. 199.), quod ut eveniat, optamus. I. G. te Water et Arnobium edet, et P. E. Iablonskii scripta colliget (p. 191.). De fatis aduersariorum Hemsterh. p. 132. et 204. exponitur. Sunt etiam a Vu. animadversiones nonnullis locis adiectae, in quibus eam, quae de Alexandrino scriptt. vett. canone agit (p. 144. ss.) lubentissime legimus. Nam unum locum, quo refertur, quomodo R. ingenia alumnorum suae disciplinae formaverit, repetemus integrum (p. 233. ss.); „Eorum, qui altius evolare et posse et velle viderentur, ita fere tentabat ac tractabat ingenia, prouti Hemsterhusium factitasse, ipse scripsit in eius Elogio. Dabat iis in manus egregium aliquem classici auctoris locum, iubens eum accurate legere, sibique referre quid maxime animum pepulisset, quid maxime placuisset, quid exquisite dictum, quid obscurum ac difficile intellectu videretur. Si nil magnopere referrent, alium deinceps vel eiusdem vel alterius auctoris locum dabat, donec eiusmodi quid referrent, unde certo appareret, eos cum sensu veri pulcrique legisse. — Ipse partes loci difficiliores interpretando expediebat: unde discentium et progressus iuvabatur, et studium incendebatur. Hi, tali ratione lecto loco, sponte sua ad totum auctorem perlegendum ferebantur. Quod dum agebant, monebat eos item, ut diligenter animadverterent locos obscuros ac difficiles, de iisque iudicarent, utrum interpretando an emendando expediendi

essent. Sed iuvenile ingenium fere ad emendationem proclive est, eiusque audacia capitur: interpretationis veluti lentum iter fastidit. Est sane emendatio munus praecipuum Critices, eiusque tirocinio apta in primis materia, cum exercitatione ingenii, tum illecebris excitandi retinendique studii: sed est eadem, nisi ratione et iudicio regatur, prona ad temeritatem ac libidinem. Igitur nolebat adolescentes adhuc rudes aliarum rerum, nec dum a iudicio paratos, et lectione usuque scriptoris tractandi probe versatos, emendationem factitare. His demum praesidiis instrumentisque quasi armatos, iubebat librum lectum relegere, locos corruptos animadvertere, animadversos ipsi monstrare: monstratos ipse tractabat cum discente, docens eum iudicare, qui sani, qui corrupti, essent loci. Quos, habito iudicio, corruptos esse constaret, ipse, inscio discente, tacitus emendabat, eique emendandos tradebat: monens ut totum locum saepius legeret, antecedentia cum sequentibus accurate compararet, ipse se penitus in scriptoris mentem insinuaret, et, quam ea sententiam dictionemque postularet, quaereret. Discens hac iudicii via ad inventionem quasi manu ductus, si aciem ad locum corruptum intenderet ac scriptoris usu tritum haberet sensum notanda eius ratione et oratione, modo probabili memoriae facilitate valeret, sponte in veram emendationem incidebat. Aliter et ab aliis, illo subsidiorum apparatu non instructis, emendationem tentari nolebat."

Commode factum esse iudicamus, quod Lipsienses bibliopolae, nescimus quo auctore et suasore, utrumque et Ruhnkenii et Wyttenbachii libellum ita repeti iusserunt, ut bene emi posset. Inscribitur ita:

Vitae duumvirorum doctrina et meritis excellentium, Tiberii Hemsterhusii, et Davidis Ruhnkenii,

altera ab eodem Ruhnkenio, altera a Daniele Wyttenbachio scripta, nunc vero ob argumenti praestantiam et similitudinem iunctim repetitae. Lipsiae sumtibus H. L. Reinicke et I. C. Hinrichs. MDCCI. 238. pagg. 8. mai. Elogio Hemsterh. ex nouissima editione repetito etiam adiectae sunt duae illae Rich. Bentleii ad Hemst. epistolae. In utroque libello ad marginem paginae edd. Batauarum notantur, quod rectissime factum est, et, quantum conferendo intelleximus, satis fideliter expressa omnia sunt, etsi litteras minus placuisse fatemur.

Cum inde a XV. et quod excurrit annis fuerint inter nos, qui *Trappio* et *Stuvio* auctoribus, impugnarent philologiae studia, post alios, nuper et defendit et commendavit veterum scriptorum lectionem non indigno, qui ab exteris quoque cognosceretur, libro, *Hüblerus*, Fribergensis in Montanis Gymnasii Conrector:

Der verkannte Werth der classischen Schriftsteller in Rücksicht auf Bildung des Geistes (h. e. Dignitas classicorum scriptt. et praestantia, quae in formandis ingeniis cernitur, minus iuste aestimata). *Außer der studierenden Iugend auch denen gewidmet, welche auf derselben gelehrte Erziehung Einfluſs haben, von M. Dan. Gotthold Ioseph Hübler*, Conr. am Gymn. zu Freyb. *Breslau, Hirschberg und Lissa.* 1800. XVI. 167. pp. 8.

Docet enim auctor 1. ipsum ingenium, 2. animum, 3. venustatis sensum lectione vett. scriptt. optime conformari atque ali. Nam summam eorum praestantiam ex iudiciis intelligentissimorum hominum cuiusvis populi, ex ingeniis populorum, inter quos vixerunt, et ex conditione, qua ipsi illi scriptores fuerunt, ita demonstrat, ut, qui eorum libros, utpote scholasticos, spernant, iniquissimos esse doceat. Sed

ad formandum ingenium valere ita efficit, ut partim eos erigere animum et ita componere ostendat, ut facile verum, pulcrum, honestum, generosum sentiat et percipiat, partim doceat, singulatim mentem ditari idearum copiis, ope veterum quae discuntur linguarum comparandis; operam quae collocetur in vocabulis peregrinis cognoscendis ostendere, quomodo sint notiones verborum explicandae perspicuaeque reddendae, locupletare studium vett. scriptt. iuvenum mentes praeceptis et sententiis exquisitis usuque comprobatis; adquiri iis explicandis facultatem interpretandi omnino utilissimam. 2. Deinde, quod ad animum adtinet, cum fuerint, qui vett. scriptorum lectionem bonis nocere moribus clamarent, mores veterum scriptt. et de iis praecepta, quae ab ipsis proponuntur, Auctor laudat. Qua in re facile posse in utramque partem disputari, nisi constitutum accurrate sit, de quo scriptorum genere dicatur, et quinam potissimum commendentur, facile apparet. Sed veteres auctores animos legentium regere possunt et flectere vividissimis, quos instillant, sensibus, egregiis, quae proponunt exemplis, sive veris sive fictis (quo loco Terentii dicta adversus multorum calumnias bene defenduntur p. 73. s. ut alio loco p. 123. Horatius), praeceptis et decretis, quae ipsis propria sunt, dum virtutes nonnullas meliori modo commendant, certioribus nominibus insigniunt, nonnullas virtutes, quae in oblivionem fere abierunt, excelsam animi indolem, obsequium legum, patriae amorem, severe tuentur; denique suis etiam moribus et factis praeclaris et honestis. 3. Sensum autem et veluti gustum pulcri atque honesti melius fingi confirmarique legendis veterum, quam recentiorum, libris ita A. demonstrat p. 144. ss., ut illorum auctoritatem et dignitatem certam multorumque non annorum sed

saeculorum incorruptis iudiciis probatam; ipsorum exempla nullis mutationibus obnoxia; denique vim, quam exserant, eo esse graviorem doceat, quo plus laboris legendis eorum scriptis impendatur. Nam quod eandem utilitatem sperant nonnulli ex versionibus esse redundaturam, id brevissime, ut debebat, A. confutavit p. 148. Et cum saeculum nostrum unice iis faveat studiis, quae cum vitae aut negotiis aut oblectationibus arctissime sunt copulata, sapienter factum est, quod A., post alios, bene monuit, ipsam illam virium, neque levem contentionem, quam veterum scriptorum lectio et interpretatio postulat, optime iuvenilia ingenia conformare ad illam laboris seueritatem et intentionem, quam mollities nostrae aetatis respuere videtur. Accedit quod etiam aetati iuvenili illa ipsa, quae in hoc studiorum genere collocatur, opera apprime convenire videtur. Quae quidem omnia ita probabiliter et bene disputata lubentissime legimus, ut tamen non diffiteamur, esse, quae non satis nobis disiuncta et suis locis divisa videantur (ut cognitionem linguarum, lectionem auctorum, interpretationem eorum), esse nonnulla etiam leviora admixta argumenta, non semper rationem esse habitam omnium eorum, quae ab adversariis erant obiecta, et desiderari nonnunquam (p. 15. 16.) posse maiorem scribendi elegantiam.

Partem huius argumenti copiosius etiam tractavit

Caroli Morgensternii Oratio de literis humanioribus, sensum veri, honesti et pulchri excitantibus atque acuentibus, publice habita in auditorio maximo Athenaei Gedanensis d. XXIX. Nov. MDCCXCVIII., *quum ordinariam eloquentiae ac poëseos professionem auspicaretur.* Lipsiae et Gedani apud I. G. Dykium et Fr. Troschelium. MDCCC. 73. pagg. 8. mai.

Quae vis sit studii philologiae omnino et per se,

ab initio libelli A. ostendit, nec tantum plura eius commoda (p. 9. s.) paucis complectitur, ubi bene monet accidisse etiam hac in re, quod saepe, ut homines reprehenderent, quae non intelligerent, sed etiam declarat, quam utilis et congrua adolescentibus sit philologia. Sed ipsum, quod propositum fuerat, argumentum ita auctor apte presecutus est, ut, primum sensum veri, quem a communi sensu distinguit (p. 15.) et eam animi facultatem esse dicit, per quam a vero ac falso afficimur, etiam ubi affectionis huius caussas rationibus distincte cogitatis ac perspectis reddere nequit, cum in contemplando et perspiciendo, tum in agendo, mirifice veterum scrr., philosophorum, poëtarum, lectione adiuvari doceat; deinde (p. 25.) sensum honesti optimis vett. historicorum, oratorum, philosophorum, inprimis eorum, qui de moribus agant, praeceptis excoli ostendat, neque tamen reticeat, quibus nostra moralis disciplina antiquae praestet. Ipse vero humana auctor (p. 42.) librum de doctrina veterum morali promisit, optavit autem (p. 52. s.) ut Musönii reliquiae, Nieulandii morte destitutae, et Socraticae tandem aliquando colligerentur. Cum pulcri sensum non pauci existiment, recentiorum poëtarum et oratorum lectione melius etiam effingi, A. iudicat (p. 56.) in artibus elegantioribus, quae loquela utuntur, palmam antiquis esse dandam. Eo autem ipsam humanitatem iuvari praeclare demonstravit. In Ciceronis Lucullo c. 41. ubi vulgo legitur: *uter nostrûm sit, leniter ut dicam, verecundior*, M. p. 54. restituit — *inverecundior*, quod et sententia et locus c. 36. postulare videtur; probavit etiam hanc coniecturam Vuolfius.

Continet non pauca, quae ad vett. scrr. interpretationem spectant, prudentissime monita

Acroasis pro Societatis Latinae Ienensis instaura-

tione. Scripsit Henr. Car. Abr. Eichstaedt, Phil. D. ac Prof. P. Ord. etc. Ienae, ap. I. C. G. Göpferdt. MDCCC. XIV. 118. pagg. 8. mai.

Nam cum auctor omnino de Societatis Ienensis consiliis atque institutis, partim in usum revocandis, partim ad nostrae aetatis ingenium accommodandis agere constituisset, exposuissetque non modo origines et fata eius societatis, instituta et consilia maiorum, quae ad latini sermonis curam et exercitationem spectarent, campos et spatia, quae sodalium labores peragrarent amplissima omnesque propemodum disciplinas complexa, verum suasisset, ut interpretandi veteres auctores exercitatio vel revocaretur in usum vel introduceretur; de hac ita disseruit peritissimus vir, ut et quid ea prodesset, declararet, et de generibus modisque commentandi accurate p. 44 — 66. praeciperet. In quibus si leguntur iis, quae supra N. 2. monita sunt, simillima, etsi pro consilio et auctoris et societatis uberiora, cum natura rei ipsa, tum ingenua auctoris professio (p. XII. praef.) eius convenientiae praeceptorum caussas et rationes explanabit. Habent vero etiam cum aliae acroaseos partes, tum adnotationes in calce adiectae, multa dignissima quae legantur et a philologis perpendantur. Quae si puritate et elegantia orationis commendari diceremus, diffidere lectorum iudicio, quos plurimos libello contingere cupimus, videremur.

In libris huius generis laudanda est etiam *Groddekii* Collectio commentationum ad antiquitatem spectantium.

Antiquarische Versuche (h. e. Pericula archaeologica) *von Gottfried Ernst Groddeck*, d. Philos. D. Aufseher der Fürstl. Czartorysk. Büchersamml. der kön. Soc. d. Wiss. in Gött. Correspondent. *Erste*

Sammlung. Lemberg (Leopoli) gedruckt bei Ioseph Piller. 1809. VIII. et 300. pagg. 8.

Continet haec prima collectio commentationes has tres:

1. Briefe über das Studium der alten Litteratur (Epistolae quinque de philologiae studio).
2. Ueber das Fest und die Fabel des Adonis p. 83. (de festo et fabula Adonidis).
3. Ueber den Kottabos der Griechen (de Cottabo, Graecorum ludo) p. 163. ss.

Auctor, quem disp. de hymnis Homericis, aliaeque in Bibl. Gött. vet. Litter. iam dudum commendarunt, Encyclopaediam et Methodologiam disciplinarum, quae ad humanitatis studia referuntur, editurus, partem eius primo loco proposuit. Et prima quidem epist. monet, quam utilis etiamnum sit antiquitatis cognitio, eosque notat, qui haec studia vituperant. Secunda epist. (p. 12, ss.) de ipso antiquitatis studio eiusque finibus agit. Monumentorum cuiusque populi antiqui constituuntur tria genera, scripturae, litterarum, et artium (*Schrift - Litteratur - und Kunst - Denkmale.*) Praestantissima sunt Graecorum et Romanorum monumenta triplicis generis. Ea *intelligere, explicare, iudicare* ut discamus, efficitur illo studio, quod, quia occupatur in antiquitate cognoscenda *antiquarium* (archaeologia latiori sensu), quia multarum litterarum scientiam complectitur, *philologia*, ratione habita primarum partium, studium *classicae litteraturae et operum antiquorum*, quia ad humanitatem excolendam valet, *humaniorum litterarum* studium solet appellari. Ipse auctor optavit, ut nomen huius disciplinae esset, quod omnes complecteretur partes et naturam eius accurate indicaret. Nam illa quidem, quae laudavimus, non satis eam definire patet. Illud autem studium cum

varias mentis humanae vires et excerceat et formet: inde, quanta eius vis sit et dignitas, colligitur. Iam cum litterarum graecarum et latt. monumenta in iis, quae supersunt, emineant, de his est. 3. ita exponitur, ut ad ea intelligenda recte et explicanda postulari scientiam linguarum, historiae, antiquitatis, litterarum et artium, de quibus illa scripta agunt, hermeneuticae et criticae artis, ostendatur. Et 1. qualem esse linguarum vett. scientiam oporteat, p. 29. s. potissimum exponitur, eam scilicet, quae universa et applicata grammatica nitatur, et complectatur omnes eius rationes et dialectos. Quam cum auctor voluerit coniungi cum vernaculae linguae studio, ep. 4. de versionibus disserit, et, utrum propter vernaculas versiones auctorum vett. cognitione linguarum antiquarum facile careamus, quaerit, discerni autem iubet opera ingenii et elegantiorum litterarum atque ea quae ad disciplinam ullam quandam pertinent. Cum porro studium vett. litt. postulet multam et variam historiae et quae adiunctae sunt litterarum scientiam, de hac, et singulatim de geographia antiqua, egit Gr. ep. 5. sed inde a p. 58. descripsit breviter argumenta epistolarum reliquarum, quibus partim de aliis supra laudatis litteris, quae in vett. monumentorum interprete quaerantur, partim de methodo et vitiosa et recta studii vett. litt., partim de eius utilitate et dignitate, partim de fontibus agetur. Nescimus an non satis sive epistolarum ratio, sive ea, qua auctor usus est, ars accommodata sit huic disciplinae iusto et severo ordine pertractandae.

De *Adoniis* p. 83. ss. et in annott. p. 116. haec fere disputavit. Cum variis locis et populis tribuatur Adonidis origo, etsi scriptores tantum non omnes Orientem eius faciunt patriam: non, quod Heynio placuit, varia nomina diversorum populorum mythis commixta

et

et confuse, A, censet, sed in Aegypto fabulam de eo natam, inde ad Phoenices inprimisque Byblios, Syros, Hellenas, propagatam, et ubique additamentis novis exornatam, Adonidem vero eundem esse cum Osiride Aegyptiorum (quod ut vett. nonnulli et recentt. affirmarunt, ita praeter alios impugnavit *Io. Maurerus* in sing. diss. de Adonide eiusque cultu religioso, Erl. 1782, 4. edita, quae Groddekio non videtur innotuisse). Et argumenta quidem haec sunt: 1. Aegyptii Nili crescentis decrescentisque symbolum Osiridis vitam et mortem esse iusserunt; quae autem illo Aegyptio mytho continentur, optime in Adonidis fata conveniunt. 2. Illi ipsi Aegyptiorum mytho maxime respondent ritus Adoniorum, quae, ut aliis locis multis, ita inprimis celebrata sunt Athenis, Bybli, Antiochiae, Alexandriae. Fuerunt enim sacra illa quotannis a mulieribus peracta, et duabus constiterunt partibus, mortui et reviuiscentis Adonidis festo, ita ut apud Byblios primum ἀφανισμὸς, deinde εὕρεσις, apud Alexandrinos autem et, ut videtur, Athenn. inuerso ordine hoc festum instituerettur. In iis quae Alexandriae festo adiuncta fuerunt, etiam horti Adonidis frequenter commemorantur, (de quibus Gr. p. 105. s. et 140. ss. disputavit) h. e. vasa figlina, terra repleta, cui tritici, lactucae, aliaque semina immittebantur, unde ope artificiosi caloris celeriter plantae progerminarent cito periturae, unde res non diu duraturae κῆποι Ἀδώνιδος dicebantur. Deus mortuus et in vitam reuersus, planctus in funere eius, et gaudia de reditu, inferiae aliique ritus cum mythis Aegg. de Nilo s. Osiride conspirant. 3. Vestigia supersunt, e quibus colligatur, Byblios Adonidis cultum ex Aegypto accepisse et ad alios populos transtulisse. Fabulas de Adonide apri dentibus lacerato, aliasque parum convenientes cum Aegyptiis auctor censet esse

serioris originis, et aut inventa aliorum populorum, qui ab Aegg. Adonidem acceperant, aut lusus poëtarum et artificum. Nam omnino mythorum omnium, quo latius ad plures populos propagabantur, eo maiores factas esse mutationes, constat. Neque mirandum est, exstitisse, qui, ut Hercules (ap. Schol. Theocr. V, 21.) negarent, Adonidem deum esse. Multa etiam in Annott. adiectis Gr. docte illustravit, quae ad interiorem antiquitatis et linguae graecae scientiam facerent, confutavitque plures Banierii errores, nullum tamen antiqui scriptoris locum emendavit, aut critice tractavit. Illud tamen videmur nobis animadvertisse, nullum fuisse, quem non ipse inspexisset auctor locum, neque aliorum incertis testimoniis esse confisum. Examinavit etiam subtiliter nonnullorum mythorum physicas rationes, ut quod lactuca in Adonidis fuit hortis. (p. 152. ss.)

Eodem fere tempore alia prodierat Viri docti Commentatio de eodem mytho, quae aliam iniit rationem: *Erklärung des Mythus von Adonis. Ein historisch antiquarischer Versuch von Georg Wolfgang Augustin Fikenscher*, d. W. W. Doctor, Prof. und Rector (des Gymn.) zu Culmbach, auch Adiunct. der philos. Fac. zu Erlangen, u. s. w. (h. e. *Explicatio mythi de Adonide*. Tentamen historico-antiquarium auctore *G. W. A. Fikenscherio*). *Gothae* 1800. ap. C. W. Ettinger. XI. 140. pagg. 8. Continet hic liber nonnulla, quae Gr. non attigit; laudat etiam plura vett. loca (nescimus an nonnunquam e Meursii, Meziriaci, Banierii copiis satis luculentis); neque tamen illa ipsa ubertas satis lucida descriptione et grata expositione commendari visa est. Orationem vernaculam diceremus interdum negligentiorem esse parumque comtam, si id nunc spectaremus. Primum de nomine agit, *Adonis* et *Tham-*

muz p. 3. 7. censetque auctor, in Assyria aliquando exstitisse, qui agriculturam et oeconomiam emendaret, Thamuzum (h. e. vini datorem) et Adonidem (h. e. dominum, naturae quasi dominum) dictum. Fabulas de parentibus eius et natalibus p. 11. 16., tum fata p. 28. persequitur. Quo loco voluissemus mythos aetatis et populorum ratione accuratius distingui. Inde docet Adonidem in Syria (p. 38.), in Aegypto sero demum (p. 40. — scil. quia Adonia primus memoravit Theocritus!) apud Hebraeos (Thamuzi nomine, p. 42, 58.) aliisque locis (p. 44. ss.) cultum esse, Adonia Byblí (p. 47. ubi in iis, quae ex Lucian. de dea Syr. c. 6. afferuntur, haud dubie operarum errore *Feinde* legitur pro *Fremde*, nam in Graeco est ξείνοισι) Alexandriae (49.) Athenis (55.) celebrata. Ab Osiride diversum esse p. 49. ss. contendit. Caet. de κήποις Ἀδώνιδος p. 53. s. et de modo, quo artifices finxerint Adonidem, p. 60. agit. P. 63. mythi explicationem aggreditur, et primum quidem de iis exponit (p. 65. ss.) qui sensum mythi ex historia (ut Huetius, Clericus, Banierius), deinde de iis (p. 86. ss.), qui ex physica repetierunt, aut ex ethica (p. 94. s.). Ipse censet mytho subesse imaginem naturae, in personam mutatae, et anni tempestatum vicissitudinumque, partes autem singulas ex historia et phaenomenis naturae esse compositas. (p. 98.) Quod ad historiam adtinet, coniicit in Assyria vetustissimis temporibus vixisse iuvenem formosum et ingeniosum, qui cives meliorem docuerit agri colendi rationem, morborum, quibus greges laborarent, depellendorum et ferarum arcendarum praesidia; adamatum eum a regia quadam virgine, atque saepe monitum, tamen pericula nulla fugisse, et tandem a fera sauciatum esse; mortem eius non amicam solam, sed et cives deplorasse. Haec quomodo poëtas exornasse

dicat, non vacat excerpere. Assyrii, cum praecepta rei rusticae et pecuariae, ab Adonide data, magno cum fructu sequerentur, deum fecerunt, eosque secuti sunt Aegyptii ita, ut quaedam ipsi adderent. Ex Oriente ad Graecos mythus venit. Denique A. suam de Adonidis mytho sententiam confirmare studet explicatione carminis Bionis, cui hoc inesse argumentum vult: omnis natura deplorat amissam suam gratiam et venustatem.

Non facile est ita mythos huius generis interpretari, ut omnes consentiant; illud tamen minus probari posse putamus, quod physica et historica commenta coniunguntur. Sed revertimur ad *Groddekium*, cuius tertia Comm.

p. 165. ss. de *Cottabo Graecorum* agit. Nam ludum hunc, Atheniensibus adeo gratum, nec a Meursio et Pottero, nec a Schneidero in Lex. gr. satis explicatum esse monet; ipse, sin minus omnia explanare, certe multa corrigere meliusque constituere coepit. Becketi Commentatt. tres de hoc ludo nec a nobis potuerunt consuli. Adeo eae in nostris quoque terris rarae sunt. Fuit in iis ludis, qui post coenam instituebantur, ex Sicilia Athenas translatus, et fere ita peractus, ut reliquiae vini (fortassis interdum etiam paulo plus) ex poculo, manu dextra inversa in aereum vas uno impetu, curva linea, ita coniiceretur, ut nihil delaberetur in terram, ipsumque vinum in vas iniectum efficeret sonitum, qui laetissimum amoris successum portendere credebatur. Non iuvenes modo sed puellae quoque hoc ludo utebantur. Praemia ei, qui vicisset alios, tributa sunt varia, apta consilio ludi, in his etiam oscula. Ut in Sicilia ita et Athenis fuerunt conclavia orbiculari forma exstructa, huic ludo destinata, neque tantum facultas dextre vinum vasis

iniiciendi, sed et venustas quaedam et facilitas eius rei laudabatur. Ex fragmentis Lyricorum intelligitur, iam ante eorum aetatem cottabum Graecis in Asia et Attica fuisse notum. Nec Romanis ignotum fuisse, ex Hor. Od. II, 14. Iuven. Sat. III, 108. Plin. H. N. XIV, 22. colligitur. Vocabula in eo usitata fuerunt: λάταξ s. λατάγη, vinum s. liquidum quodvis e patera s.-poculo eiectum; unde λαταγεῖον vas, cui illud iniicitur (quod interdum et ipsum λάταξ appellatum traditur) unde λαταγεῖν cum strepitu ferire, iacere, strepitum excitare (p. 251. ss.); ἀγκύλη, ἀπ' ἀγκύλης ἱέναι s. βάλλειν de curvata manu qua coniiciebatur λάταξ (p. 256. s.); κότταβος s. κόσσαβος, (ὄτταβος Ion.) ludus ipse; vas aeneum; praemium victori in hoc ludo propositum, quae tamen significatio, an in fragm. Eurip. Oen. (n. 8. p. 459. T. II. Lips.) vere locum habeat, iure dubitat Gr.; reliquiae vini s. potulenti cuiusque, et ipse strepitus; dum in vas incidunt, effectus (a κόττω, κόπτω, unde etiam Plaut. Trin. IV, 3, 4. *cottabi bubuli* de flagrorum ictibus). Unde κοτταβεῖν et alia verba ducuntur. Et seriores quidem Graeci contra antiquiorum usum κοτταβίζειν et ἀποκοτταβίζειν pro ἐμεῖν, *vomere*, *exspuere*, usurparunt. (Si, quod nonnulli tradunt, vid. p. 250. s., quodque serius ortum esse videtur, interdum etiam ex *ore* aquam vinumve in vas quoddam eiecerunt, significationum illarum nexus facilis est). κοτταβεῖον s. κοττάβιον vas dictum est, ludo isti destinatum, interdum etiam praemium; et poculi singulare genus in hoc lusu adhibitum, κοτταβίς. Ipsius enim ludi varia paullatim exstiterunt genera, et quidem *novem*, auctore Gr. p. 195. s., quae ad haec tria revocantur, dum λάταξ aut in solum (οὖδον ex emend. Heins. ap. Hes. V. Λάταξ) aut in vas aeneum,

pelvim, aut in pocula minora figtilia (ὀξύβαφα) coniiciebatur. 1. Antiquissimum, et Romanis solum usitatum erat hoc, quo latax effundebatur in terram. 2. Frequentius ap. Gr. vas (κοτταβεῖον, λέβης) ponebatur in medio coenaculo. 3. Nonnumquam suspendebatur baculi ope in tecto conclavis. (κότταβοι κατακτοί.) 4. Lignum aut candelabrum ponebatur in medio oeco, atque inde suspendebatur acetabulum s. vasculum. 5. Inde alia et artificiosior exstitit ratio. Virga (ῥάβδος, longus baculus: perperam enim ap. Suid. legitur μικρὰ pro μακρὰ, p. 286.) immittebatur terrae; ei imponebatur alia, tamquam iugum trutinae (ζυγὸς), in cuius utraque extremitate erant paterae velut lances (πλάστιγγες); his subiecta erant duo vasa, aqua repleta (κρατῆρες); aqua autem tegebatur icuncula aerea, deaurata, Μάνης (Schneider. addidit γέρων, Gr. repugnante) dicta, quod propr. servorum ap. Athenn. fuit nomen. Ludentes conabantur omne vinum ex poculo ita in alterutram lancem alternatim coniicere, ut ea deprimeretur, et caput imagunculae aqua tectae feriret cum quodam strepitu. Egregium Hermippi fragm. ex Moeris huius Comici affertur. 6. Haec ratio cum illa, de qua n. 3. efficiebat novum genus cottabi, κατακτοῦ, de tecto pendentis cum Mane, quod a veteribus non satis explicatum, Gr. studuit explanare. Dubitamus tamen, an fragmenta Antiphanis potius candelabro leviter impositam patinam (πλάστιγγα) monstrent, quae vino iniecto plena delaberetur in Manem subiectum. 7. Proponebatur patina, vas (λεκάνη, λεκάνιον) myrtis ornatum et aqua plenum, cui poculum minus innatabat, in quod ita oportuit vinum coniici, ut poculum (ὀξύβαφον) submergeretur. 8. Artificiosior fuit cottabus cum patina, cui innatabant globus, πλάστιγξ, Ma-

nes, tria ὀξύβαφα, ut, quo plura horum quis feriret coniiciendo, eo certius alios vinceret. 9. Noni generis unus, isque satis obscurus, auctor est Schol. Aristoph. Pac. 1243. quod etsi convenit cum eo, de quo n. 5., tamen λάταξ eiusque iactus, prorsus abest. Multa etiam in adnotatt. tractantur vett. scrr. loca inprimisque fragmenta Tragicorum et Comicorum. Sic non modo Athenaei explicatio fragmenti Eurip. antea memorati ab auct. reprehenditur, sed eiusdem etiam interpretatio fragm. Aristoph. in Δαιταλεῦσιν (Athen. XV, p. 667.) iure vituperatur, quo loco auctor censet (p. 230. ss.), Aristophanem scripsisse:

ἔγνωκ' ἐγὼ δὲ χάλκιον
ἱςάναι καὶ μυῤῥίνας,

verba autem τοῦτ' ἐςὶ κοτταβεῖον, quae post χάλκιον vulgo adduntur, e gloss. esse nata, et χάλκιον h. l. esse vas s. pelvim, μυῤῥίνας autem myrti ramos, quibus vas *ludo Veneri sacro* inserviens ornabatur. Verba ὑπὸ μίαν ςαγόνα in Schol. Arist. Pac. 342. et Suid. V. Κοτταβίζειν, non explicat p. 248. cum Schneid. *guttatim*, sed, *uno impetu*, velut unam guttam. add. p. 208. In Tzetz. Chil. VI., 85. legit (p. 251.) τὸ αὐτῶν ςόμα, pro vulg. τὸ τούτων ς. et in Schol. Arist. Ach. 524. ἀπὸ ὕψους ἐῤῥ. ex Suida V. Λάταξ (p. 251.) In eodem Schol. ad Pac. 1243. ὀξυβάφων (pro ὀξύβαφον, p. 293.) Alia etiam loca Schol. Arist. Pac. 342. 1243. ex Suida et Athen. corriguntur (p. 260. s. 275.) Loca etiam Fabricii Bibl. Gr. emendantur. T. II. p. 280. Harl. Achaei *in* Lino, (non, *de* Lino, p. 265. s.), ib. p. 409. Amipsiae Ἀποκοτταβίζοντες ἢ Μάνης (non μανία, p. 282. s.). Hermippi Moerae plena inscriptione fuerunt: Μοῖραι ἢ Στρατιῶται. In Fragm. Soph. ap. Athen. XI, p. 489. (Salmon. n. I. T. III. p. 443. Brunk. in 8.) non videtur satis esse causae, cur κνισμὸς mutetur in κνίσμα-

τα *morsiunculae* p. 279.), imo ψόφος et numerus versus videntur singularem postulare. Rectius τῷ versu 2. cum Villebr. in Ἀ mutatur. De vocabb. πόλος p. 293. ὀξύβαφον p. 294. s. docte disputatur. Quantum autem huius generis singulares commentationes augeant copias philologicas et archaeologias, intelligi clarius potest, si, quae plura auctor in Schneid. Lex. gr. emendaverit, perpendamus.

Quamquam non pauci nuper etiam de gnomis veterum poëtarum utiliter praeceperunt: tamen suis laudibus non destituitur liber, multa lectionis copia, eruditionis ubertate, colligendi et adnotandi industria, non aeque deligendi et iudicandi subtilitate, scribendi puritate et latinitate minime, commendatus:

De veterum poëtarum sapientia gnomica, Hebraeorum inprimis et Graecorum; commentatus est Ulricus Andreas Rohde, Doct. Philos. A. A. L. L. Mag. disciplinam sacram, morum doctrinam, hebraeamque linguam in schola cathedr. Christianiensi inter primos doctores tradens. *Havniae*, CIↃIↃCCC. Sumtibus I. H. Schubothe, excud. C. H. Seidelin. VIII. 346. pagg. 8. Prima pars dissertationem continet in acad. Havn. defensam, cuius 1. caput, gnomarum nomen, (graecum et hebraicum) indolem, diversitatem, originem, rationem quae inter eas est et duplex aenigmatum genus, persequitur, quaeritque, cur gnomae interdum aenigmaticam formam acceperint. Tria A. constituit graecarum gnomarum genera p. 8. s. De aenigmatis (*Sirpos* vetustissimi Latini dixerunt) p. 31. ss. disputat. Capite 2. primum gnomarum usum et antiquissimo et nostro aevo exponit, docetque utiliter adhiberi in populari institutione, propter perspicuitatem, redeundi in memoriam facilitatem, gravitatem, et promtum paratumque usum („quod usui

admodum vicinae sint, et celeriter inter vitae actionumque humanarum distractiones in actum transeant" A. ait), in pueris instituendis, in historia hominis (s. humani generis) cognoscenda, ad humanitatis sensum acuendum, eloquentiam ornandam. Sed incommoda etiam existere fatetur tum ex argumento, quod virtutem minus puram commendent (scil. non Cantianum principium ethicum exprimunt! quod utique Nostri iactant, utinam semper sequantur!) incerta et vaga saepe sit eorum ratio et praeceptio, ingenium et auctoris et populi nimium referant („tenor indolem auctoris et praesentem affectionem nimis saepe referens — nationis genius nimis expressus, character ex tempore et loco suspensus" — barbare A. dicit.) tum ex methodo, quod disciplina gnomarum parum composita ad iustum ordinem et perfecta, obscura interdum, ieiuna et inconcinna sit. Cap. 3. gnomas Hebraeorum, Arabum, Syrorum, Persarum, Sinensium, Indorum (non Hindos scribere debebat latinus auctor), Graecorum (perperam Pythagor*ae*orum scribitur), Romanorum, antiquorum borealium (poëtarum et sapientum). Nam omnino ex Arabum et Septentrionalium litteris multa hac parte attulit lectu utilia. Pars II. (p. 131.) ita de gnomis *Hebraeorum* agit, ut C. 1. de Sententiarum Salomonn. partibus (quatuor, cum appendicibus) et pretio, C. 2. de Iesu Siracidae libello, naevis, fontibus, C. 3. de libris Coheleth et Sapientiae nominibus inscriptis disputetur, examinenturque recentiorum philologorum de his libris coniecturae atque iudicia. Pars III. Graecorum poëtarum fragmenta gnomica deinceps persequitur ita: C. 1. universa ratio Gnomicorum graecorum. C. 2. Antiquiores Gnomici, naturam magistram secuti, Hesiodus, Callinus, Tyrtaeus, Solon, Mim-

nermus, Theognis, Plocylides, Simonides, (Coeus perperam scribitur, est gr. Κεῖος) Panyasis, Evênus, Linus. Historice potius, quam critice, de singulis disseritur. C. 3. Poëtae philosophi. Cleanthes Stoicus, Carmen aureum Pytagorae aut Pythagoreis vulgo tributum, Pseudo-Phocylidis Carmen νουθετικον, quorum duorum carminum illud verum esse disciplinae Pyth. et antiquum, foetum, hoc Christianum, non Iudaeum, habere auctorem, R. censet; Naumachii monita nuptialia (quae et ipsa Christianum ostentant poëtam). In Cleanthis hymn. in Iov. p. 291. Heerenii coniecturas (ex eius Stobaeo) affert. C. 4. Comicorum gnomae. (Laudari vero etiam Tragici poterant; sed noster imprimis Brunkii Collectionem sequitur.) Menander, Diphilus, Philemon, Sotades Maronita. Gnomae μονοςιχοι. C. 5. Recentiores Alexandrini poëtae: Callimachus, Rhianus, Eratosthenes, Menecrates Samius, Posidippus Siculus, Metrodorus. Supplementa quaedam poëseos gnomicae Brunkii p. 334 ss. ex philosophh., comicis, tragicis, lyricis poëmatis, scoliis, et Anthologia laudantur. Constituerat A. quarta particula comparationem inter Hebraeorum et Graecorum gnomas instituere, sed nimium excrescere voluminis moles visa est. Primae particulae et secundae additamenta subiecit, rectius in calce voluminis collocanda. Praecipua libri laus est, quod, quae passim a multis disputata sunt, collecta et coniuncta liber continet, quodque plurimi memorantur, qui vel ediderint reliquias singulorum Gnomicorum, vel de argumento quodam exposuerint, in his domestici quidam scriptores, exteris parum noti. Effugit tamen, cum de Mesomede ageret, virum doctissimum, popularis *Frid. Snedorf* Comm. de hymnis veterum, Hafn. et L. 1786. cui Mesomedis in Nemesin hymnus adiectus est.

Ipsa, quam R. laudat, graeca Anthologia, extremo saeculo superiori ita tractari et emendari coepit, ut neglecta iacere, non facile nunc dici possit. Etenim postquam *Brunkius* Analecta sua ediderat, non modo exstitisse, qui singula vel unius vel plurium poëtarum, inde decerpta, pertractarent et commendarent, sed etiam doctissimos triumviros, *Hier. Deboschium, Frid. Iacobsium,* et *Chardonum Larochettium* in Anthologia omni illustranda, augenda et multis locis corrigenda elaborasse atque etiamnum elaborare constat, quibus nuper accesserunt, qui vel praestantissima ex edita Boschii Anth. carmina seligerent, vel ederent hactenus ignota, emendarent vulgata. Illorum quidem, quos primos nominavi, opera inscripta ita prodierunt:

Anthologia graeca cum versione latina Hugonis Grotii, edita ab Hieronymo de Bosch. (Tomus primus). Vltraiecti, ex typogr. B. Wild et I. Altheer MDCCXCV. XX. V. 551. pagg. 4. mai. *Anthologiae graecae cum versione latina Hugonis Grotii editae ab Hieron. de Bosch. Tomus secundus.* Vltraiecti — MDCCXCVII. XII. 579. pagg. — *Tomus tertius* XVI. 526. pagg.

Anthologia graeca sive poëtarum graecorum lusus. Ex recensione Brunckii. Tom. I. Indices et Commentarium adiecit Fridericus Iacobs. Lipsiae, in bibliop. Dyckio. MDCCXCIV. VIII. 258. pagg. 8. mai. *Tom.* II. eod. a. 264. pagg. *Tom.* III. eod. a. 254. pagg. *Tom.* IV. eod. a. 300. pp. *Tom.* V. *qui indices complectitur.* — MDCCXCV. (Venditur etiam separatim: *Indices in Epigrammata quae in Analectis veterum poëtarum a Brunckio editis reperiuntur. Auctore Frider. Iacobs* — VI. 443. pp.

Friderici Iacobs Animadversiones in Epigrammata Anthologiae graecae secundum ordinem Analectorum Brunckii. Voluminis primi pars prior. Lipsiae

in bibliop. Dyckio MDCCXCVIIJ. CLXXXIV. et 438. pagg. 8. mai. *Voluminis primi pars posterior* — eod. a. 415. pp. *Voluminis secundi pars prima* — MDCCXCIX. 420. pagg. *Voluminis secundi pars secunda* — MDCCC. 512. pp.

Chardonus passim et de suo labore nos certiores reddidit, et loca quaedam Anthologiae tractavit, inprimis in Millini Promtuario litterarum omnium.

Boschio primum omnium propositum erat hoc, ut egregiam metricam Anthol. versionem, quam Grotius confecerat, quaeque hactenus latuerat, in lucem protraheret. Apographum habuit Petri Burmanni secundi e codice, illi a Dorvillii heredibus ex Anglia misso, exaratum, sed accepit etiam a Dorvillii nepote ipsum codicem, cum apographo conferendum, una cum aliis *I. Phil. Dorvillii* copiis.* Et ille quidem codex erat „diversa manu pro numero cuiusque libri descriptus, sed in margine passim ab ipso Grotio emendatus." (T. II. praef. p. 7.) Inde igitur Planudeae Anthologiae septem libros ita B. edidit graece et latine (T. I. lib. 1. 2. II. 3. 4. III. tres reliquos) ut a vulgari lectione graeca non recederet, nisi ubi in promtu esset, Grotium in vertendo aliam secutum esse lectionem, ea autem epigrammata, quae Grotius non vertisset, graece tantum repeteret. Ne autem sola versio Grotiana ederetur, impedivisse videntur, quae adiecta sunt. Nam Tomo tertio p. 288. ss. additae sunt quatuor Mantissae: 1. vetus Mantissa (Aldina); secunda, de graecis heroibus, adiecta ab Henr. Stephano; tertia ex Gruteri Inscriptt. desumpta; quarta ex Manuscriptis. Omnia haec Grotius verterat. Sequuntur (p. 446.) Theocritea. (Idyll. III. XVIII. XXVII. et Epigr. XX.) a Grotio latt. versibus reddita. Denique hoc volumen habet p. 460. ss. *P. D. Huetii* Notas ad Anthologiam, quas Graevius iam An-

thologiae cum versione Grotii addi voluerat, quibusque felices insunt emendationes, et p. 511. ss. *Frid. Sylburgii* emendationes adscriptas margini editionis Stephan. collatae cum Gruteri exemplo, in quo collatio Palatini codicis habebatur. Plura huius generis, etiam inedita Salmasii, Guyeti, Dorvillii quartum referet volumen. Tomo primo praemissa sunt Grotii prolegomena. In T. II. praef. p. IX. s. de Aldinae edit. 1521. praestantia, et praef. T. III. p. VIII. ss. de Hier. Megiseri omnium Horarum Obsoniis, quibus plurima epigrammata, versibus non satis feliciter reddita, continentur, exponitur. Sed quoniam Chardonus in Millini Diario multa docte de hac editione disputavit, nostrum putavimus, ea hoc loco inserere.

Ex *Chardoni Rochettii* (*Chardon la Rochette*) censura Boschianae edit. Anthologiae [1])

Grotius versionem Anthologiae inchoavit mense Septembri 1630. et finivit ante Sept. m. sequuti anni, *horis subsecivis* (id quod ipse fronti exempli, quod in collegio Claromontano fuit, adscripsit). Cuinam librario committeret, dubius haesit. Nam *Blavii* (Blaew), amici, nec lentitudo nec typi placebant, et Elzevirei minus aequi erant ipsi (v. Epist. 368. p. 859.) In Angliam mittere constituerat. At Franc. Iunius (*du Ion*), ibi habitans, libros suos Batavis commisit. Itaque tandem tamen Blavio misit, qui, Isaaco Vossio curante, (eodem etiam indices confecturo) ederet; et specimina editionis Grotius m. Ian. 1645. habuit (v. ei. epist. 1721. p. 740.) neque tamen ipsius editionis initium, sed qualia prospectui adiici solent. (Quod contra Burignyum in vita Grotii T. II. p. 120. ostendit Chardonus.) Mor-

1) Magasin encyclop. — par *Millin* Tome I. 6me An. Messidor an 8. p. 304. ss.

tuo d. 28. Aug. eiusd. a. Grotio res eventu caruit. Amicus eius Mercierius [2]) d. 1. Ian. 1665. exempla versionis, ipsius Grotii manu scriptum collegio supra dicto (college de Clermont) donavit. Id *Berthierius* [3]) descripsit, habetque margini adscriptas Grotii animadverss., quibus graeca verba corriguntur, prolegomenis destituitur. Alterum exemplum ad Batavos missum ut describeretur, tandem in manus *I. Clerici* venit, qui T. VII. suae selectae Biblioth. (Bibliotheque choisie) editionis novae Anthologiae Planudeae, auctae duobus libris e Mss. Grot. haustis, prospectum edidit; tum in bibl. *Dorvillii* (qui omnia Clerici subsidia Anthologiae edendae coëmit), quo mortuo filius in Angliam secum abstulit plurimos patris codd., in his exemplum Grotianae Anth., et aliud Ms. Palatini, diligenterque celavit. Burmanno secundo tamen concessit exemplum, qui illud describeret. Burmanni exemplum ad Boschium pervenit, qui, collatum cum Dorvilliano, ab ipso Grotio emendato, edidit. Autographum Parisinum periit.

Ad Prolegg. Grotii (T. I. p. XIV.) Chardonus (p. 309.) observat, Boivinum iuniorem (in Mém. de l'Acad. d. Inscr. T. II. p. 261. ss.) docuisse, Pisonem ab Antipatro Thessal. celebratum fuisse L. Pisonem, nobilem Horatii amicum. Quod ad Boschii coniecturam T. II. p. IX. propositam adtinet, exemplar Anthol. ined., quod *Cornelii de Pauw* fuit, cum Guyeti animadverss., ipsius Guyeti manu esse scriptum, id quidem Chardonus p. 310. s. negat; unum enim esse Guyeti exemplum in Bibl. Paris. nation., ceterum animadverss. easdem videri, et earum partem a Salmasio profectam. De editione Veneta 1521. quae castigatior dicitur, egerat Char-

---

2) *Edmond Mercier*, secrétaire de Grotius.
3) *P. Berthier* dans les Mém. de Trevoux, Aout 1751. p. 1790. ss.

donus accuratius T. II. anni IV. huius Promtuarii p. 212. Et hoc etiam loco (p. 311.) monet, editores nonnisi typogrr. vitia correxisse, versus qui in ed. 1503. lectionibus varr. fuerant intermixti, suis locis inseruisse, et ipsarum variarum lectt. editionis prioris delectum fecisse, lectione primaria saepe ne memorata quidem. Sic 3. epigr. cap. 6. in ed. 1503. ut in Ms. Pal. tribuitur Parmenioni Macedoni, in VV. LL. est: ἐν ἄλλῳ Παρμενίδου γράφεται. Hoc nomen secunda editio recepit, priori non indicato. Eod. lib. c. 20. primum epigr. Straboni, in VV. LL. Platoni, tribuitur; varietatem ed. 1521. non memorat. Epigr. 12. in ed. princ. et 1503. est Timocreontis, in VV. LL. ἐν ἄλλῳ Ἑρμοκρέοντος γράφαται. De Agathiae epigr. (L. VII. ep. 73.) monet Chard. p. 315. illud latinis versibus esse expressum a Ios. Scaligero (in Poëmm. graec. et latt. L. B. 1615. p. 24. et in Megiseri Collect.) a Flor. Christiano (Epigrr. ex libris Gr. Anth. 1608. f. 98. b.) et a Fausto Sabeo (Epigrr. latt. 1556. Lib. IV. p. 627.). In Francof. exemplo Anth. gr., quod Huetii fuit, Huetii leguntur animadverss. hae, quae non sunt T. III. ed. Bosch.: ad v. 2. αὐαλέοις Huet. adscripsit: *Oculis somno non perfusis.* Ad v. 5. ἀμεγαρτε: *invidia carens; respicit tempus illud, quo ipsa vicissim amabit, iam vetula, cuius pulcritudini nemo invidebit.* Salmasium non integrum codicem Anth. Palatinum descripsisse, sed habuisse excerpta admodum imperfecta Chardonus huius Promt. anni IV. Tomo I. p. 92. ss. docuerat. Omnem rationem, quam Boschius in reddendo graeco textu est secutus, Chardonus improbat, propterea quod nec commoditati nec opibus philologorum satis consuluerit (p. 320. s.). Lib. I. c. 17. ep. 8. quatuor postremos versus (qui ap. Bosch. T. III. p. 512. in VV. LL. leguntur) potuerat iam Grotius vertere. Nam Sal-

masius eos in Tr. de modo usurarum p. 65. (1639.) ediderat. Collationem Gruterianam (T. III. Bosch. p. 511. ss.) non satis esse accuratam, idem Ch. docet. Sic L. I. t. 25. ep. 2. v. 7. in Ms. est, quod Grut. plane omisit:

Παίζοιτε, ἴετε θέλοιτε οὓς ἐμεῦ ὕςερον ὄντας.

L. I. tit. 31. ep. 8. distichon, quod post v. 2. esse dicitur, Ms. in fine ponitur, totumque ita exhibetur:

Ἰουλίου Πολυαίνου

ἐπί τινι εὐξαμένῳ εὐπλοΐην καὶ εἰς τὴν ἑαυτοῦ πατρίδα ὑποςροφήν.

1. Πολλάκις εὐξαμ. κ.τ.λ. 2. Τέκμαρ — εὔπλ. 3. Δοίης — σαώσοις. 4. Ηδη, καὶ καμάτων — λίμενα. 5. Οἶκος — περ. 6. Φρόντιδες κ. τ. λ. Vltimum distichon iterum, cum alia versione Grotii, legitur eiusd. libri tit. 48. ep. 3. p. 202. T. I. Bosch. Coniicit Chard. in Ms. quo Planudes usus sit, defuisse Polyaeni nomen, et ex *Iulio* fecisse eum *Iulianum*. Brunkius quoque bis posuit, sed a Salm. deceptus, qui numquam admonuit, quinam in editis lecti versiculi deessent in codice Pal., aut alius epigr. partem constituerent. Eiusdem generis errorem Chard. (p. 324 s.) notat, lib. 3. cap. 6. commissum, ubi ep. 21. (quod Alexandro perperam tribuitur) et 22. (T. II. p. 58. Bosch.) in cod. unum constituunt epigramma Simonidis. V. 3. (ep. 22, 1.) in cod. litterae ω verbi ἐπιδὼν superscriptum ο, unde Chard. legit ἔπιδον — perperam Salmas. e cod. notavit κατέβη. Vera lectio cod. est κατέβην. Tria Dioscoridis epigrammata male tribuuntur Sosipatro, de quo errore iam Chardonus alibi (Mag. enc. II. Annéé, T. I. p. 102. s. V. Année T. II. p. 35. disputavit. Vnum est ultimum libri VII. Planud. collect., quod etiam ap. Brunk. Iacobs. etc. tribuitur Sosipatro. Aliud epigr. (Μήποτε γαςροβαρῆ) Brunkius (Lectt. et Emendd. p. 119.) censet Dioscoridi inde

inde tributum esse, quod eius epigr. praecedat (T. I. Anal. Brunk. p. 494. ep. 7. Diosc.) Male. Primus versus implet ultimam lineam paginae 95. codicis, et in marg. legitur: Διοσκοριδου, reliqua pars est in superiori parte p. 96. cum hoc lemmate: εἰς Ἀρσινόην ἑταίραν Σωσιπάτρου, *in Arsinoen Sosipatri amicam.* Tum sequuntur quatuor epp. 1. ἡ πιθανὴ cum hac insc. τοῦ αὐτοῦ εἰς Ἀριστονόην — 2. μήποτε γαστροβ. cum hoc lemmate: τοῦ αὐτοῦ. Φλυαρία πρὸς ὁμοίους αὐτῷ, πῶς δεῖ μετὰ γυναικὸς ἐγκύμονος συγκαθεύδειν; 3. Δωρίδα, in marg. τοῦ αὐτοῦ εἰς Δωρίδα τὴν πόρνην, πορνικώτατον. 4. ἐκμαίνει etc. cum hoc lemm. τοῦ αὐτοῦ. ποίῳ κάλλει θηρεύεται, καὶ τίσιν ἁλίσκεται ἀνὴρ ὑπὸ τῶν γυναικῶν. Salmasius et Grut., qui male contulerunt codicem, τοῦ αὐτοῦ ad Sosipatrum, cuius nomen in lemmate p. 96. sup., retulerunt. Epigrammata quartae mantissae ap. Bosch. pleraque ex operibus Salmasii petita sunt. In 1. epigr. (p. 422. Bosch. T. III.) inscriptio in cod. est: ἐπὶ ἰξευτῇ παρὰ τοῦ Πανὸς (non ut Salm. dedit). Tertium inscribitur in cod.: ἀνάθημα ταῖς Νύμφαις παρὰ γραὸς πενιχρᾶς. Λάκωνος, οἱ δὲ Φιλίππου Θεσσαλονικέως. Quartum (p. 424.) codex ita inscripsit (p. 328): εἰς βίβλον τακτικῶν Οὐρβικίου ἀπὸ ὑπάτων. ἦν δὲ ἡ βίβλος πόνημα (non ποίημα) Ἀδριανοῦ βασιλέως, ἢ, ὥς ἄλλοι τινες Τραϊανοῦ Καίσαρος. Ep. 6. post Κολοφώνιον addendum e codice et Salmas. (ad Scr. H. Aug.) ποιητήν. Ep. 7. codex et ipse Salmas. (Exercc. Plin. p. 580.) *Alexandro* (Aetolo) tribuunt. Ep. 8. feliciter a Grotio versum, ita codex inscripsit: Ἀντιπάτρου εἰς μύλην. ὅτι τὸ παλαιὸν γυναῖκες ἠλέτρευον, πρὶν ἢ τὴν ἐξ ὕδατος τέχνην φανῆναι, ὡς δηλοῖ τὸ ἐπίγραμμα. Ediderat Salmasius (scriptt. hist. Aug. p. 193.) et iterum Boivinus (Mem. de l'Ac. d. Inscr. II, p. 295.) com-

mentario illustravit Schwarzius (Misc. Lips. Nov. T. IV. p. 96. ss.) — Ep. 11. non est in cod. Pal., sed ex cod. Paris. edidit Salmas. Exerc. Plin. p. 726. cum hoc lemm. Ἰουλιανοῦ τοῦ δυσσεβοῦς εἰς κοντοπαίκτην. Iuliani Aegyptii epigr. (23. p. 434.) non nisi primum distichon Grotio innotuit. Integrum ita se habet:

Ἑρμείῃ Βαίτων (non Βαίτου) ἁλινηχέος ὄργανα τέχνας
Ἄνθετο, δαμαίνων γήραος ἀδρανίην·
Ἄγκυραν, γυρόν τε λίθον, σπυρίδας θ' ἅμα φέλλῳ,
Ἄγκιστρον, κώπην, καὶ λίνα, καὶ δόνακας.

γυρος λιθος (rotundus lapis) est, quem Iulianus in ep. quod in cod. praecedit (l. VI. Anth. ed.) appellat μήτέρα πυρσῶν.

Epigr. 24. (in Cod. p. 145. s.) versu 1. in cod. ut in apogr. Salm. scribitur: σίτον (non σίτου) boves mihi pararunt frumentum (quod Chard. praefert; sed tamen non apparet, quomodo hoc sequentibus conveniat. Ch. tamen ita eum explicat: je devrois, t'offrir, o Cères, les boeufs, auxquels je dois le pain, dont je me nourris, mais contente-toi, je te prie, que je te les offre en pâte, et non en nature. Sequentia duo disticha (p. 436.) coniungenda auctore Athen. VI, p. 232. vidit Brunkius, et v. 3. δὲ addendum. In lemmate ep. 26. (Pauli Silent.) scribendum e cod. παρὰ Ἀνδροκλου. XXVIII. (Leonidae) inscribitur: εἰς Ἄρατον τὸν ποιητὴν, τὸν τὰ Φαινόμενα γράψαντα. Nec Salmasius nec Grotius animaduerterunt, esse illud epigr. quod I. c. 46. legitur Antipatro adscriptum. XXIX. et XXX. a. 1567. Victorius et Ursinus ediderunt. XXX. non est in codice. XXXI. (p. 438.) ita scripserat Salmasius:

Ἄδηλόν τινος ἢ ἐπί τινι.
Σπάρτης - - κλείω - ἢ προμάχαν.

Bis legitur in membranis hoc epigramma. Alibi autem sic scribitur: Κλαίω - ἔξοχον ἢ πρόμαχον. At in codice utrobique p. 375. et 413. est ἔξοχον ἢ προμάχων. Perperam Grotius: ἃ πρόμαχον. Chard. legit:

Σπάρτας καὶ Σαλαμῖνος ἐγὼ φυτὸν ἀμφήριςον·
Κλαίω δ' ἠϊθέων ἔξοχον ἢ προμάχων:

„Spartae aut Salaminis (sum) dubia proles: deploro autem eximium iuvenum et bellatorum." XXXII. (hic primum editum) est in MS. Pal. p. 482. sed inscribitur: Εἰς φιάλην ἐν ᾗ συνάγονται τὰ περιττά. Φωκᾶ, διακόνου. XXXIII. XXXIV. XXXV. ex hist. Byzant. (Zonar. T. II. p. 146. 150.) non digna erant Grotii versione. De XXXVI. cf. Zonar. II. p. 72. Selecta Epigrr. ex Floril. — lat. carmine conversa. Rom. 1608. p. 273. Denique respondit Chard. p. 336. s. loco cuidam praef. T. III. qui de Hier. Megiseri Opsoniis omnium horarum agit, alicubi in hoc Promt. a Sancto Legerio laudatis, non tamen, ut Boschius accepisse videtur, in contemtum Grotii.

Caeterum *Chardonus* diligenter versatur in conferendo illo antiquissimo codice, qui ut ex direptione Heidelbergensis Bibliothecae in Vaticanam, ita nuper simili modo in Parisinam abiit.

Ut Analecta Brunkii Lipsiensibus typis repeterentur, Iacobsio cum aliae causae tum libri illius caritas suasit. Exclusit tamen eorum poëtarum carmina, qui ad gnomicos referuntur, Solonis, Tyrtaei, Mimnermi, Simonidis iambos; Anacreontis odas, Sapphus et Erinnae lyrica carmina, Callimachi hymnos, Bucolicorum Idyllia, Timonis Sillos, Matronis Parodias; quae omnia cum epigrammatico genere non sunt coniuncta; quamquam et ex eo genere satius visum est, nonnulla retineri, ut Archilochi, Bacchylidis,

Simonidis lyrica etc. Graeca autem verba ita religiose ex Br. edit. describi I. iussit, ut non nisi ea loca mutaret, quae aut operarum errore vitiosa essent, aut a Brunkio in Not. et Lectt. lenissima et certissima emendatione correcta. Aliae emendationes, cod. lectiones, vetus scriptura, interdum in marg. notantur. Vellemus ubique vulgatam lectionem adnotatam esse; verum id commentario est servatum. Neque vero aut typorum Lipsiensium exilitatem, aut correctorum negligentiam laudare possumus. Caeterum bene institutum est, ut ad marg. paginae Anal. Br. notarentur. Nam cui sunt Analecta Br., is repetitione Lipsiensi facile carebit, et Indices Commentariosque solos emet. Etenim Indices non magis huic editioni, quam Argentoratensi Anal. Br. adcommodati sunt. Confecit autem et proposuit A. septem: 1. alphabeticum, initia epigrammatum, quae in Br. Anal., in Anthologia Planud. ex editione et Steph. et Wechel. in Miscell. Lips. et in Anth. Reiskiana reperiuntur, exhibentem; 2. Anthologiae Planudeae in VII. libros descriptae ex ed. Steph. et Wech. comparata cum Anal. Br. 3 epigrammatum in Musa Puerili Stratonis a Klotzio editorum, coll. Anal. Br. 4. epigrammatum a Reisk. ex cod. Lips. editorum, quibus accesserunt carmina Ieniana, coll. Anal. Br., 5. geographicum; 6. nominum propriorum deorum, hominum, et animalium; 7. argumentorum. Octavum Graecitatis indicem Commentario olim addet. In quo quidem commentario scribendo primum propositum doctissimo Viro fuit hoc, ut lectiones, quae in editis libris sunt, diligenter conquireret, fontes aperiret, pretium examinaret, coniecturas virorum eruditorum colligeret, suas emendationes et animadversiones adiiceret. Et quantum vel ex hoc laboris genere sperari posset utilitatis, Emendatio-

nes, a. 1793 satis declaraverant. Sed partim voluntas doctorum hominum, partim singularis, qua editor est, fortuna, inpulerunt eum, ut et commentario Anthologiam ornaret luculento, et inedita non pauca promitteret. Etenim non modo ei contigit, ut per *Guil. Vhdenum*, procuratorem regis Boruss. apud Rom. Pontificem notitiam Vaticani codicis nancisceretur accuratam, et ἀνέκδοτα epigrammata nonnulla, quorum quidem partem Vol. II. Exercitt. critt. edidit, sed ut etiam apographum *Ioannis Spalletti*, Bibl. Vatic. scribae manu factum, bis ab ipso, tertium ab Vhdeno cum codice collatum, aere ducis Saxo-Gothani emeretur et in bibl. Gothanam inferetur. Habuit idem Vinarienses et Krohnianas schedas. Et hae quidem continent epigrr. XLVI. ex omnibus fere Anth. Planud. libris, reliquias octo foliorum ex cod. membr., quae ex bibl. Krohnii in Gothanam transierunt. Porro comparavit Lascaris principem ed., tres Aldinas, Iunt. Ascens. et Steph., nec nisi una Veneta (1550. ap. Nicolinos Sabienses) aegre olim caruit, nunc etiam hac utitur. Contigit ei, Suhmii benevolentia, Reiskianus Apparatus, unde var. lectionis apogr. Lipsiensis, lectiones Tryllitsch. et Lacrozianas excerpsit; liber alius ms. qui Nansii fuisse putatur, et cui Is. Casauboni, Ios. Scaligeri, atque Anonymi insunt animadverss.; denique Schneiderus quoque suis eum iuvit observatis. Accesserunt recentius, Boschii potissimum liberalitate, alia praesidia, de quibus infra monebimus. In Prolegg. p. XXXIII. — CLXXXIV. primum de iis egit, qui primi epigrammata collegerunt, tum singulatim de Meleagro, de anthologia Philippi Thessalon., de Diogeniano Heracleota et Stratone Sardiano, de anthol. Agathiae Scholastici, cuius praefationem ex cod. Vat. edidit p. LI. ss. emendatam, cum not. (Agathiae Κύκλος non magis superest,

quam Meleagri et Philippi Στέφανοι), de anthol. Constantini Cephalae et codice Vaticano (cuius index exhibetur, ut omnino de historia codicis copiose exponitur), de anth. Maximi Planudis, eiusque fontibus, de huius Planudeae anth. editoribus, et interpretibus, scil. edit. principe Iani Lascaris, Aldina prima 1503., Iuntina Flor. 1519., Aldina sec. 1521., Ascensiana 1531., de Vinc. Opsopoei Annott. in Epigrr., Io. Brodaei annotatt., Aldina ed. tertia 1550. s. 1551. et Veneta ap. Nicolinos 1550., Stephaniana 1556., Wecheliana 1600., de Scholiis anthol. gr., de edit. Boschiana, de chrestomathiis quibusdam ex anth. Plan. factis, de Huetii, Frid. Sylburgii, Pet. Francii, et aliorum nonnullorum notis, de Cl. Salmasii in anth. curis, de Luca Langermanno, qui saec. XVII. medio Vaticanum cod. contulit, et anthologiam inde edere constituit, de variis libri Vatic. apographis (etiam Lipsiensi, Barberino Holstenii, Gothano Spallettii), de iis qui post Salmasium de anthol. bene meruerunt, Dorvillio, Iensio, Leichio, Reiskio, Klotzio, Schneidero, de Brunkii editione, et de iis, qui post Br. anthol. attigerunt. Ipse editor in commentario non modo hoc egit, ut a quo quodvis epigr. editum primum esset, ubi legeretur, a quibus tractatum esset, indicaret, lectionis var. notaret, emendationes et aliorum et suas, saepe felicissimas afferret, sed etiam, quidquid difficile videretur, si modo fieri posset, explanaret, et ex antiquitatis, artis, linguae scientia exquisita illustraret, argumenta cuique carmini praemitteret, et, quantum liceret, brevitati studeret. Neque tamen opus iam nunc profligatum est, id quod in tanta et epigramm. varietate atque difficultate, et observatt. necessitate et ubertate nemo facile mirabitur. Nam quae superiori anno prodiit Vol. II. pars secunda, de qua sola dico-

mus, complectitur epigrr. inde a p. 154. T. II. Anal. Br. (T. II. p. 141. Iac.) usque ad p. 343. (p. 54. T. III. Iac.) ita ut a Bianoris Bithyni Epigrr. incipiat, desinat in carminibus Lucillii. Laudantur in hoc vol. nova quaedam, Boschio debita, quibus usus est, adiumenta: editio Veneta Nicolinorum Sabiensium (de qua Chardonus in Millini Diario 1798. T. IV. n. 6. p. 215. ss. disputavit), Epigrr. Henr. Stephani studio selecta, duo exempla edit. Wechel. cum annott. mss., bina apographa anthol. ined., Guyetianum et Ruhnkenianum, utrumque ex communi fonte derivatum, et in marginibus coniecturas maximam partem Salmasianis, nonnullis etiam Guyet., et aliis recentiorum quorundam refertum; Lennepianum librum (tertium apographum), quo non modo inedita epigrr., sed etiam notae continentur, quas indicis auctor primum Boivino, dein eius nomine deleto, Salmasio adtribuit, Salmasium auctorem habere Boschius et Iacobs. docent, et quibus excerpta habuit Brunkius; apographum I. C. de Pauw, ex Guyeti codice descriptum, et Pavonis coniecturis repletum, apographum Dresdensis codicis, quod CXXX. epigrr. ex Stratonis Musa puerili habet. In Herodis Attici et Marcelli carminibus, usus est non modo *Viscontii* copiis, sed etiam *Heynii* et *Eichstadii* animadversionibus in eas. Vtinam vero dudum facta spes libri Viscontiani rarissimi vertendi et augendi non irrita evanescat! Poteramus ex hac novissima commentarii parte multas laudare sagacissimas emendationes et coniecturas, obscuriorum locorum explicationes doctas, subtiles disputationes, fontium vnde Graeci poëtae hauserunt et imitatorum sive graecorum sive latinorum comparationes utiles; sed consilium huius recensionis librorum nuper edd. iussit ad alia properare. Absoluto demum omni hoc opere cogitari poterit de parabili ma-

gisque et emendata et criticis potissimum obseruatt. instructa anthologiae editione, qua curanda nemo rectius poterit his litteris consulere, quam ipse commentarii editor.

Prodiit interea iam a. 1799. *Anthologia minor sive Florilegium Epigrammatum graecorum ex Anthologia Planudea et Brunckii Analectis selectorum, adiectis versionibus latinis Hugonis Grotii. Auctore Ioh. Arn. Kanne.* Hal. Sax. ap. Gebauer. 352. pp. 8. in qua edit. delectus praestantissimorum carminum laudandus est, etsi ad eorum meliorem sive lectionem sive explicationem nihil est collatum.

Inprimis autem commendanda sunt:

Analecta Critica in Anthologiam graecam cum supplemento epigrammatum maximam partem ineditorum. Collegit Imm. G. Huschke. Ienae et Lipsiae sumt. Frid. Frommanni MDCCC. XIV. 310. et X. pagg. 8. mai.

Auctor clarissimus, cuius eruditionem uberrimam et criticam facultatem cum aliae commentationes tum Epistola critica probarunt omnibus, duas fecit horum Analectorum partes, primam qua et edita epigrammata emendauit, et alia loca scriptorum et antiquitatis partes tractavit, alteram (p. 187.), qua epigrammata, maximam partem inedita, in lucem primus protraxit, emendata atque illustrata. Illius partis haec sunt capita: 1. Dioscoridis epigr. in Sophoclis tumulum opportunitatem dedit examinandorum commentorum de poëtae tumulo, quem alii Sirene, alii hirundine ornatum dixerunt. At χελιδόνα in Biogr. Soph. Huschkius in κηληδόνα mutat, quae κηληδόνες sunt Pindaricae Sirenes, et restituuntur etiam in vase Locris reperto et ab Arditio illustrata, cuius inscriptio multas et vanas peperit coniecturas, atque Luciano in Nigrino T. I. p. 41. Hemst. (ubi ἀηδόνας vulg.) In praef. p. VIII.

nonnulla adduntur. In Ionis Chii fragmento ap. Athen. introducitur Sophocles de discrimine inter poësin et picturam disputans. Illud fragmentum partim emendatur, partim explicatur. Restituitur ei pro vitioso πράσσοι exquisitum verbum βρυάζοι *convivaretur*. Erycii fragm. epigr. in Soph. ansam praebuit, ut verborum neutrorum usus transitivus, et aliquot formulae minus notae, v. c. ἐπιμαίνεσθαί τινα illustrarentur, quae ex antiqua lectione in Moscho defenditur, et cum poëtica structura v. *insanire* comparatur. 2. epigramma in Meleagri tumulum corrigitur et explicatur. Difficiliora quaedam Propertii, Eurip. et Sophoclis loca illustrantur. Sunt ea, quae ad Amoris vim declarandam spectant. In Eurip. Hipp. 1274. lectio antiqua μαινομένᾳ κραδίᾳ, ut in Catull. Epith. P. et Th. 94. *immiti corde* defenditur. Mythus Platonis de parentibus Amoris, et alius de Erote et Anterote illustratur. 3. Alia Meleagri, Nicarchi, Argentarii epigrammata corriguntur. Verissime animadvertitur Galenum de Hippocr. et Plat. IV. extr. duo poëtarum loca confudisse, alterum Aesch. Prom. 642. alterum Eurip. in Oeneo. Formulae εἰπεῖν εἴς τινα, γράφειν εἰς ὕδωρ, τύπος ἔρωτος illustrantur. Meleager, Theocritus (in Adon.) et Plato (in Phaedr.) inter se comparantur. 4. *Passi* crines (lugentium) et *sparsi* (vaticinantium) bene discernuntur. Syracosias, Corinthias, etiam Atticas feminas male locutas esse observatur, et sententia Pauwii ea de re loco Platonis idoneo comprobatur. *Sicilissitare* apud Plautum illustratur. Ciceronem Platonis verba expressisse notatur p. 90. De forma vocabb. in δεύς ad pullos animalium designandos p. 101. ss. 5. Inter alia ex Etymol. Ms. Bibl. Götting. (olim Kulencamp.) fragmentum Sophoclis affertur. Ἅδης ut domus exilis Plutonia Horat. de sepulcro dicitur. Vt εὖχος est donarium diis dedica-

tum, ita εὐκταῖοι dii, quibus vota homines fecerunt. Φονία νεφέλη Sophoclis recte a Cic. Tusc. II, 8. vertitur: vestis furialis (qua Hercules a Deianira est perditus.) 6. Philodemi aliquot epigg. tentantur, et corrigitur is, qui Opus Philod. de Musica e papyris Hercull. edidit. Fragmentum graecum in Cic. IV. ad Att. 16. ita corrigitur: οὔ σ' οἶδ', Ἄρες, ἅμα Παφίῃ. (sine interrog.) Ἀνὴρ κερασφόρος, cuius uxor male audit, bene illustratur, et hanc dictionem Gallis primum in expeditione Constantinopolitana saec. XIII. innotuisse coniicitur. Forsitan tamen cum Graecis in Italiam venit, unde Galli ex Neapolitana expeditione retulerunt in patriam (saec. XV.). 7. De fabulis aliquot Menandri, opportunitate epigr. Agathiae quaeritur. Πολέμων non titulus est comoediae, sed persona dramatis Περικειρομένη inscripti, hoc autem esse probabiliter idem atque Ῥαπιζομένη, quod ex Propertio, Ovidio et aliis colligitur, sed diversum ab eo id, quod ἡ Γλυκέρα inscribitur, A docet. Epigrammata nonnulla, quae H. e codicis Vatic. apogr. a I. secum communicata edidit, postea vidit a Chardono iam esse evulgata. Multa sunt satyrica et aenigmatica, quae docte illustrantur. Quod in cod. Crinagorae tribuitur, et a Planude suppletum est, id Diogenis esse Laërtii ex eius VIII. de vit. phil. extr. docetur. Ineptias recentioris poëtae cum antiqua elegantia in egregia sententia de Δίκης vi comparavit H. p. 264. s. Alias praestantissimas sententias e fragmentis p. 289. s. enotavit. In Cratini loco ap. Schol. Pind. Ol. VI, 152. πεζοφόρον in κρυπεζοφόρον s. κρουπεζοφορων mutatur (p. 291.) praeeunte Polluce. De variis Coroebis p. 190., de usu verbi τιθέναι pro ἀνατιθέναι (consecrare) p. 210. agitur. In tanta rerum et observationum varietate, utilissimus est, qui additus legitur, Index, quamquam et ille augen-

dus. Sic *arcus* post Cic. aetatem de fornice dictus (p. 277.), πόλις de insula (p. 293.), Apollonius Rhodius Ἥλιος dictus (p. 274.), adiicienda sunt.

Principi poëtarum graecorum, *Homero*, cuius quae dicuntur carmina diu tantum non neglecta iacuerunt, extremo demum saeculo, et maxime, ex quo a Villoisono Venetorum Codicum Scholia in Iliadem erant edita, diligentiam et curam viros doctos maiorem impendisse constat; sive ea in origine eorum, quae Homero tribuuntur poëmatum, et antiquissima lectione indaganda, siue in oratione, mythis, rebusque expositis et poëticis virtutibus explicandis poneretur. Et, ut de aliis nunc taceamus, partim quae de topographia, partim quae de veritate belli Troiani disputata ita sunt, ut loca Iliadis multa illustrarentur, breviter recensebimus. Etenim quae *Vuoodius* de Troade atque locis in Iliade memoratis dixerat in lib. de ingenio Homeri, et append., ea sub examen iam ante hos decem annos vocavit atque confutavit *Lechevalierius*, quem in Oriente et in illis ipsis locis diu versatum esse nemo ignorat. Eius Commentatio in consessu Societ. Edinb. recitata, prius in Germania vernacule conversa, quam apud exteros prodierat. Nam a. 1792. Lipsiae editus est liber:

Beschreibung der Ebene von Troia mit einer auf der Stelle aufgenommenen Charte, der königl. Societät zu Edinburg im Febr. und März 1791. vorgelegt von — Herrn Lechevalier, Corresp. der Kön. Soc. d. Wiss. zu Gött. etc. *Mit Anmerkungen und Erläuterungen von Herrn Andr. Dalzel*, Mitglied d. kön. Soc. zu Edinb. Prof. d. griech. Litt. und erstem Biblioth. d. Vniv. zu Edinb. *Aus dem Englischen übersetzt, und mit Vorr. Anm. und Zusätzen des Hrn. Hofr. Heyne begleitet.* XXXIV. 284. pp. 8. mai. m. 4. Charten.

Cui quidem versioni a Fr. Dorneddeno factae prae-

ter Heynii praef. et animaduerss. duae accesserant commentationes, altera b. Kästneri de altitudine montis Atho (über Höhe und Schatten des Berg Athos, von *A. G. Kästner*, p. 231. ss.) altera Heynii de Iliadis topographia (über das Local in der Iliade, p. 246. ss.)

Ipse autem *Dalzelius* postea et in Actis Societ. Edinb. et separatim libellum edidit, quo adduntur nonnulla.

Mr. Le Chevalier's Tableau de la plaine de Troye illustrated and confirmed, from the Observations of subsequent Travellers and others. *From. Vol. IV. of Transactions of the Royal Society of Edinburgh.* 1798. 93. pp. in 4.

Sed eodem anno (1798.), quae recentius a pluribus VV. DD. erant observata, collegit, et suis animaduersionibus aucta edidit *Lenzius*:

Die Ebene von Troia nach dem Grafen Choiseul Gouffier und andern neuern Reisenden, nebst einer Abh. des Hrn. Maior Müller in Göttingen und Erläuterungen über den Schauplatz der Ilias und die darauf vorgefallenen Begebenheiten von Carl Gotthold Lenz, Herz. S. Weim. Rath und Mitglied der Ges. der Alt. zu Cassel. *Mit Kupf. Neustrelitz.* XXVI. 306. pp. 8. mai.

In comitibus illustris illius viri, qui primus in indice huius libri laudatur, quemque dudum Graeciae Descriptio reddidit celeberrimum, fuerat etiam Lechevalierius, qui, cum tamen non omnia recte aut obseruasse aut adnotasse videretur (Fauvelius enim a Choiseulio inprimis adhibitus fuerat ad campos Iliacos perquirendos et monumenta delineanda): *Binderus*, Cibiniensis, comm. de politia veteris urbis Romae, Gött. 1791. edita clarus, Choiseulii observationes, quas ab ipso, dum 1793. Cibinii versabatur, acceperat, Len-

zio misit, a quo eae non modo editae, sed etiam auctae sunt. Nam ut ipse nonnulla de singulis locis, et tumulis, rectius quam Chevalierius, monuit, ita alia verius ab hoc dicta esse videntur; quam in rem ea, quae discrepant, comparavit et examinavit editor. Caeterum ut Binderus de fatis eorum monumentorum, tabularum et delineationum, quas Choiseulus collegerat, et partim per Traguetum miserat in patriam, partim aeque incertae fidei Cassae (*Casas*) commiserat, exposuit: ita vitam et res Chevalierii Lenzius breviter enarravit. *Iacobus Bryantius* etsi negauit, fuisse Troiam, tamen de regione egit, in qua Homerus Troiam sitam finxerit. Hanc libri eius partem, non indignam quae legeretur, vernacula lingua reddidit L. p. 90—112. Eam excipiunt observationes ex litteris eorum, qui recentius per ea loca iter fecerunt, delectae: *I. Hawkius*, *I. Sibthorp*, *R. Liston*, inprimis *Schwartzii*, Brunsuigensis, et *Helvigii*, Stockholmiensis, ad Heynium missis epistolis. Cum idem Heynius editori misisset delineationem sepulcrorum, quae dicuntur Aiacis, Achillis et Patrocli, a Lechev. nuper acceptam, satisque certam, editor p. 128—131. singulari observatione (Die Grabhügel des Aias, des Achilles und des Patroklos) docuit, non ea esse Homericae, sed serioris aetatis. Copiosior est *Mülleri*, Göttingensis, (Ueber das Lokal in der Iliade, vom Ingenieur-Maior *Müller* in Gött. p. 132—181.) disputatio, qua non modo errores Chevalierii nunnulli vel monstrantur, vel corriguntur, sed illustrantur etiam, quae ad tacticam Graecorum artem, ipsiusque belli historiam, in Hom. carminibus leguntur. Quamquam autem negari non potest, in variis partibus Iliadis Hom. diversitatem topographiae quandam esse observatam, et, si illud carmen non unum, sed plures habet auctores, videntur ii in hoc quoque genere dis-

crepare potuisse: tamen cum Critici seriores probabiliter conciliare haec studuerint, omninoque, si a paucis discesserimus locis, pleraque conspirent, non inutilem editor impendit operam Troianae regioni cum ex Hom. Iliade, tum ex aliis vett. scriptoribus describendae. Etenim certius fere intellectum est, qualis nunc sit eius facies, et olim fuisse videatur, quam qualis secundum scriptt. antiquissimos vere fuerit. Prima Comm. (die Ebene von Troia nach dem Homer. p. 192—264.) a castris Graecorum progreditur ad campum Troianum, eoque peragrato de praeliis in Iliade agit. Non singula modo loca illustrantur, sed et de universa Boeotia s. Catalogo Navium quaeritur. Adiectae sunt aliae disquisitiones: 1. p. 264. quanta licentia sit poëtarum in temporis locorumque spatiis definiendis et observandis (von der Zeit und dem Raume der Dichter), qua in re Homeri interpretes saepe errarunt; 2. p. 281. de illo Il. loco, quo Scamandrum Hephaestos vicisse traditur (von dem Siege des Hephaistos über den Skamander). Altera Comm. (Die Ebene von Troia nach den Angaben der alten Geschichtschreiber, p. 287. ss.) Strabonem potissimum sequitur, ita tamen ut nec fragmenta aliorum historicorum negligantur, ut Hellanici, cuius fragm. in schol. Ven. Il. XXI, 242. ex Iacobsii et editoris coniectura corrigitur.

Sequente anno ipse Chevalierius non modo tabulam geogr. Troadis veteris, sed librum etiam emendatiorem edidit, et auctiorem, cuius haec est inscriptio:

Voyage dans la Troade, ou Tableau de la plaine de Troie, dans son état actuel. Par le Citoyen Lechevalier, Corresp. d. Societés littér. d'Edimbourg, Gottingue et Madrid. *Seconde edition.* — A Paris, chez Laran. An VII. 266. pp. 8. mai. cum pluribus tabb. aen.

Prima pars septem capitibus exponit de itinere a

1785. Venetiis usque ad prom. Lectum instituto, de ruderibus Alexandriae Troadis, de duobus itineribus ab auctore in campos Troianos susceptis, de Hellesponto, de iis quae Kaufferus postea detexerit et emendarit, et de iudiciis exterorum, ubi et ille, quem modo laudavimus, Lenzii liber commemoratur. Secunda Pars (p. 59. ss.) quinque capp. continet descriptionem Troadis ex Homero, Strabone, aliis scriptt. antt., Popio et recentioribus, qui in illis locis fuerunt. Tertia (p. 137. ss.) habet 17. capita. Camporum Troianorum, quae nunc est, conditio, et castrorum Graecorum situs describitur; de Simoënte, Scamandro, atque Ilio et aliis locis, inprimisque de pluribus sepulcris quaeritur. P. 256. ss. quinque tituli graeci, in his locis reperti, afferuntur, et, quantum fieri potuit, integritati restituuntur. P. 237. adiecta est tabula, qua singulare Palladis simulacrum atque vasa in tumulo qui dicitur Achillis reperta, exhibentur, et p. 254. delineationes sepulcrorum Aiacis, Achillis, et Patrocli, de quibus antea dictum est. Aliae tabulae habent numos colon. Alexandriae Troadis, Impp. Romm. cum Scamandro, Ilii novi cum Palladis imagine etc. Denique et anaglyphum inter rudera Alexandriae Troadis inventum, quod genium s. Psychen cum alis papilionis, insidentem camelo sistit, et imago cameli s. dromedarii, quo nunc in peregrinationibus utuntur, exhibetur. Ipsi operi insertum est p. 90. ss. egregium fragmentum Villoisoni, historiam Troadis sub Byzantinorum imperio continens.

Hunc quoque librum, sed libere versum, et multis additamentis locupletatum Lenzius superiori anno edidit:

Reise nach Troas oder Gemählde der Ebene von Troja in ihrem gegenwärtigen Zustande vom Bürger

Lechevalier. Nach dem Französ.. der zweiten Ausgabe frey bearbeitet von C. G. Lenz, Prof. am Gymn. zu Gotha. Mit VIII. Kupf. und 1. Charte. Altenburg und Erfurt, b. Rinck und Schnuphase 1800. 271. pp. 8. (non numeratis pagg. praef.)

Tria sunt, quibus francogall. editioni haec versio praestat. Primum in brevius contraxit editor nonnunquam auctoris narrationem, sed ita, ut, quod comparando intelleximus, nihil memorabile omitteret. Deinde ipse animadversiones adiecit, quibus aut illustraret, aut corrigeret aut in dubium vocaret et examinaret ab auctore confidenter pronunciata; in quibus quidem animadversionibus nemo facile nec doctrinam nec subtilitatem nec humanitatem desiderabit. Sic cum Chev. dixisset, de titulo illo antiquissimo Sigeo non superesse nisi duo verba Φανοδικο ειμι, L. Akerbladio praeeunte, docuit, alia etiam singula verba et litteras etiamnum legi, p. 184. Illorum monumentorum, quae in Achillis tumulo a Gornezano reperta traduntur, authentiam admodum esse dubiam, p. 195. s. ostenditur. Caeterum editor saepe suum, quem antea indicavimus, consuli iussit librum, ita ut utriusque necessario sit coniungendus. Denique inde a p. 223. addita sunt, quae inprimis hanc editionem ornant, in his primum et potissimum Akerbladii, Sueci, qui et ipse bis illa loca vidit, litterae (Sendschreiben des kön. schwed. Secretärs Hrn. Åkerblad an den Uebersetzer von Lechevalier), quibus loca quaedam auctoris retractantur, errores notantur, tituli novi afferuntur (p. 230. 234. 240 s.), etiam Sigea ita descripta, ut Ak. eam d. 26. Iun. 1797. legit et descripsit (p. 239.); Schwarzii litterae ad Heynium Tergesti d. 12. Dec. 1797. et ad Lenzium Hamburgi d. 4. Febr. 1800. scriptae, quibus insunt, quae Schw. a Hawkinsio acceperat; Helv[illegible]

ep. ad Heynium, Dalzelii ad Böttigerum; Anonymi, Observatio ad L. III. c. 19. qua parum honorifice de Choiseuli Gouffierii eorumque quorum opera usus est statuitur; Kaestneri addit. ad ea, quae olim de monte Atho eiusque umbra disputaverat; alia Kriesii Observatio de eadem re; Böttigeri epist. qua et titulus antiquus emendatur, et coniicitur, Palladem illam in tumulo Achillis esse Dianam Ephesiam cum velo et calatho. Ad ipsos titulos quos Lechev. edidit, Lenz. nonnulla de suis attulit, tabulas aer. alio ordine disposuit atque uberius explicuit, omissa autem ea tabula, quam versioni libelli Choiseul. addiderat L., aliam ex Morritto praefigi iussit, quae vicum Bonnar-Baschi, vicinamque regionem, veteris Troiae, ut creditur, sedem exhibet.

Interim etiam *Dallaway* Anglus loca illa descripserat, ita tamen, ut magis ab aliis observata repeteret et confirmaret, quam noua et certiora afferret, in libro qui et ipse interpretem vernaculum habuit:

Constantinople ancient and modern, with Excursions to the Shores and Islands of the Archipelago and of Troad. Lond. 1797. 4.

I. Dallaway's Reise nach Constantinopel und die umliegende Gegend. Aus dem Englischen. Chemnitz, b. Tasché, 1800. 8. *mit* 1. *Kupf. und* 1. *Charte.*

Vt *Schwartius* 1797. cum Hopio maiore, ita recentissime (m. Iun. 1799.) cum Hopio iun. *Guilielm. Franklinus* (itineris Persici a. 1790. et historiae regni Scachi Allumi auctor) Troianos campos peragravit, atque edidit:

Remarks and Observations on the Plain of Troy, made during an Excursion in Iune 1799. By William Franklin, Captain in the service of East India Company, and author of a tour to Persia etc. London,

printed for R. Flauder, *by C. Clarke*. 1800. *VII*. 58. *pp*. 4. *mai*.

Libellus germanice conversus, paucis locis omissis aut oratione verbosa contracta, est in Ephemeridibus geographh. a *Gaspario* et *Bertuchio* editis (Allgemeine geographische Ephemeriden — Siebenter Band) 1801. m. Ian. p. 25—63. ubi etiam in calce tabula geograph. a Franklino delineata, est repetita. Sed de ipso et aliis in iisdem Ephemm. Vol. VI. 1800. m. Dec. p. 484 ss. agitur. Et Franklinus quidem etsi Chevalierium laudat et in plerisque sequitur, tamen nonnullos errores vel ab ipso vel a Morritto (de quo paullo post dicetur) commissos correxit. Appulit Fr. ad prom. Rhoeteum, indeque petiit Aiacis sepulcrum, *In Tepe* nunc dictum, h. e. tumulum speluncae (ut Akerbladius interpretatur); inde descendit in vallem olim Thymbra, nunc Thimbrek, appellatam, de qua ut et de reliquiis templi Apollinis copiosius, quam alii, dixit. Non modo tumulos illos, qui iam antea erant a multis dicti, vere heroum Homericorum fuisse sepulcra censuit, sed auxit eorum numerum tumulo Paridis, quem appellat. Cum Fr. quoque ex ruderibus nonnullis atque columnis marmoreis concluserit, in vicinia illius, qui nunc dicitur *Bunarbaschi*, vici vetus Ilium fuisse (cuius argumenti vim iam Lenzius ad Chevall. p. 147. et 150. impugnavit), noster in ea regione describenda uberius versatur. Tum Gargarum petiit, atque inde fontes et cursum Scamandri, et huius quidem etiam antiquum alveum, investigavit (nam ex vetere cursu fluvius nescimus quo tempore in canalem versus meridiem derivatus est), et, post Akerbladium tamen, locum probabiliter detexit, quo olim Scamander cum Simoënte coniunxit aquas. In mappa, quae omnino non accurate factis nititur locorum dimensionibus, perperam

fluvius Thimbrick s. Dumbrek dictus, fingitur in Simoëntem effundi, cum tamen testibus aliis et idoneis viris, ipse in Hellespontum exeat. Gormazanum a suspicione fraudis consulto commissae liberat, etsi ipse etiam non multum illis operibus ab eo inventis tribuit. Ceterum optat, ut Simois et Scamander, huiusque fontes, quorum alter hieme incalescere traditur, hiberno tempore examinentur (etsi Dallawayus m. Novembri, Choiseulus Februario fontes Scamandri observarunt), et ut Hawkinsius, cuius summa diligentia ab omnibus laudatur, tandem, quae ipse viderit et perquisiverit, iusto libro enarret. Quamvis enim, post Pocockii, Chandleri et Woodii narrationes, contigerunt nobis tum eorum, qui per illa loca fecerunt itinera, Lechevalierii, Choiseulii, Sibthorpii, Helvigii, Hawkinsii, Morritti, Dallawaii, Akerbladii, Schwartzii, Franklini, tum aliorum, Heynii, Dalzelii, Bryantis, Vincentis, Wakefieldii, Mülleri, Lenzii observationes, atque tabulae geograph., tamen nec certa omnia sunt, et e pluribus libris non sine multa opera colligenda. Et in illis quidem, quos nominavimus, fuerunt, qui, utrum Troia vere fuerit, bellumque Troianum gestum, disceptarent. Nam ut inter vett. (v. Dion. Chrysost. Or. XI. T. I. p. 307. ss. Reisk.) et recentiores (v. Eb. Rud. Roth Exerc. hist. de bello Troiano, in qua — ostenditur, Troiam in illo bello — minime a Graecis — fuisse deletam, Ien. 1674.) exstiterunt, qui veritatem eorum, quae in Hom. carminibus et apud alios scriptores leguntur, impugnarent (add. Fabric. Harles. Vol. I. p. 349. 563.): ita, post *I. Maclaurinum*, cuius diss. in Commentt. Societ. Edinb. a Bullio germ. versis T. I. n. 4. legitur) inprimis exstitit, qui in hanc sententiam disputaret, *Iac. Bryantius*, qui ut doctrinae ubertate

et subtilitate, ita opinionum singularium studio indulsit; et ille quidem edidit:

1. *Observations upon a Treatise entitled a Description of the Plan of Troy* etc. Lond. 1795. 49. pp. 4. quibus impugnavit Chevalierium, nuper suam causam bene tuitum.

A dissertation concerning the war of Troy and the expedition of the Grecians as described by Homer, shewing that no such Expedition was ever undertaken and that no such City of Phrygia existed. Lond. 1796. 4. Cadell and Davies. (Vnde plurima excerpsit Lenzius, in Novo Mercurio german. a. 1797. Part. 3. p. 247. ss.) add. *Iak. Bryant* Abh. über den Troianischen Krieg, aus d. Engl. übersetzt von *Nöhden.* Berl. 1797. 8.

Bryanto Wakefieldius, Vincentius, Morrittus se opposuerunt:

A Letter to Iacob Bryant, Esq. concerning his Dissertation on the war of Troy, by Gilb. Wakefield, B. A. Lond. 1797. 4. Kearsley. (cf. Critical Review 1797. Oct. p. 130. ss.)

Remarks on some Passages in Mr. Bryant's Publication respecting the war of Troy, by the Editor of the Voyage of Hanno (Vincent) 1799. 8.

A Vindication of Homer and of the Ancient Poets and Historians, who have recorded the siege and fall of Troy: in answer to two late publications of Mr. Bryant with a map and plates, by I. B. S. Morrit, Esq. Lond. 1798. 4. Cadell and Davies, cum mappa geogr. et 12. tabb. pictis.

Cum liber Morriti, qui, ut certior redderetur de iis, quae dubitationi essent obnoxia, ipse in illa loca fuerat profectus, eruditione et acumine superaret alios, in eum inprimis calamum strinxit Bryantius, edito libro:

Some Observations upon the Vindication written by I. B. S. Morrit, Esq. By Iac. Bryant. Eton. 1799. 4.

Sed ipse Morrittus non ita multo post edidit: *Additional Remarks on the Topography of Troy*, as given by Homer, Strabo, and ancient Geographers, in Answer to Mr. *Bryant's* last Publication. Lond. 4.

Caeterum etiam Morritti librum recensuit *Guil. Vincentius: A Review of Mr. Morrit's Vindication of Homer.* 1799.

Et de his quidem libris copiosius etiam relatum est in Ephemm. litt. Gôtting. 1798. p. 1849. 1799. p. 1306. s. 1317. s. 1800. p. 1797. Non autem inutilem suscepisse laborem videbitur, si quis, ut ante hos XI. annos Wagnerus in disceptatione de chronico Pario fecit, ex his libris, quae in utramque partem disputata sunt, collegerit, et suo iudicio interposito ad usum nostrorum hominum accommodaverit.

Hymnis, qui Homero tribuuntur, ipsis etiam contigit recentius docta cura plurium criticorum, quorum nonnulli etiam consilium ceperant eorum edendorum, quod quidem unus exsecutus est *Car. Dav. Ilgenius*, Ienensis Professor, a. 1796. Quae ipsa, luculento commentario ornata editio, permovit *Augustum Matthiae*, Virum doctissimum, ut, non repeti textum iuberet, sed suas vel de universis hymnis, vel de singulis locis disputationes separatim ederet.

Animadversiones in Hymnos Homericos cum Prolegomenis de cuiusque consilio, partibus, aetate; auctore Aug. Matthiae. Lipsiae in libr. Weidmann. MDCCC. XVI. 462. pp. 8. mai.

Et habuit quidem editor nova non ingenii modo sui et lectionis, sed etiam scriptorum librorum atque alia praesidia. Mitscherlichius enim varias lectiones Moscoviensis codicis, a Matthaeo Viteb. Prof.

acceptas, quem accurate cum hymnis contulerat, editori misit; et Corayus, medicus graece doctissimus, tres codices Parisinos in usum editoris comparavit, quorum primus (A. chartac. in 4. N. 2763. Bibl. Nat., saec. XVI. scriptus) continet Orphei Argonn. et Hymnos, Procli, Callimachi, Homeri hymnos, Moschi Amorem fugit., Musaei Hero et Leandrum, Hesiodi Opera et Dies, Scutum et Theog., atque Theocriti Bucolica; secundus (B. membr. in 4. min. N. 2765. saec. XIV.) habet hymnos Orphei et Homeri, atque Moschi Amorem fugitivum; tertius (C. membr. saec. XIV. in 4. N. 2833.) Theocriti Bucol., Homeri hymn., Moschi Am. fugit., Musaei Carmen, Hesiodi tria carmina, Dionysii Periegesin, Theognin et Phocylidem, complectitur; quorum codicum etsi duo Ruhnkenius examinaverat, tamen editor lectiones non contemnendas, ab illo omissas, invenit. Denique a Vuyttenbachio accepit Ruhnkenii pauculas adnotatt., exemplis hymni in Cer. et Epp. critt. adscriptas. Cum Ruhnken. laudasset Georg. Dartonae versionem hymnorum latinam, quae codicis loco haberi posset: hanc quoque M. examinavit, neque ei tantum esse statuendum pretium docuit. In Prolegg. primum de hymnis universe disputauit, ita ut omnes reuocaret ad duo genera, *mythicum* et *physicum* s. philosophicum. Illius fecit tres species: *epicos*, *lyricos*, et ex utraque *mixtos* hymnos. De cuiusvis generis usu et poëtis monetur. Homericos hymnos maiores vere esse epicos, inter minores quoque nonnulla legi ἔπεα breviora, sed plurimos eius generis constare invocationibus deorum, docet. Prooemia fuisse aliis carminibus praemittenda coniecit nuper *Vuolfius*, quod de minoribus hymnis recte statui censet M., in maiores quosdam cadere negat; et clausulas, quibus maxime nititur Vu., conie-

etura, existimat ab iis qui hymnos decantabant, pro re et tempore esse adiectas. Sed de omnibus hymnis cum non omnino decerni posset, auctor singulos persecutus est, ita ut argumentum, partes, consilium, indolem, auctorem cuiusque exquireret; qua in re saepius a Groddekio et aliis diuortium suae fecit sententiae. Interdum ipse fatetur, esse facilius, aliorum decreta refellere, quam, quid certum sit, afferre, inprimis si de poëta, qui hymnum confecerit, quaeratur. Quod ad hymnum in Merc. adtinet, eius vix dimidiam vel tertiam adeo partem censet genuinam esse, reliqua omnia a Grammaticis s. librariis adsuta, aut omnem etiam hymnum ex diversorum poëtarum fragmentis compositum. Singulatim spurios censet locos v. 24—66. 87—95. 294—307. 409—500. 504—510. duo autem fragmenta diversi carminis 524—530—547. Alia loca in eodem hymno extr. transponit. Atque hoc unum specimen criseos M. laudasse sufficiat. Nam ad singula descendere, de quibus eo facilius disceptari potest, quo audacior est in eiiciendo et corrigendo editor, nec vacat, nec lubet. De minoribus hymnis breviter disputavit. Animadversiones (inde a p. 107.) non in critico modo genere versantur, sed etiam in verbis, formulis, fabulis, sensu, etiam aliorum poëtarum comparatione illustrandis. Quo magis consulturus fuisset editor lectoribus, si indicem observatt. confici et addi iussisset. Nam sunt etiam aliorum auctorum loca tractata, ut Pindari fragmentum p. 31. In h. in Cer. v. 10. ubi pro vulg. σέβας τότε πᾶσιν ἰδέσθαι M. legit: σέβ. δ᾽ ὄγε (Narcissus) π. ἰ. facilius erat scribi: σ. τό γε π. ἰ. h. e. ὅ γε σέβας ἐς. π. ἰ. Sed alio tempore licebit plures examinare coniecturas. Constitueramus his graecis poëtas addere duo principes Latinos, qui et ipsi nuperrime novis curis editorum praestantissi-

morum ornati sunt, sed tum de iis tum de aliis auctorum vett. edd. et versionibus proximo anno editis, secutura particula exponet.

Illud addere hoc loco placuit, primum superiori demum anno apud nos divendi coepisse hunc libellum, quatuor annis ante apud Batavos editum:

Thesium controversarum iuxta seriem digestorum, Decades octo et viginti, a titulo ultimo Libri XXII. usque ad finem Libri XXVII. Auctore Bavio Voorda. Accedit eiusdem Dissertatio ad L. 7. §. 1. D. Solit. Matrim. etc. *nec non Lectionum et Interpretationum Tullianearum Liber singularis.* Lugduni Batavorum apud S. et I. Luchtmans et L. Herdingh. 1796. VIII, 474. pp. 8. min.

Missis locis Iurisprudentiae Anteiustinianeae, et Corporis Iuris, quae plurima vel explicantur, vel emendantur, monebimus tantum, Librum Lectt. Tull. (p. 425. ss.) pertinere ad haec Ciceronis loca: de Off. I, 26. 44. II, 21. 24. III, 5. 6. 12. 15. (ubi ut et aliis locis *Atque* pro *Atqui* legendum esse docet) 16. (bis). 17. 22. De nat. Deor. II, 16. inprimisque 32. 57. (quibus locis vocab. *naturae* suspectum est) lib. 3. init. (ubi *si* mehercule, optative, subintell. verbo *venirem*, explicatur), de Orat. I, 12. (qui locus, ut et alius Off. II, 18. interpretatione emendata iuvatur), p. Rosc. Amer. c. 38. Act. I. in Verr. c. 9. Lib. I. in Verr. 54. II. in Verr. 12. p. Caec. 21. In hoc postremo loco ubi ex vulg. lectione *armorum iudicium* opponitur *iudicio iuris* et *aequitatis*, ea oppositio displicet Voordae, et pro *armorum* reponi iubet *verborum*, quia semper ita in hac orat. (18. 22.) verborum et rerum iudicia sibi opponit, nec ad Aebutium dicendum fuerat de armorum iudicio. Etsi autem concedimus, existere *armorum* ex proxime antecedd. potuisse: tamen non vide-

mus; quidni vulgatum retineatur, ita explicandum: si indicatur, quaenam proprie arma appellanda sint etc. In Act. I. in Verr. 9. ubi in Infinitivi soloecismo multi haeserunt, V. adsentitur iis, qui pronomen *qui* cum *intelligerent* iungunt, et ad *venisse* subintelligunt *eos*. Probabiliter in Lib. I. in Verr. 54. emendat: *ut non optima conditione sit is* etc. Vulgo negandi particula deest. In Thesium Decade X. quum de divortio ageret auctor, non modo Mosaicam legem, sed ea etiam, quae in Matth. Ev. V, 31. s. Marc. X., 11. s. et 1. Ep. ad Cor. VII, 15. s. eam in rem leguntur p. 123 — 132. tractavit.'

'Deinde nuper etiam de vetustissimis auctorum vett., maxime Latinorum, editionibus, quae e codd. fluxerunt, et criticam habent auctoritatem, accuratius est admonitum, ita ut sperari possit, fore, ut aliquando origines et fata lectionis cuiusque scriptoris melius et certius teneamus. Praeter *Panzeri*, ingentis laboris opus, Annalium typogrr., memorandi nunc quidem sunt libelli hi:

Monimentorum typographicorum Decas. Illustravit ad Panzeri Annal. Typograph. accommodavit atque edidit Io. Gottlob Lunze, AA. M. Schol. ad D. Nic. Conr. Lipsiae in bibliop. Schäfer. MDCCIC. 32. pp. 8.

Enarrantur edd. classicorum scripptt. hae: 1. M. T. Ciceronis de Oratore dialogi tres. MCCCCLXX. f. (ed. Valdarferiana). 2. Sallustius, s. l. 1470. Fol. min. s. 4. (quae editio bibliographos effugit, Venetam Vindelini priorem, quam Maitt. commemorat, esse L. censet. Obiter de eiusdem Vindelini ed. Epp. Cic. ad Famil. 1571. agitur). 3. M. T. Ciceronis Orationes. Venet. per Cph. Valdarfer. 1471. f. 4. Servii Commentarius in Virgilium a Bapt. Guarino emendatus, Ven. per Cph. Valdarfer. 1471. f. Est et alia huius commentarii edi-

tio, eodem anno per eundem Valdarf. facta, sed opera *Carbonis* emendata. 6. Ciceronis Rhetorica vetus 1475 f. cui exemplo adhaeront Rhetorica noya ad Herennium. 7. Terentii Comoediae, Mediol. 1478. f. 8. Ciceronis Epist. ad famil. c. comm. Hubertini Clerici Crescentinatis, Venet. 1480. f. (Ipsis Epistolis subscriptus est annus MCCCCLXXV. sed haud dubie ultimo X in V mutato, ut antiquior libri aetas fingeretur. Perperam igitur nonnulli, ex fide Catal. Bibl. Ern. hanc edit. anno 1475. tribuerunt. 9. Cicero de Officiis etc. Mediol. 1480. vel 1487. fol. Scilicet incertum est, utrum nota VII. ad annum, an ad seq. Idus Augusti, pertineat. 10. Coelius Apicius Culinarius. Mediol. 1498. 4.

Monumentorum typographicorum Tridecas. Conquisitam P. P. Io. Gottlob Lunze etc. Lipsiae, in bibl. Schäfer. MDCCCI. 48. pp. 8.

Pertinent huc: 1. Ciceronis Epistolae ad Atticum, Brutum et Quintum fratrem, cum Attici vita. Venet. per Nic. Ienson Gallicum, 1470. f. 2. Ciceronis Artis rhetor. ad Herennium Libri IV. Rome per Vuendellinum de Vuila 1474. f. 3. Ciceronis Orationes Philippicae in Antonium, Ven. per Io. de Colonia agripinens. (cum a parvo) et Io. Manthen de Gherretshem. 1474. f. 4. Varro de Lingua latina ex recensione Pomponii s. l. et a. (Venet. ut videtur 1474. per eosdem) 4. 6. Ciceronis Rhetoricorum ad Herenn. Libri. S. l. et typ. ind. 1476. fol. 8. Lactantii opera — 1476. 10. Iustini Historici Libri XLIIII. Impressum Mli per Valdarfer. 1476. fol. min. 11. Iustinus, italice 1477. 12. Nonii Marcelli compendiosa doctrina — de proprietate sermonum — Ven. 1478. f. 13. Ciceronis Epistolarum familiarium Liber primus Mediol. 1478. f. 18. Cicero de Officiis. Paradoxa. De Amicitia. De Senectute. De Somno Scipionis, nec non de Essentia Mundi ac XII.

Sapientum Epitaphiis — Ven. 1480. f. 24. Iuvenalis Satyrae cum Comm. Calderini. Ven. 1485. f. 25. Terentii Comoediae, c. Com. Donati. Ven. 1483. f. 27. Tragoediae Senecae cum commento. Lugduni 1481. fol. min. s. 4.

Omisimus ex utroque libello alia typographica monumenta, quae ad vett. auctores non spectant. Suppeditavit ea diligentissimo auctori Bibliotheca Senatoria, et, quod ad Cic. edd. adtinet, Ernestina. Non consilium hoc fuit, ut et interna cuiusque indoles accuratius examinaretur. Partim confirmantur, quae Panzerus monuerat, partim corriguntur et supplentur; optandumque est, ut in his speciminibus utilissima auctoris opera non subsistat.

Extremo anno super. *Harlesius* Erlangae *Commentationem* I. *de memorabilibus quibusdam Bibliothecae academicae Erlangensis* edidit, fol. Postquam primum ea commemoravit, de quibus collega ipsius, *Pfeifferus*, egerat (Beyträge zur Kenntniſs alter Bücher und Handschriften, Hof. P. I—III. 1783—1786. 8. Progr. duo de cod., qui acta S. Odiliae continet, 1784. Progr. de cod. membr. Digesti veteris 1791. — qui idem V. D. etiam de libris liturgicis, in bibl. Erl. asservatis exponet) ipse codicem maximam partem chartaceum, in fol., a. 1468. absolutum descripsit, qui *Lactantii* LL. VII. Instt. divv., L. de opificio dei, et de ira dei, continet, loca autem graeca non graecis litteris, sed latine versa exhibet, et bonum exemplum vetus exprimere videtur. De antiquis L. edd. alio tempore Auctor aget.

Non dissimili consilio popularis noster, Gotthelf Fischerus, non medicinae modo et historiae naturalis, sed et aliarum litterarum peritissimus vir, coepit nuper memorabilia Moguntinae bibl. exponere.

Beschreibung einiger typographischen Seltenheiten nebst Beyträgen zur Erfindungsgeschichte der Buchdruckerkunst. Erste Lieferung. Bei Eröfnung der Universitätsbibl. zu Mainz herausgegeben von *Gotthelf Fischer*, Prof. und Bibl. etc. Mit einer Kupfertafel. *Mainz*, auf Kost. d. Verf. und in Commission in *Nürnberg* bey Lechner, 1800. 86. pp. 8. mai. (h. e. Descriptio rariorum quorundam typographh. monumentorum, una cum symbolis ad historiam artis typogr. inventae.)

Missis iis, quae succincte auctor de origine typographiae, variis ea de re sententiis, de Ioanne Chenocrea (Gänsfleisch), vulgo Gudenbergio s. Guttenbergio dicto, de iudicandis monumentis typographicis monuit, notandum videtur, 1. Gudenbergii tria fragmenta Donati, Ioannis de Ianua Summam, quae vocatur Catholicon (ab eodem Guttenb. impr.) Vocabularium latino teutonicum, 1469. describi; 2. hactenus ignotum typographum Moguntinum Fausto atque Schöffero, Maydenbachio et Friedbergio, aequalem, *Fridericum Hewmannum*, eiusque libros afferri (p. 66. et 86.) 3. enarrari Opusculum de vaticiniis sibillarum, impr. Oppenheim (ap. Iac. Koebel, ut videtur. p. 73.) similemque francogall. libellum: Les dictes de douze Sibiles s. l. et a. Qua opportunitate usus auctor etiam nonnulla de Sibyllis veterum earumque numero disputavit.

Recensio librorum ad philologiam sacram spectantium, qui superiori anno prodierunt.

Ex hoc genere non nisi ii vel nunc enumerabuntur vel posthac indicabuntur libri, in quibus aut sacra scripta critice et exegetice ita tractantur, uti graeci veteres latinique auctores, aut proferuntur, quae ad interpre-

tationem aut illustrationem horum, quos modo diximus, scriptorum pertineant, et ex iis etiam libris ea sola, aliis, etiam praecipuis locis et argumentis omissis, afferemus, quae cum nostris unice coniuncta sunt litteris. Ita nuper *Hartmannus* Michae, Hebraeorum vatis, oracula, in libro, qui inscribitur:

Micha, neu übersetzt und erläutert und mit 5 *Exkursen begleitet von Anton Theodor Hartmann*, Prorekt. des Friedrichsgymn. zu Herford. Lemgo in der Meyerschen Buch. 1800. XVI. 278. pp. 8. mai.

optime illustravit, facultate sua critica et exegetica classicorum scripptt. studio bene et exercita et confirmata, secum cum aliorum philologorum exempla tum Eichhornii commentarium in Apocalypsin. Itaque in Prolegg. s. Introductione de vate ipso, eiusque ingenio poëtico, de aetate eiusque historia, de singulis oraculis atque locis, de eorum poëtica vi et pulcritudine disputat, et eorum interpretes omnes recenset. Quod ad crisin adtinet, loca IV, 9. ss. VII, 7—17. et plures versiculos singulos negat a vate proficisci potuisse, et interpolatoribus tribuit. Cuius quidem generis interpolationes in aliis quoque libris sibi invenisse visus est (p. 26. et p. V.) In Matth. Evang. XXVI, versum 32. μετὰ δὲ τὸ ἐγερθ. — Γαλιλαίαν spurium esse existimat, quia v. 31. et 33. cohaerent, quae nescio an incerta sit expungendi loci in his scriptt. causa. Quod ad interpretationem pertinet, non singula modo verba eorumque significatus etiam ex latinis graecisque illustravit, sed partim ritus, quos vates spectat, partim poëticas quibus utitur imagines, cum vett. scrr. locis comparavit. Hinc τέγγειν, ῥαίνειν et eius generis alia de oratione dici docuit p. 85. C. IV, 3. bene in mentem venit locorum Ovid. Virg. etc. ubi *falces* in *enses* mutari dicuntur. Pindarus Pyth. 1, 36. non aliter Aetnam

dixit κιόνα οὐρανίαν, quam Arabes, Persae, et Michaeus ipse (VI, 2.) eadem imagine utuntur (p. 151. s.) Ibidem p. 150. exempla Apostopharum ad res inanimes ex poësis orientis et Graeciae collegit auctor. Quae ad ipsam vatis interpretationem pertinent, ea examinare non huius loci est. Cum redemtor libri eum paullo tardius tradidisset operis, interea Dahlii observatt. ad prophh. minorum loca, Grosschopfii et Iustii versiones Michae prodierunt. Ex his quaedam addidit suo commentario Hartmannus. Idem vero excursus adiecit et ipsos laudandos: 1. de frequente usu paronomasiae apud orientales. Ex Graecis quoque et Latinis, prosaicis scrr. et poëtis, exempla quaedam afferuntur p. 202. s. Et poterant varia huius figurae genera, variae rationes constitui et indicari, quo utilior haec disputatio redderetur. 2. de formulis dicendi, compositis ex vocabb. pater, mater, filius, filia, frater, soror. Nec hae Graecis et Latinis ignotae sunt (p. 211. 213. 216. s.), et facile intelliguntur. 3. de prima vocab. Nabi significatione et de prophetarum publica institutione. Comparat auctor etiam graeca προφήτης (qui aliquid effatur) et μάντις (a μαίνεσθαι, quod summa cum vi et corporis commotione vates interdum cecinerint, insanientibus similes.) 4. de aureae aetatis imaginibus apud Hebraeos. Comparatur Virgilii locus notissimus. Quintus, de Bileamo, etsi ad ingenium antiquitatis recte aestimandum bene compositus, huc tamen minus pertinet.

Quod auctor exc. 4 attigit, persequi copiosius nuper apud nos coepit doctissimus iuvenis dissertatione, quae lectionis copiam, annotandi industriam, iudicandi facultatem non vulgarem prodit:

De aureae aetatis spe Iudaeorum, cuius a primis inde temporibus ad aetatem Christi in libris eorum

vestigia deprehenduntur. Disputationis historico-philologicae particula prima, quam — d. XXVII. Sept. cIↄIↄcccc defendet auctor *Iulius Frider. Winzer*, Philos. Doct. etc. Lipsiae, 51. pp. in 4.

Etsi enim in definiendo, describendo, digerendo, argumentando, concludendo interdum maiorem desideravimus diligentiam et subtilitatem, in scribendo puritatem: tamen auctor coepit primus ita argumenti huius omnes partes et locos excutere et examinare hac commentatione, quae, prolegomenis uberrimis praemissis, solam primam periodum (patriarcharum s. Geneseos) complectitur. Sed in illis ipsis Prolegg. primum omnium ostendit, quae apud plures antiquos populos aureae spes fuerit aetatis.

Nuper Andreas Birchius, eruditissimus Danus, Syllogen variarum lectionum, ex pluribus codicibus librorum sacrorum Christianorum, quos, dum iter in Germania atque Italia fecit, contulit diligenter, collectarum absolvit. Nam primum ante hos tredecim annos (1788) ediderat Havniae *Quatuor Evangelia graece* cum variantibus a textu lectionibus codd. Mss. Bibl. Vatic. Barb. etc. iussu et sumtibus regiis, 4. mai. Quum vero tristissimum Havniae incendium (1795) non modo plurima huius editionis exempla, sed etiam neas etiam formulas ex Italia advectas, atque chartas et alia adminicula absumsisset, mutato consilio suo modo auctor critica collectanea, quae flammarum furori eripuerat, edere constituit, quae ipsa res non ingrata philologis esse potuit, quorum angustior res editionem splendidiorem vix tulisset. Itaque primum *Varias Lectiones ad Textum Act. App. Epp. Catholicarum et Pauli* — separatim edidit (1798). Nuper autem accesserunt:

Variae Lectiones ad Textum Apocalypseos ex

Codd. graecis Mss. Bibliothecae Vaticanae, Barberinianae, Borgianae Velitris, Laurentianae atque S. Marci Venetorum, collectae et editae ab Andrea Birch, S. S. Th. D. et Prof. Nomarchiae Sömme Praeposito, et ad aed. cathedr. quae Roschildiae est, V. D. ministro primario. Havniae. A. C. MDCCC. apud Proft et Storch. XL. 142. pp. 8. mai.

Ut haec omnis Sylloge eadem forma et ratione haberetur, similiter Varias Lectt. ad textum IV. Evangg. separatim editas esse recentissimus novorum librorum index retulit, quas tamen nondum vidimus. Et rationem quidem secutus est hanc, ut primum poneret textus verba, ex edit. Stephani tertia, quae quibus in locis a recepta Apocal. lectione discreparet, praemisso indice declaravit, sive potius Baskervillia, quae interdum tamen a Mill. et Steph. 3. recedit (v. p. XXXV.). Tum codd. adduntur lectiones, de quibus quidem in Prolegg. dixit, et uberius quidem in Proll. ad Apoc. quam ad alios libros. Fuerunt enim, qui de nimia auctoris brevitate conquererentur. Et, quod ad codd. Apocal. adtinet, causas primo exposuit, cur et pauciores et iuniores huius libri, quam aliorum librorum N. T., haberentur codices. Deinde suos, quos eo studiosius contulit auctor, quo magis in hoc libro omnia criseos praesidia conquirenda sunt, recenset codices: Vatic. 366. (de quo in Proll. ad Acta) 579 (plura patrum quoque scripta complexum, cuius librarius alium quoque codicem ex quo suum emendaret videtur habuisse, et peculiares lectiones refert) 1136. (Proll. ad Acta App.) 1160. Proll. ad Ev.), cod. Alexandrino, Vatic. 68., cod. Palatino-Vatic. 171. (in quo sunt omnes N. T. libri) Pio-Vatic. 50. (quem ut in Act. et Epp. bis contulit, et cuius aeque ac Vatic. 366. specimen aeri incisum exhibetur), cod. Barber. N. 23. (fragm. Catenae in Apoc.),

Apoc.), cod. Borgian. (Proll. ad Acta) cod. Laurent. Flor. (Plut. IV. n. 32. v. Proll. ad Act., a quo diversus est cod. Medic. 23. ap. Wetsten.) cod. Ven. Bibl. Marci N. 10. de quo, omnes libros N. T. complexo cod. etsi auctor in Proll. ad Ev. et Act. dixit, tamen *Engelbrethi*, qui eum contulit, monita de eo libro p. XIX. relata sunt. Ceterum auctor disputavit etiam copiosius de codd. Alex. Vatic. 179. et 29., e quibus Zacagnius Euthalii prologos ediderat, quique aliis etiam Criticis innotuere. Plerosque autem libros integros Birchius contulit, et diligentissime inde enotavit lectiones, quae si interdum ab iis discrepant quas qui eosdem codd. tractasse dicuntur inde afferunt, causas auctor bene exposuit p. XXXII. ss. ubi monitis Griesbachii humanissimis respondit.

Inter eos criticos, qui N. T. loca coniecturis tentarent, et explicatione mira perverterunt, eminuisse nuper *Gilb. Wakefieldum*, neminem fugit. Quod igitur Bauerus in Palaireti, Krebsius in Toupii, Klosius in Valkenarii, similibus periculis censendis effecerunt, id nuper in eodem genere sectatus est D. *Henr. Car. Alexander Haenleinius*, theologus Erlangensis, edita etiam Introduct. in N. T., et Epistolae Iudae cum uberrimo Commentario clarissimus. Edidit enim, inde ab a. 1798. Erlangae

Examinis curarum criticarum atque exegeticarum Gilberti Wakefield in libros N. T. Particulas I. II. III. IV. in 4.

Et prima quidem ac secunda loca Ep. ad Hebr. II, 9. IV, 15. V, 2. IX, 1. XI, 4. 11. 37. XII, 12. 13. 27. tractavit. Tertia versatur in locis Iac. I, 15. IV, 1. 2. Iud. 7. 8. 12. 2. Pet. I, 4—21. Quarta eaque nuperrima (in fer. paschal. a. 1801. edita, 14 pp. in 4.) *stricturas in Evangelium Matthaei* continet. Sunt

loca Matth. I, 18. 19. 21. 22. II, 11. 18. III, 3. 8. 12. 14. 16. IV, 7. V, 11. 44. 12. 13. 18. 33. 36. In plerisque repetiit S. V. H. Wakefieldi observationes ad singulas formulas pertinentes, iudicio vel interposito vel omisso. Interpunctionis mutationem in III, 16. (ut Ἰησοῦς βαπτισθεὶς sint Nominativi absoluti) recte H. improbavit; de coniectura, ex qua V, 36. ἢ ante μέλ. omittendum sit, non iudicavit.

XI.

Ex Mercurio Nouo Germanico [1]) excerptae Commentatt.

Particulae primae (s. Ianuario) praefigi *Böttigerus* iussit *Adriani* imp. numum, delineatum maiori modulo, quam vere est, aerique incisum, eiusque allegoriam docte exposuit [2]). Cernitur seminuda mulier, quiescens sub vite, populo iuncta (hypampelo s. trichila, nobis *Weinlaube* significatur, de qua v. Burmann. ad Anth. Lat. T. I. p. 712.); dextra eius imposita cophino floribus aristisque pleno, sinistra orbe terrarum nititur, cuius dimidia quae conspicitur pars, septem ornant stellae, insurgunt autem super eo et tantum non saltant (coll. Horat. Od. IV, 7.) quatuor anni tempestatum genii suis quisque insignes symbolis, prior aniculas, alter poma gestat adstante cane, tertius falcem; quartus corbem cum floribus capiti impositum. Infra scriptum est: TELLVS STABILITA. Sed genii quidem, qui in hoc numo obscurius expressi erant, ex alio Commodi numo (Mus. Flor. T. IV. tab. 26.) sunt repetiti. Add. Heyn. Virg. init. Georg. et Recens. Parerg. T. VI. p. 748. Graeca ars nonnisi alatis Horis tempestates anni significavit. (Viscont. ad Mus. P. Clem. T. V. p. 10.)

1) Der Neue Teutsche Merkur vom Iahre 1801. herausgegeben von C. A. Wieland. Erster Band. Weimar 1801. 8.

2) Die beruhigte Welt (siue ut in indice est, Erde) zur Erklärung des Titelkupfers. p. 3—17.

In ipso etiam Brunovic. vase deae non genii cernuntur. Hi proprii sunt seriori Romanorum arti et allegoriae (p. 14.) Tres innotuerunt diversi metallo et symbolis numi Adriani ita inscripti, aur. et argent. apud Valentem et in Mus. Caes. Vindob. Aerei et ipsi varii sunt. Hic, qui illustratur, ex Museo Theupoli est repetitus. In numis seriorum impp. ut Commodi eadem imago repetitur. v. Select. Numism. e Mus. de Camps p. 49. Mus. Flor. T. IV. t. 44. Numism. mod. max. Reg. Gall. t. 14. Eckhel. Doctr. Num. T. VII. p. 119. qui idem sensum huius numi Adr. quo pax, iustitia et salus restituta atque confirmata indicatur, bene explicuit in Doct. num. vet. T. VI. p. 509. s. Transfert eum B. ad novi saeculi solennia et vota, allegoria alia ex Aristoph. Pace ducta (p. 15. s.), et saeculi quidem, quo ineunte extrema quaeuis inter se conflictantur (p. 3. ss.) et paeanes cum threnis haud secus coniungendi sunt, quam superiori saeculo supplicationum dies festi ad numinis iram auertendam instituebantur (p. 6.) Caeterum idem B. (p. 8. ss.) Adriani memoriam defendit (etiam contra Garvium, Fragm. zur Schilderung Friedrichs des Grossen T. I. p. 130. ss.), et vere eum pacis, iustitiae, felicitatis restitutorem atque orbis terrarum locupletatorem fuisse contendit, quae laudes, si solis niterentur numorum titulis, vanissimis tum adulationis turpis monumentis, parum essent probabiles. Nos cum B. optamus, ut Com. *Friesius*, cuius liberalem artium et litterarum amorem nobis penitius cognitum, suspicimus, b. *Lersii*, amici eius, Saeculum Adriani e numis, si absolutum opus est, eruditis non inuideat.

Idem *Böttigerus* communi titulo *Spicilegii Antiquarii* 3) duas complexus est exquisitas obseruationes.

3) Antiquarische Aehrenlese p. 58. ss.

Prima eo spectat [4]), quod lagenis aliisque vasis mari immissis litterae ad aliud litus sunt delatae. Nimirum in festo Adonidis (Thammuz) quod ex Syria et Phoenicia delatum est in Aegyptum et, imperantibus Ptolemaeis splendide est Alexandriae celebratum (Theocr., Id. XV.); cuiusque duo fuerunt actus, doloris alter de occiso Adonide, alter laetitiae propter Adonidem in vitam reuocatum et repertum, in illo igitur festo Adoniazusae Alexandrinae figlinum vas cum litteris ad Byblias Adoniazusas datis (nam Bybli eodem anni tempore idem festum celebrabatur) quae significarent Adonidem iterum inuentum esse, mari immiserunt, quod, ubi ad oram Phoeniciae delatum et a Bybliis feminis exceptum erat, Bybliae etiam lamentari desierunt, cum Adonis a Venere esset repertus, V. Cyrill. Alex. Comm. ad Ies. Opp. T. II. p. 276. et Procop. Gaz. ad Ies. p. 258. ed. Curter. Lucian. de dea Syria c. 7. T. III. p. 455. Valkenaer. ad Theocr. Adon. p. 193. Et vas quidem (Cyrillo et Proc. auctoribus) fuit figlinum obsignatum, fortassis Canopi in caput exeuntis (Luc.) forma, quali utebantur ad diluendam Nili aquam. Olim ex papyro videtur illud caput s. vas confectum fuisse. Fluxus autem marinus, eo anni tempore legitimus facile in Phoen. oram potuit deportare, cuius quidem marini fluxus certi et perpetui vim atque usum declarauit nuper *Bernardinus Sanctopetraeus* (de Saint Pierre) in Comm. inserta libro: Decade philosoph. an IX. N. 3. p. 141. ss.) unde quae huc pertinent, B. repetiit p. 59. ss. Neque improbabile est, his niti fictionem, delphinum, a quibus et Neptuni litterae ad Amphitritem, quam deperibat, et Polyphemi (h. e. Dionysii tyranni in Philoxeni Galatea) ad Galateam (Schol. Theocr. XI, 1.)

---

4) Die Seepost durch Flaschen und Töpfe p. 58—64.

delatae dicuntur. In Pict. Hercul. T. I. t. X. ipse Amor Delphino insidens tabellam tenet.

Altera de fluuio tauriformi agit [5]). Nimirum ex eo, quod tempore fluxus in fluuiis saepe ingens fluctus cum terribili strepitu inundat littus paullo ante siccum (v. *S. R. Warner* Walk through some of the western Counties of England (Lond. 1800.) et in Ephemm. geogr. (1800. part. XII. p. 499.) explicatur primum locus Hom. Odyss. XI, 238. ss. ubi Tyro ab Enipeo circumdata legitur et abscondita (id quod Lucian. Dial. Mar. XII. p. 321. risit et Philostratus Icon. II, 8. p. 822. male explicare conatus est); deinde alius locus Hom. Iliad. XXI, 234. ss. ubi Scamandri ira depingitur, (coll. Schol. Venetis ad v. 242.) tum *tauriformis* fluuii nomen et imago, quam ab Acheloi forma (quem Archilochus pugnantem cum Hercule taurum fecerat, Schol. Ven. Hom. l. l. 232.) *Ignarra* de palaestra Neap. p. 252., alii veterum (v. Mitscherlich. ad Hor. T. II. p. 454.) a murmure fluuiorum repetunt; denique narratio de Hippolyti morte (Eurip. Hipp. 1201. ss. ibique Musgrav.)

Partic. II. (s. mense *Februario*) *Spicilegium* illud continuatur p. 137—144. Etenim Generos. *de Hammer*, vir litterarum orientalium in primis peritus et *Boettigerus* disputant de usu cornu bovini apud piscatores antiquissimos ad locum Hom. Iliad. XXIV, 80. ss. [6]) Nam nonnulli antiquorum interpp. (Schol. Ven. ad h. l. Pollux II, 31. add. Intpp. Hes. T. II. p. 232. et Fragm. Photii Lex. in Brunk. Soph. T. IV. p. 734.) de funiculo ex crinibus bovinis facto acceperunt; perperam. Aliter Aristoteles ap. Plutarch. de Solert. anim. p. 977. A. ed. Frf. cui assenserat Aristarchus (Apoll. Soph. Lex. Hom.

---

5) Der Flufs-Stier, p. 64—70.

6) *Wozu dient das Kuhhorn beim Fischergeräthe im Homer?*

p. 472. Vill.) Neque vero cornu bovinum fistulae inde faciendae potuit inservire, cui metallum potius adhibebatur. Oppian. Halievt. III, 147. Vir quidam doctus, qui nuperrime per Graeciam et Asiam fecit iter, compererat, etiamnum piscatores in ea cymbae parte, qua hamus eiicitur, affigere solitos esse cornu bovinum, in quo medio funiculus decurrat, ne ille ligno deteratur. (Die Angelschnur fährt in der Mitte der Krümmung des Horns hin und her, ἐμβεβαυῖα). Id quod huic loco Homeri (et Aeliani H. A. XII, 55. p. 713. Gron. ubi κέρατα inter instrumenta piscatoria) bene convenit; minus autem loco Odyss. XII, 250. s. ubi in mare a piscatore proiici cornu dicitur. Forsitan utroque loco diuerso usui adhibitum fingitur, et altero quidem, ut hamus in superficie maris maneret, aut locus eius notaretur.

Ibid. non modo p. 149. observatum est, plurima artis opera nuper ex Italia in M. Britanniam abiisse, sed etiam (p. 153.) *Guil. Tassium* numos Persepolitanos Musei Hunteriani expressos materia molliore (*pastas* appellant) cum Auselii (Ousely) explicatione editurum, atque forsitan eadem exprimendi arte omnes Musei Hunt. numos (parum fideliter a Combio depictos) redditurum esse, quod opus simillimo *Mionneti* Lutetiae Paris. egregie respondebit.

XII.

De Diomede Homeri. Ioannis Salomonis Christophori *Schweiggeri* Gymnas. Erlang. Collabor. Class. I. dissertationes tres. Erlangae. Typis Hilpertianis. MDCCC.

(prima pro honoribus AA. LL. Magistri, altera pro facultate docendi, tertia ad indicendos actus solemnes in Gymn. Erlang. scripta est.)

De Diomedis, quem ab Homero singulari cum voluptate pictum esse putat auctor, ingenio tractaturus, rem his tribus dissertationibus ita instituit, ut prima mores Diomedis adumbraret, iudiciumque ab iis ferret, secunda vero ac tertia de pictura eorum in Iliade exhibita fusius ageret. —

Quod ad mores Diomedis in universum spectatos pertinet, intelligitur, Homerum in Diomedis persona *iuvenem maxime bellicosum, parum quidem excultum, sed animi magnitudine morumque simplicitate insignem depingere voluisse.* — *Iuvenem* fuisse Diomedem tum ex ipsis eius moribus, tum ex loco Il. *i*, 57. luculenter apparet. Inest autem Diomedi bellica virtus vere iuvenilis, quae in summa audacia, fervido animi ardore, indefessoque studio pugnandi cernitur. Omnes graecos heroas praeter Aiacem atque Achillem fortitudine superat, a quibus ita differt, ut in illo virilis potius virtus, in hoc vero, etiamsi ad diviniorem

vim huius nati deâ non respiciamus, iracundus simul hostis appareat. *Parum* autem *excultum* Diomedem esse, negari non potest. Non lenem se praebet supplicibus; sed durum atrocemque: non artem atque astutiam, sed acrem potius vim impetumque ferocem in rebus gerendis adhibet: non elegantia atque suavitate sermonis, sed gravitate potius summa sonoque duriore utitur, saevaque etiam haud raro iactitat verba (v. c. λ', 362.) Eius *animi magnitudo* ea est, quam iuvenilis aetas potissimum nutrit, primum in interno quodam animi impulsu, magni semper aliquid patrandi (κ', 220) deinde in ingenua virium suarum conscientia confidentiaque (ι, 46—49.) porro in summa constantia ac firmitate (ε, 456. λ', 347. sq.) in nobili denique gloriae cupiditate, patris fortis aemulatione incensa (θ', 149. κ', 285. sq.) posita.

Morum simplicitas (ἁπλότης, Bravheit, Gutmüthigkeit) inde elucet, quod semper aperte agit, fido ac sincero animo amat amicos, (κ', 242. sq. ψ', 681. sqq.) imperatori et senibus reverentiam lubenter praestat, (δ', 402. κ', 157—179.) singularem quandam pietatem in patrem defunctum ostendit, (ε, 116. ζ', 222. κ', 285. ξ', 119. sq.) reveretur denique deos (ε, 606. ζ', 129. λ', 318.). inprimis Palladem (ε, 256. 815. sqq. κ', 245.) et religiosas sui temporis opiniones firmiter tenet. (ζ', 130. sq. θ', 247. sq. κ', 274. sq.).

Atque de moribus his Diomedis ita disserit auctor, ut paucis de empirica, quam vocant, eorum veritate praemissis, primum ostendat, *eos invicem inter se convenire* (esse ἁρμόττοντα secundum Aristotelem); bellicum enim studium, mentem rudiorem, morum simplicitatem et animi magnitudinem recte coniungi et coniunctas reperiri; illum autem Diomedis ardorem, animum magna adspirantem, fidentiam, aemulatio-

nem patris iuvenilem naturam verissime indicare, — personam Diomedis tam vivide cogitatam, tam accurate definitam esse, ut uno momento demto etiam omnis reliqua notatio necessario immutanda fuisset. Deinde declarat, eos, quod Aristoteles iure postulet, *et bonitate morali* commendari, qua in re Platonis etiam auctoritate utitur (de republ. l. II. p. 268. ed. Bip.). Denique si philosophia pulchri respiciatur, asserit, personam Diomedis optime inventam esse, quoniam idea, quae in ipsa exprimatur, non solum *aesthetica*, sed etiam *ampla* sit, singuli vero mores, quos poëta Tydidae suo tribuat, ad picturam poëticam commodissimi sint, quoque clarius in iis vera humanitatis indoles ác vis, alienis rebus non immutata, conspiciatur, eo magis non possint non utique ac semper placere. —

Secunda et tertia dissertat. auctor picturam personae Diomedis ipsam explicat hoc quidem ordine, ut primum Diomedem in proelio aliisque bellicis conatibus depictum, deinde extra proelium agentem consideret. Cum vero iuvenis bellator duplici modo pingatur et a Pallade singulari munitus defensusque auxilio, et illo auxilio destitutus, visum est auctori, duplici quoque hac ratione Diomedem ob oculos ponere.

Ac primo quidem loco copiose et diserte ea enarrat, quae Rh. έ de ingentibus Diomedis factis ope Palladis patratis leguntur. Cur vero poëta illam deam praesto esse Diomedi voluerit, causam praemittit hanc, quod vulneratio Martis, in qua summa rei vis cernitur atque sublimitas, a solo Diomede facta moribus eius et veritati poëticae repugnatura fuisset. Poëta Minervam igitur advocavit, ut iuvenis neque impius neque se ipso fortior videretur. Rem autem omnem ita enarrat, ut potissimum ostendat, quanta arte poëta lectorem sensim sensimque ad summum sublimitatis cacu-

men attollat. — Per tres enim gradus, quod in fine addit, in celebrando Diomede quasi adsurgit, qui primum in universum a Pallade adiutus fortissimum quidem sese praebet, sed tamen Idaeum a Vulcano sibi eripi facile patitur, deinde singulari Palladis vi munitus eiusque iussu incitatus Venerem laedit, quae Aeneam subtrahere studet, ipsique Apollini sese opponit, denique praesenti Palladis impulsu atque auxilio Martem adeo vulnerat. — Iam sectione II. pergit auctor ad id, quomodo Homerus Tydidem sine singulari divino auxilio in armis versantem pinxerit. Prospero rerum successu in Iliados Rhaps. sexta, decima et septima, in Rhaps. autem quarta, octava et undecima adversa fata expertus proponitur. de singulis singulatim disputat.

Quod ad primum locum adtinet, tractat inprimis celebre illud *de Glauco ac Diomede episodium* (ζ, v. 119. sqq.) ubi ingeniose animadvertit, vel sonum verborum Glauci et Diomedis mores innuere, cum verba Diomedis abrupte et graviter sonent, Glauci molliter fluat oratio (v. 142. coll. c. 147. sqq.), atque *Diomedis et Ulyssis nocturnam expeditionem* Rh. κ'. ubi adhortationem illam, v. 479. quae Diomedi bellicoso non convenire videtur, tum ex promto Ulyssis ingenio, tum ex natura hominum acrium minusque cultorum derivat, qui animi quodam impetu abrepti interdum subito haerent, deinde summo furore concitati proruunt.

Iam Diomedem in sinistris fatis versantem, *obiurgatum ab imperatore* (Il. δ', 370. sqq.) *fugatum ab hostibus* (Rh. θ', quo in loco versus 105—107. ut praesenti rei et Diomedis ingenio haud aptos reprehendit, et ex ἑ, v. 222, repetitos et hic adsutos censet, ita et v. 130—135. rem ab Homero nimis auctam arbitratur)

vulneratum denique (Rh. λ', ubi observat, ut antea Diomedis animus minus cultus Ulyssis sapientiae bene oppositus erat, ita hic fortitudinem Diomedis ignavia Paridis clarius exsplendescere) uberiori commentatione prosequitur.

Tertia denique dissertatione de Diomede *extra proelium agente*, et primum quidem de *eo in concilio versante*, deinde de *reliqua* eius *vita ab Homero descripta* exponit.

Bonum consiliarium Homerum Diomedem suum depingere voluisse, apparet ex Il. δ', 400. ι, 53. Non profert quidem consilia ingenii acumine excogitata, ut Nestor et Ulysses, sed tamen summam ostendit constantiam, mentisque praesentiam in periculis, graviterque proponit animi sensu excelso digna ingenio. Hanc in rem loca adhibet Rh. η', 399. sq. ι, 32. sqq. (ubi gravem illam contra Agamemnonem orationem simulate prolatam esse a Diomede recte contra Dionys. Hal. Rhet. c. 8. p. 309. ed. Reisk. negat.) finem huius Rhaps. et κ', 194. sqq. Longiorem vero Diomedis orationem ξ', 109. sqq. quae in generis Diomedei nobilitate celebranda versatur, quamvis per se quidem Tydidae, qui patris maiorumque memoriam libenter recolit, moribus accommodatam, tamen hoc loco ineptam et ipso indignam iudicat. — Postremo loco enarrat, quae de reliqua Diomedis vita apud Homerum leguntur; et hic eius ex *somno ab Agamemnone expergefacti* (κ', 150. sqq.) atque *in ludis versantis* (ψ', 262. sqq. 801. sqq.) imaginem illustrat, et, ut reliqua in commentatione, ita hic quoque docet, mores herois esse a poëta constanter servatos (ὁμαλὰ esse ἤθη secundum Aristot.) et vividissimo expressos colore.

Auctor huius commentationis duobus potissimum nominibus laudandus est, tum, quod, antequam ipsam

poëtae picturam proponeret, de rerum nexu, iisque, quae obstarent poëtae, difficultatibus vel ex rebus vel ex heroum moribus oriundis accurate monuit, tum, quod in ipsa Homericorum tractatione omnes vel minimas res, quae ad venustatem et sublimitatem facerent, diligenter adnotavit, et scite comparavit. Ea tamen reprehendenda videri possent, quod non maluerit, rem alio eoque magis analytico, quem vocant, ordine tractare, ita, ut antea picturam Diomedis in Iliade exhibitam illustraret, ex hac mores Diomedis in universum adumbraret, denique de iis iudicium ferret, — deinde, quod opinionis a Wolfio de Iliadis auctore prolatae, cuius in fine breviter mentionem facit, non accuratiorem per omnem libellum habuerit rationem, praesertim, cum ipse, in pluribus locis tanquam reliquae de Diomede narrationi parum accommodatis offenderit. —

In prooemio plures recensuit libros, in quibus de morum pictura, et de epicis personis vel in universum, vel ratione Homeri habita praecipitur. Hos libros praemitti, non necessarium nobis visum est, numerum autem eorum adhuc multum augeri posse, ipse vir doctus concessit. Omisit, ut nonnullos modo addamus: *Iacob Beattie* philosophische Untersuchungen C. X. *Clodius* de sublimitate Homeri (hic Iovis, Neptuni et Achillis imagines illustrantur). *Ilgen* Ep. qua probatur, Nestore felicissimo senis exemplo Homerum non magis delectare quam prodesse. Numb. 1789. et in ei. Opp. philoll. — *De Thersite Homeri* post Lessingium (Laokoon. p. 233.) Klotzium (Ep. Homeric. p. 28. sqq.) et Herderum (Kritische Wälder, P. I. p. 258.) *F. Iacobs* über die Episode vom Thersites, (Bibliothek für alte Literat. und Kunst, v. Heeren und Tychsen. 5. St. S. 10.) *F. I. Schaarschmid* de Homeri Thersite temere Graecos Agamemnoni reconciliante. (repetita

est in Commentatt. Phill. ed. a Ruperti et Schlichthorst. Vol. IV. p. 178.)

Quae de *civilissimo* Diomede ex Dammii Lexico in nota (diss. II. p. 63.) allata sunt, ea lucem suam ex iis nanciscuntur, quae nuper Nicolai (Berliner Monatsschr. Mai 1800. p. 346.) de hoc viro docto ac bono eiusque super Homero opinionibus facete scripsit. —

XIII.

Ad audiendam orat. pro loco in Facult. philos. rite obtinendo d. XXX. Aug. MDCCC. habendam observanter invitat *Chr. Guil. Mitscherlich.* Praemittitur tentamen criticum in aliquot Tibulli loca, Gottingae apud Dieterich. 12. pp. 4.

Loca cel. auctor haec persecutus est. I, 2, 35. s. Sententia (quam plane praeteriit novissimus editor) laborare videtur. Antea poëta satis se adversus terrores munitum ostendit; nunc omnia eum terrebunt? et v. 36. continet interpretationem verborum, *parcite luminibus* (33.) Totum distichon spurium est. (Et melius certe aberit. Nescio tamen an rectius garrulitati amatoris tribuatur.)

V. 40. legit: Is Venerem e *rabido* sentiet *isse mari*, (pro *rapido — esse*) et comparat Meleag. L, 5. (Anall, Br. I, 16.).

I, 4, 26. Minervae *crines*, per quos iusiurandum fiat, incommodi sunt. Santenius *clypeos* legi iussit, coll. Iuven. Sat. XIII, 78. Propius ad vulg. lect. accedit coniectura Mitsch. *cristas* perque Minerva suas. Palladis cristae ap. Sidon. c. X. 13. leguntur.

I, 4, 69. erroribus *explere* urbes negat M. convenire tersae et perspicuae orationi Tibulli. Vnus Italicus Heinsii *explicet*, ed. Rom. *impleat*. Inde M. coniicit: er-

foribus *implicet* urbes, coll Lucan. VIII, 4. Sil. Ital. XV, 618. 624. Valer. Max. VII, 4. p. 664. Longol. (Celtiberiam errore implicavit.)

I, 5, 68. Etsi Brukhusii sententiam, ex qua *plena manu* accipitur de validis ictibus probatur Burmanno ad Gratii Cyneg. 147. (coll. Petron. c. 64.): tamen M. mavult plenam auri intelligi manum, uti Dioscorides (Anal. Br. I. 613.) πλήρει χερὶ, et Plautus Pseud. III, 1, 13. *manum graviorem* dixit. Add. Ovid. Fast. IV, 626. Apul. Met. XI, p. 794. Oud. χεῖρα ἐπιπλῆσαι Leonid. Tar. IX, 9. et *implere manum* Iuvenal. VI, 146. Contra χεῖρες κεναὶ Eurip. Hel. 1296. Apoll. III, 1261 *vacuae* Martial. VI, 72, 5. Apulei. IX. 666.

I, 8, 9. Callimachi loco ab Heyn. laudato M. addit Ovid. A. A. I, 306. s. et defendit hinc τὸ *Saepe* in simillimo loco Claudian. de VI. Cons. Hon. 525. contra Markland. qui ad Stat. Silv. II, 3, 71. reponit *Ipsa*. Scilicet *saepe* bene matris sollicitudinem, qua vestes et cingula filiae saepius tractat, quo melius sedeant, depingit. add. Stat. Achill. I, 343. Impugnat (p. 8.) et aliam Marklandi emendationem, qui in Stat. Silv. I, 2, 146. sollicitauit vulg. lect. *pandit nitidos domus alta penates*, et scribi iussit p. n. *Venus alma* pen. Hoc enim servile officium Veneri non convenire, nec poëtam recte eius mentionem facere posse. M. vulgatum explicat sic: Iam Roma in conspectu est: iam *domus* sc. Violantillae *penates* h. e. penetralia pandit, h. e. interiora domus patent, i. e. perventum est ad domum Violantillae et cycni eam iam intrarunt. Similiter Stat. Achill. I, 101.

I, 10, 9. s. Non *aries* — Securus *varias* etc. M. legit: Non *aries* — securus *saturas* etc. Commemorantur duo genera, alterum oppugnandi (*aries*) alterum munitionis (vallus), coll. Senec. Hippol. 529. ss. (Felicissi-

cissimam hanc coniecturam existimamus). *Saturas* appositum est ad priscam aetatem, a copia et ubertate celebrem.

II, 5, 51. s. Distichon spurium censet, quia descriptio fistulae ab h. l. aliena (cum vv. praecedd. contineatur) neque omnino vera est (coll. Theocr. Id. IX, 19.).

Notantur loca Tibulli, quae a natiua eius venustate et concinnitate discrepent: I, 3, 69—72. (ubi utrumque pentametrum s. utrumque distichon spurium existimat) I, 6, 42. (ubi vv. *aut alia stet procul ante via* pro emblemate habet). Idem statuit de I, 8, 54. verbis *et lacrimis omnia plena madent*, nisi legatur: *ut* l. o. p. *natent*. II, 3, 25. s. inepte variatum praecedens distichon putat. *incomti* crines Phoebum non decent. II, 6, 43. s. ex antecedd. et seqq. enatum distichon censet, et aut plures versus hic intercidisse, aut a v. 45. haberi partem alius elegiae.

II, 5, 7. pro *annus* legit *ortus*, quod annus non bene dicatur solem iungere equos vidisse.

III, 1, 3. ferri potest *certa*. Mavult tamen M. *crebra* legi, quod ceteris verbis bene respondet.

III, 6, 11. Probata Heyn. coniectura, qui v. 13. pro *dites* legi iubet *mites*, ne idem vox statim recurrat, M. v. 11. *mite* certamen, mutat in *ilare* cert. De Amore agi v. 17. docet.

XIV.

Disputatio critica de loco Symposii Platonis c. VII. §. 5. 6. Examini in Lyceo Gubenensi d. XXX. Octbr. cIↄIↄccc. habendo praemissa ab *M. Henr. Car. Hartmanno*, Conrectore. Gubenae ex officina Brückneriana. 4. pp. 16.

Quum locus Symposii Platonici, qui c. VII. §§. 5. 6. continetur, variis auctori vitiis laborare, omnisque eius natura ab ingenio Platonis aliena videretur; sibi proposuit, hac disputatione docere, *totum hunc locum a Platone non profectum, atque plane ex ordine eiiciendum esse.*

Ac primum quidem Bastii argumenta, quibus contra alior. VV. DD. sententiam paragraphi V^tae^ defensionem suscepit, expenduntur atque reiiciuntur. Iudicavit enim Bastius et *stilum orationis Platone dignum et sensum loci consilio Phaedri, verba facientis, esse accommodatum.*

Quod adtinet ad orationem, concedit auctor disputationis, hanc quidem non repugnare vsui loquendi Platonico; sed quum omnis locus paucis tantum constet verbis, facile grammaticum, qui Platonem lectitasset, ad huius genium illum effingere potuisse: quamvis Plato ipse forsitan immutaturus fuisset verbor. Ἀισχύλος φλ., φάσκων — ἐρᾷν ordinem nimis anxie lectum, ita vt φάσκων verbo ἐρᾷν postposuisset.

Quod autem adtinet ad consilium Phaedri, quod ita a Bastio constituitur, vt docere cogitetur, Achillem eam potissimum ob causam a diis esse ornatum, quod ipse *amasius* Patroclum amatorem tantum amaverit, vt mortem praematuram vitae praeferret longae, id neque declaratur §. IV., neque eadem paragrapho Phaedro occasio fuit suppeditata, istam Aeschyli opinionem refutandi, quippe qui statuerit, Achillem non amasium sed amatorem fuisse. — Videtur itaque Bastius hoc consilium sumsisse ex §. VI., cui et ipsi auctor movet litem.

Ostenditur nunc ab Hartmanno, Achillem non propterea, quod *amasius* amatorem amaverit, sed quod animi magnitudinem et fortitudinem declaraverit, atque his virtutibus Orpheum longe superaverit, tanto honore fuisse ornatum: non igitur fuisse causam, quamobrem Phaedrus Aeschyli sententiam de Achille *amatore*, et Patroclo *amasio* impugnaret, adque adeo §. V. tum non apte cohaerere cum §. IV.

Quum Bastius de §. V. non delenda etiam hanc attulerit causam, quod Phaedrus per omnem orationem poëtarum lectione imbutus, atque disputationis de mythis studiosus exhibeatur; auctor disput. respondet:

„Vt hoc ita se habeat, id non impedit, quo minus ille locus grammatico alicui tribuatur. Nam *primum*, si quis v. c. quinquies aut sexies, ad poëtas et mythos respexit, exinde non colligi potest, eum etiam septimo loco idem fecisse. *Deinde*, in omnibus locis, vbi Phaedrus poëtas ac mythos commemoravit, necessarium erat, vt suam de Amore sententiam, mythis et poëtarum locis partim confirmaret, partim declararet. Eiusmodi occasio non data est in loco qui disputatur."

Inde a p. 9. auctor agit de §. VI., et *prima* quidem *causa*, cur eam Platoni non tribuat, haec est: quod

nonnulla iam a Phaedro non modo quoad sensum, sed etiam quoad verba in superioribus dicta sunt, et quod in aliis satis inepte ad Phaedri quaedam verba antea vsurpata alluditur.

Ita prima statim verba: *ἀλλὰ γὰρ — ἔρωτα*, e verbis §. II. vltimis: „*θεοὶ τὴν περὶ τὸν ἔρωτα σπουδὴν τε καὶ ἀρετὴν μάλιστα τιμῶσιν* conflata sunt. — Porro: verba „*θειότερον γὰρ — ἐστι*“ haud dubie a grammatico propterea inserta sunt, quia Phaedrus antea (c. VI, 9.) respectu amoris dixerat: „*οὐδεὶς οὕτω κακὸς, ὄντινα οὐκ ἂν αὐτὸς ὁ Ἔρως ἔνθεον ποιήσειε πρὸς ἀρετήν.*“ Illis (VII, 6.) verbis auctor docere vult, cur amasius, amorem in amatorem declarans, diis magis probetur, quam amator amasium amore complectens. Hoc negotio ita perfungitur, vt dicat: *amator enim ingenio est magis divino; inspiratus enim est.* Quorum verbor. cum praegressis coniunctio non sine longis interpretationis ambagibus efficitur. Igitur series enunciationum non simplex est, nec bene cohaerens.

Verba quae sequuntur: „*διὰ ταῦτα καὶ τὸν Ἀχιλλέα τὸν τῆς Θέτιδος μᾶλλον — ἀποπέμψαντες*“ efficta sunt e prioribus §. IV. verbis: *οὐχ ὥσπερ Ἀχιλλέα τὸν τῆς Θέτιδος υἱόν ἐτίμησαν, καὶ εἰς μακάρων νήσους ἀπέπεμψαν.*“ Haec eiusdem sententiae repetitio ingrata est. — Ac ne perite quidem auctor huius loci §. IVtam imitari potuit, quum *μᾶλλον ἐτίμησαν* dixerit. Nam quum, ad comparationem Achillem inter et Orpheum respiciens, haud dubie ita locum suppleri voluerit, ut *τοῦ Ὀρφέως* mente adderetur, praesertim quum hic citharoedus, vt amator, aptissime legi posset ad praegressa verba illustranda; male hac in re versatus est, quia Orpheus non *minus* quam Achilles, sed *plane non* a diis ornatus est, atque adeo propter mollitiem poenas dedit.

Altera causa haec est: *quod verba adhibentur et coniunguntur, quae vix a Platone ipso sic vsurpata sint et copulata.*

Hoc valet de verbis: μᾶλλον μέντοι θαυμάζουσι καὶ ἄγανται καὶ εὖ ποιοῦσιν, ὅταν — ἀγαπᾷ κ. τ. λ. In h. l. verba θαυμάζειν et ἄγασθαι coniuncta vitiosum pleonasmum efficiunt. Nam etiamsi, grammaticis veteribus auctoribus, τῷ: ἄγασθαι tribuatur notio *vehementis* admirationis, et τῷ: θαυμάζειν admirationis omnino; tamen formula ἄγασθαί τι vim verbi θαυμάζειν iam continet. Neque bene est lectum verbum εὖ ποιεῖν, de praemio sincere amantibus tribui solito, quod, quum in eo insit honoris magis, quam beneficii proprie sic dicti notio, in antecedentibus semper τιμᾶν dicitur. Denique in hoc loco verbum ἀγαπᾶν de amore amatoris et amasii vsurpatum est, quum antea semper lectum sit ἐρᾶν.

Tertia causa: quod singula membra non apte nexa sunt, omnisque locus consilium Phaedri primarium obscurat. Prima verba §phi VI. nec cum §. Vta, nec cum IVta cohaerent: neque omnino huc quadrant. Ipsum interpolatoris consilium, qui ostendere vellet, amasium de amatore bene meritum diis magis probari, quam amatorem, qui idem in amasium fecerit, non permittit, ut haec verba inserantur, quum sic ordo enunciationum non adiuvetur, sed potius perturbetur. Deinde primarium Phaedri consilium illis duabus §§i tegitur. Phaedrus enim in altera orationis parte (inde a c. VI, 4. vsque ad finem) Amorem summum hominum evergetam ita potissimum celebrat, vt eum dicat homines excitare ad virtutem, quae diis hominibusque probetur. Primaria igitur sententia est, *amor beneficiis homines afficit ita, vt eos ad virtutem ducat.* Virtutis autem descriptio haec, vt dicatur *talis, quae diis*

probetur atque ab iis ornetur nil nisi secundaria est sententia. Opus igitur erat, vt haec secundaria obiter tantum et breviter illustraretur, quod fit illis paragraphis eiectis. Orationem autem Phaedri §pho IV. recte finiri, atque adeo nil deesse, intelligitur partim ex iis, quae ab initio promiserat (c. VI. 1. 2. 3. extr.) partim ex c. VII, 7. vbi argumentum totius orationis summatim repetitur,

---

Indicandae etiam sunt tres aliae prolusiones eiusd. auctoris, quarum prima, edita anno 1797., agit de *proposito Symposii Platonis*. Refutata illorum sententia, qui statuant, *Platonem animi causa in laudem Amoris scripsisse*, argumentis firmare studet eam, *auctorem voluisse vanas istas de Socratis in Alcibiadem amore opiniones impugnare atque adeo docere, amorem illum non fuisse turpem et illicitum, sed honestum atque legibus convenientem.* Qua in re tractanda ita versatur, vt doceat, 1) opus fuisse tali Socratis defensione 2) revera hoc Platoni consilium fuisse. Eo enim sumto omnium libelli partium esse nexum aptissimum, idemque suadere Socratis Alcibiadisque orationum indolem internam.

At dissimulavit Plato hoc consilium: cuius dissimulationis causa quaerenda in ipsius criminationis illius invidia,

Altera, edita 1798. Lipsiae apud Tauchnitzium tractat *Chronologiam Symposii Platonis*. Ac primum quidem agitur de tempore Convivii ab Agathone instituti. Sequitur auctor Athenaeum, qui docet, Agathonem victoriam reportasse Lenaeis, archonte Euphemo, quum Plato adhuc puer esset XIV. annorum, Ol. 90, 4.

Deinde H. docet, *tempus quo Apollodorus socie-*

tati cuidam omnia narrasse fingitur, distinguendum esse ab eo, quo Plato libellum ediderit. Probabile ei est, tempus narrationis non multo ante necem Socratis esse ponendum, Olym. 94, 4. — quo tempore quum multos Socratis in adolescentes amorem turpem sistere studuisse vero simile sit, nullo commodius Socratis in primis atque Alcibiadis orationes narrari potuisse.

Porro quaeritur, quo tempore Plato symposium ediderit. — Non probatur eorum sententia, qui statuant, symposium a Platone iam seniore conscriptum esse eo quidem consilio, vt esset, quod in eodem genere Xenophontis symposio opponeretur: nec ea, quae Wolfio probabilis videtur, scriptum esse symposium paullo post iniuriam Arcadibus (Mantineensibus) a Lacedaemoniis illatam (post ol. 98, 2. aut 3.) nec denique ea, ex qua Plato libellum prius composuerit et in altera tertiave recensione locum de Mantineensibus addiderit.

Denique suam auctor sententiam prodit hanc: *Symposium a Platone coeptum esse scribi non ita multo ante Socratis mortem et quidem eo tempore, quo Apollodorus narrans fingi videbatur; tum Platonem non vivo Socrate libellum absoluisse, sed plures annos ei expoliendo impendisse, eumque adeo demum post Mantineensium calamitatem publici iuris fecisse.*

Tertia Hartmanni prolusio, ed. 1799. Gubenae, est *de mytho Aristophanis in symposio Platonis.*

Agitur 1) *de argumento et consilio mythi.* Consilium ipse declarat Aristophanes: ἐγὼ πειράσομαι ὑμῖν εἰς ηγήσασθαι τὴν δύναμιν ἔρωτος.

2) *De indole eius et natura.* Pertinet ad laetius genus, eique facili opera omnia superstruuntur, quae

ad ambitum imperii Amoris illustrandum proferuntur. Locum etiam tenet commodissimum, medium inter septem orationes magis serias.

3) *De causis cur intextus sit.* a) Poterat sic consilium Aristophanis varium Amoris imperium declarandi facillime teneri atque adeo nullo negotio intelligi, quomodo vsu venisset, vt alii suum sexum, alii alterum amarent. b) Ipsa dialogi symposiacos sermones continentis ratio movisse videtur Platonem ad hunc mythum laetiorem intexendum. c) Tertia causa quaerenda in ingenio Platonis poëseos amante.

4) *De fontibus.* H. hunc mythum iis accenset, quos Plato ipse confinxerit, quia vnice sit ad hoc symposium ornandum de industria compositus, ingenio Aristophanis longe adcommodatissimus, et quia, nisi illud sumseris, varii loci lectorem offenderent, vbi magna orationis Aristophanis spes excitetur.

XV.

Relationes breviores.

The Gentleman's Magazine, Febr. 1800. p. 65. Critique on 65th. Line of Virgil's 3[d] Eclogue. Verba, *et se cupit ante videri*, auctor docet, non accipienda esse sic: ante, quam fugiat, se conspici vult, sed, antequam salices intret; scilicet postquam malum in Damoeten coniecerat Galathea, eam fugere coepisse, retrospexisse an Damoetas persequeretur, et videri cupiisse.

Ibid. p. 112. lacuna III. Aeneid. v. 340. ita suppletur:

Quem tibi iam Troia, assimilem iam matre notabam;

aut potius:

Q. t. i. Tr., ore parem iam matre notabam.

Ibid. April. p. 304. Passage in the Phoenissae of Euripides explained. Est vers. 859. edit. Porson. ubi verba ὡς πᾶσ' ἀπήνη — multas pepererunt coniecturas. Auctor probabiliter corrigit:

ὡς παῖς ἀπήνης ποῦς τε πρεσβ. — κουφίσματα
ut currus infans solet expectare levamen,
pesque senis dextrae externae.

Equidem ὡς potius verterem: siquidem.

Ibid. p. 325. ss. de columna Pompeii, quae ad Alexandriam est, tum ex Sonninio, tum ex aliis refertur, variaeque mensurae eius institutae recensentur.

Lasteirius, qui nuper plurimarum terrarum oeconomiam accuratius cognovit, libellumque egregium de ovium pastione in Hispania scripsit, in oppidulo quodam regionis inferiorum Pyrenaeorum detexit aras quasdam gallicis diis sacras, de quibus *Millinus* disputavit [1]), qui idem eas aeri incisas exhibuit. Prima est ex marm. candido [2]), in altero latere praefericulum (vas, quo aqua ad sacra afferebatur), in altero patera exsculpta cernitur. Fronti autem inscriptum:

ASTOILᵛN
NO. DEO
C. FABIVS
LASCIVOS
V S L M

Quis deus iste *Astoilunnus* fuerit incertum est. M. de Hercule *Iunno* cogitauit, qui ap. Montf. Ant. expl. T. II. P. I. p. 251. occurrit. (*Lunus* deus in mentem facile venit, sed quid praecedd. litteris faciendum?) Quod V minori forma scriptum litterae L est insertum, eius rationis et alia sunt in inscriptt. exempla, *Lascivos* (quae antiqua nominis est scriptura) etiam aliarum gentium cognomen in titulis legitur.

Secundae haec est inscriptio:

ARARDO
DAEO
I P F
V S L M.

Nec Arardus deus innotuit. Daeo vitio sculptoris debetur. I P F explicatur: *Iulius Publii filius*. Lateri uni

1) Lettre du *C. A. L. Millin* sur quelques autels antiques; avec des inscriptions gauloises, trouvées à *Saint-Beat* (petite ville du ci-devant comté de Comminges, par le *C. Lasteyrie*, dans le Magasin encycl. 6. An. T. III. n. 12. Brum. an 9. p. 433-442.

2) Alt. 2. pieds 9. pouces, lat. 2. p. 4. pouc.

insculptum vas singularis formae cum una quae utramque partem attingit ansa; alteri patera. Rudius opus.

Tertiae, item marmoreae, titulus est;

ABLLION[1]
DERRO°
BORROCONIE
V S L M

h. e. *Abellioni* (scil. prima litt. L pro E scr.) *Derro* (s. *Derroc*) *Borroconieus* (ON ita scr. ut N litterae O insertum sit, forma litt. E in fine ea est, ut legi possit EV aut EVS) V. S. L. M. *Abellio* ex aliis monum. antiquis notus est, putaturque Graecorum Apollo esse, (Ἀβελιὸς ap. Cretenses, v. Hesych.) Ex DERROC *M.* facit: Deo Roc h. e. *Rocius* (qui ap. Gruter. et Murat. occurrit) cuius cognomen sit *Borroconieus*. *V. S. L. M.* est: Votum soluit libens merito.

Praeterea lapis inventus est quadratus, cui inscribitur (p. 439. s.)

MARCVS
SEVERVS

Posterius nomen lineis et ornamentis triangularibus inclusum est. Solebant ita operum publicorum et privatorum fores insigniri consulum architectonumve nominibus (v. Liv. XL, 2, 3.), sed hunc lapidem esse sepulc. monumenti Christiani Millinus censet, exemplisque hoc confirmat, et nomen illud Christianis non ignotum fuisse ostendit. (cf. *Lupi* diss. et animadversiones ad nuper inventum Severae martyris epitaphium, Pis. 1734. f.) Ornamenta etiam eius generis, quo nomen Severi cingitur, Christianis monumentis propria sunt.

In eodem fasciculo p. 511. s. *Barraldus* (Barraud)

pater narrauit in regione Bellovacensium [3]) reperta nuperrime esse duo vasa, plena aureis numis Romanis, quorum quidem ipse vidit imperatorios a Galba usque ad Getam; nam alios iam divenditos, alios occultatos esse suspicatur. Ex Aegypto adlatae sunt duae litterae, Contaei (*Conté*) [4]) qui, praeter alia, narrat, se Pyramides et Saccarenses catacombas vidisse atque altitudinem maximae pyram. reperisse 427. ped. quam astronomi dein constituerint 425. ped., et *Corabovis* (Coraboeuf) [5]), qui cum de aliis exponit laboribus et inventis VV. DD. per quos nunc Aegypti monumenta accuratius cognoscuntur, de anaglyphis et voluminibus papyraceis, quorum et hieroglyph. et alphabet. est scriptura, tum de duplici zodiaco, altero Hennae in peristylio, ubi solstitium in virginis signo indicatur, altero in templo Denderae reperto, ubi solstitium in signo leonis. De utroque Zodiaco (unde chronologia vulgaris sollicitatur) *Grobertus* copiosius exposuit.

Calvetus, Avenionensis, medicus, duobus monumentis antiquis Parisinum museum auxit. Alterum marmor [6]) a. 1769. in convallibus Megarensibus in Achaia, inter Athenas et Corinthum repertum a Bassineto (M. de Bassinet d'Augard). Titulus, paucis litteris expletus, hic est:

'Ορρίππῳ Μεγαρῆς [7]) με δαΐφρονι τῆδ' ἀρίδηλον
Μνᾶμα θέσαν θέσαν φάμα Δέλφιδι πειθόμενοι·
Ὃς δὴ μακίςους μὲν ὅρους ἀπελύσατο πάτρᾳ
Πολλᾶν δυσμενέων γᾶν ἀποτεμνομένων.

---

3) près d'Omoy à douze de lieues de Beauvais sur la route d'Abbeville.

4) p. 521. ss.

5) p. 524. s.

6) Mag. encycl. T. III. 6me An. N. 12. p. 537. ss.

(7) h. e. Μεγαρεῖς. mox perperam scriptum ap. M. τῆδε.

Πρᾶτος δ' Ἑλλάνων ἐν Ὀλυμπίᾳ :::: [8]) ἐςεφανώθη
Γυμνὸς, ζωννυμένων τῶν πρὶν ἐνὶ ςαδίῳ.

h. e. Orrippo bellicoso me hoc loco clarum monumentum erexerunt Megarenses, oraculo Delphico obsequentes: qui quidem longissimos terminos patriae extendit, hostibus multa terra privatis. Primus autem Graecorum Olympiae coronatus est nudus, cum cincti fuissent, qui antea in stadio decurrerent. *Orrippi* igitur vera est nominis scriptura, qui in codd. scriptt. vett. Orsippus est. Partem epigr. Scholiastes Thucyd. [I, 6.] habet, inde corrigendus.

Alterum monum. est lamina aerea [9]), in qua collegium utriculariorum commemoratur, de qua eo minus disputandum est, cum francog. commentationem latine verterit G. H. Martinius noster (Antiq. monum. sylloge II. p. 1. ss.) ita tamen, ut Calvetus queratur, sensum auctoris interdum plane esse depravatum.

In eodem fasc. non modo Antonius, Gorlicensis V. Cl. rectius explicuit vocabula nonnulla latina in Capit. Caroli M. de villis [10]), de quibus iam aliunde nostris constat (elaborarunt enim in ea lege explicanda, Ressius, Brunsius, Antonius, Kinderlingius), sed etiam popularis noster, *G. Fischerus*, qui bibliothecae Moguntinae praeest, [11]) de antiquissimo cod. coe-

---

8) Calvetus censet, lithographum sculpere voluisse Ὀλυμπιάσιν, quod cum vidisset metro repugnare, recidisse extremas syllabas.

9) p. 541. ss.

10) Lettre de M. Charl. Gottlob Anton au *C. A. L. Millin* sur les explications qui ont été données du Capitulaire de Charlemagne par les CC. *Soreau* (Mag. enc. A. V. T. IV. p. 474.) et *Hermann* (ib. T. V. p. 363.) Mag. enc. A. VI. T. III. p. 513. ss.

11) Notice d'un manuscrit très-précieux, découvert parmi

nobii S. Maximini prope Trevirum disputavit (aliunde etiam noto, v. Valentini Museum Museorum T. II. c. 8. p. 51. tab. 10. et I. G. ab Eckhard Comm. de reb. Franc. Orient. T. I. p. 597.) Est *codex aureus IV. Evangeliorum ex recensione Hieronymi presbyteri cum eius praef. et epistola ad Damasum Papam, Saeculi VIII. fol.* In fronte Evangg. cernuntur evangelistarum imagines cum symbolis notis. Initium evang. Matth. litteris maiusculis, reliqua pars inde a 6. cap. minusculis scribitur, atque aureae litterae egregie in membranis pictae sunt. Vestitum est volumen tabula argentea, deaurata imaginibus argenteis et lapidibus pretiosis ornata. In aetate codd. latin. definienda non tantum litterarum, sed atramenti quoque, ornamentorum, orthographiae, interpunctionis rationem habendam esse, docet (p. 502. ss.) idemque de modo scribendi libros, ligandi, ornandi (p. 496. ss.) breviter exponit. Verum ea non ignota sunt.

In ephemm. litt. Erlangg. (Erlang. litt. Zeit. 1801. n. 17. p. 129. ss.) laudantur *Haberfeldii* (quem tamen V. D. non recte existimavit, hoc primum ingenii specimen edidisse) merita in Horatium (Vorlesungen über die klassischen Dichter der Römer: fortgesetzt von *Ioh. Fr. Haberfeld*, Pfarrer zu Neukirch im Meifsn. *Dritter Band*, welcher die Vorlesungen über das zweite Buch der Satyren und das erste B. der Episteln des Horaz enthält. Leipz. 1800. 8. — priora II. voll. ediderat *Paul. Fr. Achat. Nitschius*); et ad nonnulla loca observantur haec:

---

les effets provenant du couvent de Saint-Maximin, avec quelques remarques sur les notes caractèrestiques de l'âge des manuscrits; par *G. Fischer*, profess. et biblioth. à Mayence, Mag. enc. T. III. A. VI. p. 494—505.

Serm. II, 6. ostenditur, non, quod Vuilando visum fuerat, et ex parte Haberfeldo placuerat, consilium poëtae fuisse, ut hoc carmine gratiam apud Sabinos, vicinos, iniret, imo eum docere voluisse, quantum rustica sua vita urbanae praestet, atque ita se apud Maecenatem excusare. — V. 17. verba *Quid prius* — *pedestri* non apodosin constituere, sed in parenthesi accipi debere. — V. 29. — 33. verba *tu pulses* — *recurras* esse eorum voces, quos poëta e via removerat; his eum respondere: *hoc* — *mentiar*, h. e. vere profiteor, delectare me adeundi Maecenatis facultatem. At mea patientia magis etiam explorabitur, simulatque ventum est Esquilias.

Epp. I, 1, 59. pueros *ludentes* auct. censurae cum Vetterleinio interpretatur, *canentes*, ita ut haec: *Rex eris* etc. contineant sententiam, quam pueri cantent.

Ad Epp. I, 2, 2. monetur *Praeneste* derivandum esse a Nomin. *Praenestis* (ut Virg. Aen. VIII, 561. Cic. de Diu. II, 41.) — V. 4. *Plenius* defenditur. Chrysippum scil. et haud dubie etiam Crantorem, spissa volumina scripsisse, neque tamen ita plene edocuisse, uti Homerum. V. 44. ss. ordinem sententiarum eum, quem Dacerius ediderat, probat. — Epistolae 8. hoc propositum esse censet, ut mitiget excusetque severius iudicium, quod de Celso ep. 3. tulerat.

Notum est, *Porsonum* nuper coepisse Euripideas fabulas edere, initio facto ab Hecuba 12). In eius

---

12) Euripidis Hecuba, ad fidem Mss. emendata et brevibus notis emendationum potissimum rationes reddentibus instructa. Lond. 1797. 8. in quam editionem statim post *Gilb. Wakefieldus* composuit atque edidit Diatriben extemporalem. Cf. inprimis *Gfr. Hermannus* in praef. et animad.

praf. cum alia, quae ad Tragicorum reliquias emendandas spectant, subtiliter disputavit, tum proposuit etiam has criticas leges: 1. augmentum a Tragicis non omissum, ideoque ubique restituendum esse; 2. non modo in paribus senariorum iambicorum locis, sed ne in tertio quidem et quinto ferri posse. Illius edit. censor nuperus (Crit. Rev. 1800. Nov. p. 243. ss.) a priori lege excipiendum esse monet χρῆν; quod ad alteram adtinet, miratur Porsonum probasse suo assensu Reiskii rationem, qua Eurip. in Orest. 273. effugere potuerit Comicorum sibila: ἐκ κυμάτων γὰρ ὁρῶ γαλήνην αὖθις αὖ. Cum Pors. in Aesch. Choeph. 654. legi iusserit: εἴπερ Φιλοξενη — censor, qui de hac forma recte dubitat, scribi maluit: εἴπερ Φιλοξένου 'ςιν Αἰγισθου βία; In eiusd. Suppl. v. 800. idem legi potius iubet: προς ὀν νεφη διυγρα γιγνεται χιων (aut etiam διυδρα, quamquam in Lexx. hoc vocab. desideratur) quam cum Aldo et Rob., Porsono iubente, νεφη δ' ὑδρηλα. Hecubae idem censor retractavit loca potissimum haec (nam leviora, quae animadvertit, omisimus): V. 28. ss. interpungendo sensum faciliorem reddit (p. 246.)

κειμαι δ' ἐπ' ἀκταις ἀλλοτ', ἐν ποντου σαλῳ,
πολλοις διαυλοις κυματων φορουμενος,
ἀκλαυςος, ἀταφος· νῦν δ' ὁπερ —

ut ἄλλοτε et νῦν sibi respondeant, et πόντου σάλῳ explicet voc. ἀκταῖς, coll. v. 699. s. Hal. 1785. Iph. Taur. 253. Lycophr. Cass. 387.

V. 41. πρόςσφαγμα scribendum esse docet. V. 112. adsentitur Porsono rescribenti ὅτε (pro ὅτι) sed causam

---

verss. ad Hecubam ab ipso a. 1800. editam, de qua alio loco dicetur.

sam ita reddit: significantius est ὅτε, nam qui *tempus* noscat, haud dubie *rem ipsam* teneat necesse est.

Audacior eius est coniectura V. 243. ss. quem locum, repudiatis aliorum coniecturis, ita refingit (p. 247.)

Οἶσθ' ἡνίκ' ἦλθες Ἴλου κατάσκοπος,
δυςχλαινίᾳ τ' ἄμορφος ὀμμάτων τ' ἄπο,
ἀφροῦ ςαλαγμοῖς σὴν καταςάζων γένυν;

Coll. Hom. Od. IV, 214. Eurip. Rhes. 712. Iph. Taur. 308. Herc. Fur. 934. Plutarch. T. VI. p. 62. Reisk. et 1. Reg. XXI, 13.

V. 464. Αιδᾳ defenditur (Pors. cum Musgr. Αιδα) cum utraque structura sit usitata (Troad. 351. El. 89.). V. 513. lect. cod. Harlei. μεταςίχλει praefert, atque etiam in Phoeniss. 1328. legi iubet:

ἐγω δ' ἥκω μετα-
-ςελῶν ἀδελφήν —

cum γέρων ibi ineptum sit.

V. 515. post κακά non interr. notam sed punctum poni vult, quia ἆρα, si interrogationi inservit, primam habet syllabam longam.

V. 712. (p. 249.) scribit: οὐχ ὅσια τ' οὔτ' ἀνεκτά. Quem ad 754. profert Pors. Ennii locum, Criticus ita probabiliter emendat:

viden' hunc meae in quem lacrumae guttatim cadunt?

V. 768. τίνος γὰρ ἄλλου, propius ad vulg. lect. quam Pors. τ. πρὸς — legi iubet.

V. 806. scribit: ποῖ μ' ὑπεξάγεις ποδί; Quonam me furtim ac pedetentim abstrahis tuo incessu? Quid vero si με πόδα (h. e. μου π.) ad Homericam structuram referatur?

V. 902. Quia καλύπτει etiam Schol. habet, mavult hoc servato, pronomen σε abiici, coll. Hom. Il. Ζ, 343. Nostri Hel. 45.

Grauior est correctio v. 1018. (p. 250. s.)

ἀλιμενον τις ὡς ἐ[…]άντλον ἐμπεσων
λεχριος, ἐκπεσει φιλης καρδιας,
σ' ἀμερσας βιότου.

λέχριος comparat cum Virg. Geo. III, 524. *deuexo pondere* etc. omnemque imaginem ex Hom. Od. O, 478. ductam esse censet.

V. 1169. partim ex Stob. partim ex uno cod. ita emendat:

ἠ νῦν λέγων ἐς', η παλιν μελλει λεγειν.

Ceterum cum decreto de augmento ab Atticis non omisso obstare vidisset locum Soph. Oed. Col. v. 1621. ed. Eton., in eo (p. 252.) pro θωῦξεν reponit θωῦξαν, participium cum voc. φθεγμα iungendum. Similiter monet in Plutarch. T. VI. p. 68. genuinam lectionem ed. Ald. et Bas. ἔχον abiisse in ἔχει.

Inde a duobus annis optimae aereae et marmoreae statuae recentiorum artificum, quas vel ipsi suo ingenio elaborarunt, vel ex antiquis expresserunt, quaeque Lutetiae Parisiorum et in palatiis regiis asservabantur, in hortos palatii Medicei, *les Tuileries* dicti, sunt translatae, atque facilius nunc visuntur, et utilius etiam, cum multarum antiqua exemplaria in *Museo Artium* nunc reposita sint. Edidit earum catalogum *Millinus* (Description des Statues des Tuileries, par *A. L. Millin* Par. 1798. 130. pagg. 12.), sed auctior nuper insertus est vernaculo diario (*London und Paris* Dritter Iahrgang n. 6. 1800. sechstes Stück, p. 129. ss. *Die Tuilerien*. Betrachtung und Benennung der daselbst aufgestellten Bildsäulen.) Est in iis Laocoon aer. a Primaticio, Diana succincta, Silenus Bacchum por-

tans, aliaque et simulacra et symplegmata ex antiquis expressa, etiam vasa.

Ex Aegypto multi tituli sunt in Galliam nuper delati, de quibus singulari recitatione *Ameilhonus* exponere coepit:

Notice sur les inscriptions apportées de l'Egypte par les officiers de l'armée du général Bonaparte, lue à l'Institut nationale dans la séance publique du 15. nivôse, par le *C. Ameilhon* (v. La Décade philosoph. litt. et polit. An IX. Second Trimestre N. 14. p. 272, ss. *Millin* Mag. encycl. T. V. 6. A. n. 18. p. 241. ss.)

Tractat autem unum monumentum ex granite lapide, Raschidii (Rosette) inventum, ornatum tribus inscriptionibus, quae idem continent decretum, hieroglyphice, lingua Aegypt. vulgari, et graece, expressum: nulla tamen harum trium inscriptt. est integra; sed minimam iniuriam ea est passa, quae litteris Aegypt. vulgaribus est exarata. Monumentum in honorem Ptolemaei V. Epiphanis, regis, erectum ex decreto sacerdotum Aegpytt., qui in urbe Memphide celebrant solemnia inaugurationis regiae (Ptolemaei Philometoris, filii Ptol. Epiph. a. C. 168.), propter pietatem, liberalitatem in deos, sacerdotes, templa, aliasque virtutes regis. Multa ex hoc titulo cognosci possunt, quae ad historiam spectant; ut quod fuerunt fabricae linteorum byssinorum cum templis coniunctae, quod Lycopolin, cuius cives res novas moliti fuerant, Ptolemaeus expugnavit etc. Plures ei honores decernuntur, ut in quovis templo ipsi et maioribus exstrueto statua Ptolomaei defensoris Aegypti ponatur; ut parvum eius simulacrum inclusum aediculae consecretur, et in solennibus pompis (exodiis) circumferatur etc. Speramus in Com,

mentariis Inst. nat., aut etiam separatim, ipsam hanc inscriptionem editum iri. Anno a. C. 168. Am. eam adsignat.

Primo trimestri anni IX. reip. Gall. Socii Inst. nation. quod Lutetiae Par. est, ex classe Litterat. et Bonarum Artium has recitarunt Commentatt. *Langlesius* (Langlès) chronolog. descriptionem historiae ducum Chersonesi Tauricae (Khans de la Crimée) quorum inde ab a. 1237 — 1783. numerat 63. — *Mongesius* (Mongez) de orationibus, quas historici memorant, et, quibus modis veteres vim vocis in theatris adiuverint auxerintque — *Camus* de forma litterarum graecarum et in codd. mss. et in editt. scriptt. graecis, hactenus adhibitarum — (quae observatt. partem constituunt Historiae typographiae ab ipso edendae) — *Trollei* de nonnullis operibus antiquis nuper inventis diss. examinata est (*Traullé* d'Abbeville diss. sur quelques Antiques, découverts depuis peu dans la vallée de la Somme). In his est Mars barbatus aer. — *Ameilhonus* de Cod. ms. Synesii Tr. de chymia, vulgo Democrito tributi. V. La Décade phil. Second Trim. An IX. N. 13. p. 196. s.

De *Epicharmo* breviter commentatus est *Gailius* [13]. Alii eum Coum, Samium alii, alii Siculum faciunt. His adsentitur auctor, censetque Doricis maioribus, qui ex Peloponneso in Siciliam abiissent eum ortum esse, unde etiam Syracusanus dicatur. Epigramma autem Theocr. XVII. v. 1. 2. monet ita verti debere: Et vox dorica est, et doricus est vir, qui comoediam invenit, Epicharmus.

---

13) Sur Epicharme par le C. *Gail*, Mag. encyclop. T. IV. 6me An. n. 14. p. 216 — 219.

In *recitationibus* academicis *Berolinensibus* per a. cIɔIɔccc. habitis fuerunt memorabiles hae: d. 13. Mart. Abb. *Deninae* de origine nominum nationum, regionum, fluviorum, villarum, et cognominibus familiarum (francogall.); d. 24. *Meierotto* de ludis circensibus sub imperatoribus Romanis Comm. I. (german.); d. 17. Iul. *Deninae* de linguis et dialectis (sur la singularité des Langues et dialectes, et sur les sources différentes de leur richesse).

In Programmate, quod ita inscribitur: *Festum natalem diem Ser. Ducis Wirtemb. Friderici II. d. VI. Nov. MDCCC., in gymn. Stuttg. audit. mai. solemni orat. celebr. indicit M. Frider. Christ. Franz*, hist. ac geogr. Prof. P. Ord. (8. pagg. 4.), auctor monet, non temere prodigia et miracula omnia, quae veteres scriptores narrant, ad fraudem pontificum, atque superstitionem esse referenda, imo multa ex naturalibus causis explicanda, cuius rei periculum fit in duobus Livii locis I, 13. V, 28. (Tubing. ephemm. 1801. 17. p. 136.) Idem argumentum

Christ. Frid. Matthaei, cel. Prof. Viteb. de *Wernsdorfii* edit. carminum Manuelis Philae (Lips. 1768. 8.) codicibusque Philae aliis disputavit 14). Tractavit enim M. codicem illum Augustanum, bombyc. saec. XIV. unde Vuernsd. nonnulla carmina primum edidit, intellexitque non modo editionem Lips. multis abundare mendis, sed editorem quoque non bene codicis lectiones exhibuisse. Sic in carm. ignoti p. 22. V. 51. Cod. habet ἀντέπραξας ἀντιφαρμάκῳ (non ἀντιφάρμακα, nec ἀντιπράττειν est *praebere*.) V. 62. in cod. plane est ὑπέγραψε. Similiter p. 32. V. 143. cod. clare μό-

14) Nachricht von einigen Handschriften und Gedichten des *Phile*, Allgem. Litt. Anzeiger, 1801. p. 33. p. 305. ss.

λυσμα. P. 40. v. 215. Cod. ἔτι τρυφήσω, sed M. legi iubet ἔτ' ἐντρυφήσω. P. 44. v. 237. Cod. ζώσας χθόνας. P. 50. v. 277. ἀρκοῦσιν sc. οἱ λόγοι, *sufficiunt*. P. 54. in inscr. carminis Ph. cod. καταπαθῆ, quod aeque bonum vocab. ac περιπαθης. P. 58. v. 22. cod. ἐγκόπτεῦσι, quod instrumentum etiam ap. Luc. in Somnio memoratur. Struendum: πέτρα τοῖς πόνοις, καθάπερ ἁδροῖς ἐγκοπεῦσι, θρυβεῖσα. P. 64. v. 61. codex: καὶ γραφεὶς (pictus seu hoc carmine descriptus), πάτερ (per compend. scrib. — monachum ita alloquitur), λέγεις. P. 76. v. 19. Codex: ἀλλ' ἐπ' ἀλλήλους, Est voc. probum ἀλλεπάλληλος, *continuus* (einer nach dem andern). Chrysost. T. II. p. 579. E. Montf. ἀλλεπάλληλια Eustath. p. 12. ed. Rom. Librarii autem ut IX., ita XIV. saeculi composita quoque vocabula spiritibus et accentibus notarunt. P. 80. v. 42. in cod. θαυματουργήσας χύσιν. P. 84. v. 70. cod. μὰ τὴν ἰσχὺν τῶν λόγων. Quae quidem omnia facilia sunt, nec mutatione indigent. Wernsd. notas et compendia scribendi non recte potuit legere. In praef. Wernsd. n. X. 4. novem hypotheses s. epigrammata in Gregorii Naz. homilias e Lambec. adferuntur. In cod. Bibl. synod. Mosquens. LXVI. (saec. XV.) sunt XVIII. epigrr. in XVI. homilias (Στίχοι τοῦ Φιλῆ εἰς τοὺς λόγους τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου τοῦ θεολόγου.

Ad homiliam in Basilium M, haec spectat inscriptio:

Ζῆς μάλα σεμνῶς καὶ τελευτήσας, μάκαρ,
Ὁ σύννομος (Gregorius) γάρ αὖθις ἐψύχωσέ σε,
Μονῳδίας (orationis funebris) ἔντεχνον ἰσχὺν ἐγχέας,
Ὡς πνεῦμα καὶ φῶς, τῇ σκιᾷ τοῦ λειψάνου.

Ad homiliam εἰς τὰ ἅγια Φῶτα (festum epiph. solennisque baptismi 6. Ian.)

Γυμνὸν θεωρῶν τὸν θεὸν καὶ δεσπότην,
Ἄνθρωπε, γυμνώθητι παθῶν καὶ δράμε (scil. ad fluvium)
Ὁ γὰρ ποταμὸς τοῦ προκειμένου λόγου
Παντὸς μολυσμοῦ τὰς ψυχὰς ἀποπλύνει.

Alia epigrr. edidit Matthaeus in Greg. Naz. binis Oratt. Mosqu. 1780. 4.

Codex secundus bibl. Mosqu. n. CCCLXVIII. saec. XV. inter alia habet *Phile* μετάφρασιν τῶν οἴκων (brevium hymnorum) τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου. Inc. Σῇ τῇ στρατηγῷ τῶν βροντῶν ὑπερμάχῳ.

Cod. tertius bibl. typograph. S. Synodi n. 13. in 4. 1) p. 176 — 186. τοῦ Φιλῆ στίχοι διάφοροι ἰαμβικοί. Inc. Ἄνθρωπε, δεῦρο στῆθι καὶ σκόπει τάδε. 2) P. 188. τοῦ Φιλῆ εἰς τὴν Μαρίαν τὴν Αἰγυπτίαν (cuius memoria in eccl. gr. d. 1. Apr.) Inc. σκιὰν σκιᾶς ἔγραψας. 3) P. 188. τοῦ αὐτοῦ εἰς τὸν ἅγιον Ἰωάννην τὸν χρυσοστόμον. Inc. eodem modo: σκιὰν σκιᾶς ἔγραψας. 4) p. 188. τοῦ αὐτοῦ εἰς λίθον σφαιροειδῆ κρῦον (crystallum), ἐν ᾧ ἦν γεγλυμμένος ὁ δεσποτικὸς τύπος. Inc. ὕδωρ ὁ λίθος οὗτος, οὐκ ὄντως λίθος. 5) P. 189. s. Ἔκφρασις τοῦ ἐλέφαντος ἐν Φιλῆ στίχοις. (ap. Wernsd. p. 254 — 298).

Quatuor docti graeci plenissimum edituri sunt graecum Lexicon, tribus voluminibus, forma maxima, quod formulis describetur ineunte Maio. Programma eam in rem lingua vulgari graeca scriptum et Vindobonae m. Oct. editum repeti *F. C. Alterus*, cl. Prof. Vindob. iussit (Allgem. litt. Anz. 1801. n. 31. p. 290. s.) Idem (ibid. p. 292.) nunciavit, Demo-

trium Alexandridem conscripsisse historiam Graecorum inde ab antiquissimis usque ad nostra tèmpora, 3. voll. 8. lingua antiqua graeca. Idem ib. p. 296. laudavit hunc librum: Παιδαγωγία περιέχουσα πάνυ ὠφελίμους νουθεσίας τε καὶ οἷον δὴ κανόνας περὶ τοῦ πῶς δεῖ ἀνατρέφεσθαι τὰ παιδία. Συντεθεῖσα μὲν παρὰ τοῦ ἐν ἱεροδιδασκάλοις Ἀρίϛου κυρίου Γαβριὴλ Καλλονᾶ τοῦ ἐξ Ἄνδρου. μεθ' ὅσης δὲ πλείστης ἐπιμελείας διορθωθεῖσα, καὶ νῦν πρῶτον τύποις ἐκδοθεῖσα παρὰ Ἰγνατίου Ἀρχιμανδρίτου, καὶ Γεωργίου Καλλονᾶ τῶν αὐταδέλφων. Ἐν Βιέννῃ τῆς Αὐϛρίας παρὰ τῷ Φρὰνζ Ἀντωνίῳ Σχραίμβλ. 1800. 8. 554. pagg. *Gabriel Callonas*, natus Andri 1724. mort. d. 8. Mart. 1795., collegit haec praecepta ex probatissimis graecis auctoribus.

Catalogum eorum codd. et primarum editionum (incunabula vocant) quas Francogalli, Nepote (*Neveu*) inquirente nuper e Salisburgensibus bibliothecis abstulerunt, *Vierthalerus* proposuit in ephemm. Salisbb. (Salzburger Litteratur - Zeitung 1801. p. 16. 31. 48. 64. 80.); inde repetitus est in Lipsiensibus (allgem. Litt. Anzeiger n. 28. p. 257. ss.) Sunt in codd. Livii Historiae, Virgilii eclogae et Aeneis, Terentius, Plautus, Iulius Caesar, Cicer. Orationes, rhetorica et philoss. scripta, Manilius, Claudianus, Macrobius, Prudentius, Aristotelis Libri III. ad Alexandrum etc.

De Sophoclis Aiace duo nuper doctissimi viri commentati sunt, alter vernaculo sermone, *M. Christi. Iul. Guil. Mosche*, gymn. Francof. Prorector: *Ueber die Tragoedie des Sophokles, Aias.* Erstes Stück,

Frankf. am Main 1799. 34. pagg. 4. *Zweites Stück* 32. p. 4. 1800. (ubi prima part. fabulae argumentum et actio, secunda Aiacis ingenium explicatur, locis praestantissimis et ab auctore, et a Neesio metrice conversis), alter latino: *Wilh. Süvern* Progr. de Sophoclis Aiace flagellifero, Thorun. 1800. v. Goth. ephem. 1801. 18. p. 143.

Corrigenda.

P.	77.	lin.	27.	leg.	*at*
—	77.	—	7.	—	*Ceterum*
—	86.	—	9.	—	*iterabut*
—	88.	—	2.	—	*legantur - examinentur*
—	92.	—	16. 8.	—	*dis - putari*
—	93.	—	7.	—	*persecutus*
—	96.	—	4.	—	*epist.*
—	97.	—	1.	—	*confusa*
—	102.	—	1.	—	*fictilia*
—	104.	—	15.	—	*De*
—	105.	—	8.	—	*ubique*
—	106.	—	5.	—	*Pythagorae*
—	109.	—	22.	—	*Elvezirii*
—	111.	—	14.	—	γράφεται
—	113.	—	20.	—	Πανὸς
—	117.	—	13.	—	*inferretur*
—	119.	—	12.	—	*coniecturis*
—	120.	—	32.	—	*illustrato*
—	125.	—	6.	—	*Truguetum.* l. 16. s. leg. *Hawkins.* l. 28. l. *nonnulli.*
—	128.	—	22.	post	*utrinsque* add. *usus.* l. 19. leg. *Gormezano*
—	129.	—	1.	post	*usus est* excidit *fide.* l. 13. leg. *Bounar-Baschi.*
—	131.	—	31.	leg.	*Buhlio.*
—	134.	—	25.	—	*physicum.*
—	141.	—	13.	—	*Secutus*
—	142.	—	3.	—	*apostropharum*

Alios errores, ab edit. nondum animaduersos, facile lector et condonabit et emendabit.

PLAVIAE

IMPRESSIT CAROLUS CHRISTOPHORUS WIEPRECHT.

PART. I. INSUNT:

COMMENTARII

SOCIETATIS PHILOLOGICAE

LIPSIENSIS.

EDI CURAVIT

CHRISTIANUS DANIEL BECKIUS.

VOL. PRIMI PARTICULA II.

LIPSIAE ET PLAVIAE

IN COMM. GRAU, BIBL. CUR. ET MAURER BIBL. BEROL.

cIↄIↄcccI.

MONITUM AD LECTORES.

Non nobis licuit his particulis complecti omnem, quem his commentariis descripsimus, litterarum orbem. Nam ut proximum volumen continebat inedita quaedam e scriptis libris, et observationes in singula quaedam loca, ita eius duae partes cum merita philologorum quorumdam nuper defunctorum laudabunt, tum de libris etiam ad historiam litterarum antiquarum, ad historiam populorum, geographiam, antiquitatem, mythologiam et philosophiam veterem et iuris antiqui scientiam spectantibus et de versionibus vett. auctorum recentiss. exponent. Suo autem loco et tempore indices idonei adiicientur. Quo magis autem laetamur contigisse primae parti iudicia honorifica, eo certius speramus operam nostram et lectorum, quibus pretio etiam libel-

lorum satis consulitur, studio, et doctorum hominum cuiusvis terrae fauore, cui communes litterae nos commendant, felicissime adiutum iri. Lubentissime philologorum obseruationes doctas, disputationes, relationes de nouis operibus et inuentis hi commentarii et recipient et divulgabunt. Eas ut nobis non invideant, utque minores libellos philologicos mittant, obseruantissime rogamus. Ante finem anni prima secundi voluminis pars edetur.

PART. II. INSUNT:

COMMENTARIORUM SOCIETATIS PHILOL.

VOL. I. PARTICULA II.

I.

M. *Car. God. Siebelis* Observationes criticae in aliquot Strabonis locos.

Spec. II.

Lib. IX. p. 600. A. ed. Alm. Μετὰ Κρομμυῶνα ὑπέρκεινται τῆς Ἀττικῆς αἱ Σκειρωνίδες πέτραι, πάροδον οὐκ ἀπολιποῦσαι πρὸς θαλάττῃ. Strabo h. l. australe Megaridis et occidentale Atticae maritimae latus descripturus progreditur ab isthmo Cor. et Crommyone, quae agri Corinthiaci fuit. Quibus eum locis relictis Megaris Corinthiae contermina et Scironides petrae exceperunt. Scironides autem petrae Megaridis erant; id quod hoc ipso etiam loco Strabo perspicue significat ponendo eas post Crommyonem et ante ἄκρα Μινώα, quae Nisaeae, Megarorum navalis, portum efficiebant. Mox enim μετὰ δὲ τὰς Σκειρωνίδας πέτρας, inquit, ἄκρα πρόκειται Μινώα, ποιοῦσα τὸν ἐν τῇ Νισαίᾳ λιμένα. Ἡ δὲ Νισαία ἐςὶν ἐπίνειον τῶν Μεγάρων. Erravit igitur Casaubonus Scironides petras Atticae vindicans, suaeque nostri loci interpretationem ita accommodans opinioni: ὑπέρκεινται αἱ Σκ. πέτραι οὖσαι τῆς Ἀττικῆς. Penzelius Casaubonum secutus in eundem

incidit errorem vertens: „Ueber Krommyon liegen die *den Atheniensern zugehörende* Skironidischen Felsen." Quodsi Scironides petrae Megaridis, non Atticae erant, quomodo verba ὑπέρκεινται τῆς Ἀττικῆς interpretanda? Mihi quidem, variis explicandi periculis frustra factis, qua me ex his difficultatibus expediam, cum nulla videatur reliqua esse via, nisi quam aperit coniectura, suspicor pro τῆς Ἀττικῆς, cuius ab h. l. mentio prorsus aliena, Strabonem exarasse τῆς ἀκτῆς i. e. *imminent littori Scironides petrae.* Hoc respondet iis, quae de iisdem ille rupibus subnectit: πάροδον οὐκ ἀπολιποῦσαι πρὸς θαλάττῃ. Proximas mari has rupes fuisse, testatur etiam mythus, Scironem inde viatores calcis ictu in mare deiecisse. Caeterum simili Strabo locutione de monte Corydallo utens p. 605. B. ὑπὲρ τῆς ἀκτῆς, inquit, ὄρος ἐστὶν ὃ καλεῖται Κορυδαλός.

Ibid. p. 606. A. De longis muris (σκέλεσι, *brachiis,*) ab urbe Athenarum ad murum, quo Munychia et Piraeeus muniti erant, productis τῷ τείχει τούτῳ, ait, συνῆπται τὰ καθειλκυσμένα ἐκ τοῦ ἄστεος σκέλη. Per Dativum τείχει τούτῳ significatur murus Munychiae et Piraeei. Participium καθειλκυσμένα Xylander reddidit, *diruti*, Penzelius, *die gegenwärtig verwüstet sind*, male, cum potius sit: *producti ab urbe ad mare.* Idem p. 613. B. auctor ita expressit: σκέλη τὰ ἀπὸ τοῦ ἄστεος εἰς τὸν Πειραῖα (scribe Πειραιᾶ) καθήκοντα. Sane quidem Strabonis aevo diruti erant longi illi Athenarum muri, sed id non inest in his, quae excitata sunt, Strabonis verbis, verum in iis, quae eadem pag. 606. subiunxit: κατέσπασται δὲ καὶ τὰ μακρὰ τείχη.

Ib. p. 642. B. Ἡ μὲν οὖν ἐπὶ τὸ πλεῖστον τιμὴ τῷ ἱερῷ τούτῳ (ἐν Δελφοῖς) διὰ τὸ χρηστήριον συνέβη, δό-

ξέντι ἀψευδεςάτῳ τῶν πάντων ὑπάρξαι· προσελάβετο δέ τι καὶ ἡ θέσις τοῦ τόπου. Τῆς γὰρ Ἑλλάδος ἐν μέσῳ πως ἐςὶ τῆς συμπάσης, τῆς τε ἐντὸς ἰσθμοῦ, καὶ τῆς ἐκτός. Pro vulgata προσελάβετο Codd. exhibent scripturam προσέλαβε, quam veram esse arbitror. Namque προσλαμβάνειν tertio casu vel addito, vel animo addendo, saepe est, ut constat, *conferre ad aliquid, adiuvare*, ergo idem fere quod συλλαμβάνειν vel συλλαμβάνεσθαι. Sic Strab. XI. p. 758. C. προσλαμβάνουσι δ' ἔσθ' ὅτε καὶ οἱ τὸν Βόσπορον ἔχοντες, ubi subintelligendum τούτοις τοῖς πράγμασι, *adiuvant hoc Bosporani*. XIII. p. 871. B. προσλαμβάνει δὲ τῷ μήκει καὶ τὸ πλῆθος τῶν ἐποικισάντων τὴν χώραν Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων; *confert ad prolixitatem aliquid* etiam multitudo Graecorum barbarorumque, qui in hanc terram commigrarunt. Diod. S. XIV, 18. τοῖς κακοπαθοῦσιν ἀεὶ προςλαμβάνων, communes cum aliis aerumnas sustinens. Cf. et Xenoph. Anab. II, 3, 11. 12. Quibus omnibus in locis προσλαμβάνειν in nullo προςλαμβάνεσθαι scriptum videmus. In nostro autem loco deest ad προσέλαβε Dativus τῇ τιμῇ ex antecedentibus repetendus.

Ib. p. 643. A. καὶ δὴ καὶ τὸ Ἀμφικτυονικὸν σύςημα ἐκ τούτου συνετάχθη, περί τε τῶν κοινῶν βουλευσάμενον, καὶ τοῦ ἱεροῦ τὴν ἐπιμέλειαν ἔξον κοινοτέραν, ἅτε καὶ χρημάτων ἀποκειμένων πολλῶν καὶ ἀναθημάτων φυλακῆς καὶ ἁγιςείας δεομένου μεγάλης. In locum vulgatae scripturae δεομένου, quae orationem satis impeditam atque duram reddat, nemo facile dubitaverit quin substituenda sit Maiorum lectio δεομένων.

Eadem pag. de Amphictyonico concilio et civitatibus, quae eius participes erant, haec narrat: Αἱ μὲν οὖν πρῶται δώδεκα συνελθεῖν λέγονται πόλεις· ἑκάςη δ' ἔπεμπε Πυλαγόραν, δὶς κατ' ἔτος ούσης τῆς συνόδου,

ἔαρός τε καὶ μετοπώρου. ὕςερον δὲ καὶ πλείους συνῆλθον πόλεις. τὴν δὲ σύνοδον Πυλαίαν ἐκάλουν, τὴν μὲν ἐαρινὴν, τὴν δὲ μετοπωρινὴν, ἐπειδὴ ἐν Πύλαις συνήγοντο. Hic verba τὴν μὲν ἐαρ. τὴν δὲ μετοπωρινὴν spuria et a glossatore aliquo ex antecedentibus δὶς κ. ε. ἐύσ. τ. σ. ἔαρός τε καὶ μετοπώρου invita Minerva videntur exsculpta.

Lib. XIII. p. 872. C. Τέτρασι γενεαῖς πρεσβυτέραν φασὶ τὴν Αἰολικὴν ἀποικίαν τῆς Ἰωνικῆς· διατριβὰς δὲ λαβεῖν καὶ χρόνους μακροτέρους. Ὀρέςην μὲν γὰρ ἄρξαι τοῦ στόλου· τούτου δ' ἐν Ἀρκαδίᾳ τελευτήσαντος τὸν βίον, διαδέξασθαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ Πένθιλον, καὶ προελθεῖν μέχρι Θρᾴκης ἑξήκοντα ἔτεσι τῶν Τρωϊκῶν ὕςερον, ὑπ' αὐτὴν τὴν τῶν Ἡρακλειδῶν εἰς Πελοπόννησον κάθοδον. Larcherius in Chronologia Herodot. T. V. p. 361. vers. teut. exprimit suspicionem, verba ἑξήκοντα — ὕςερον, alieno loco a librariis posita, post Ὀρέςην — στόλου inserenda esse, quoniam Heraclidas non LX. sed LXXX. annis post Ilium eversum in Peloponnesum rediisse constet. Quam coniecturam multum a vero aberrare, facilis est demonstratio. Namque hoc nostro loco Strabo narrat, Aeolicam coloniam quatuor generationibus antiquiorem dici Ionica, quae circ. 1130. a. C. in Asiam missa putatur. Quodsi ex Larcherii opinione Orestes Aeolicae coloniae deducendae LX. annis post Troiam captam i. e. 1210. a. C. n. initium fecerit, Aeolica colonia annis tantum LXXX. prior erit Ionica. Anni vero LXXX. quomodo quaeso pares aestimari possunt quatuor generationibus, saltem CXX. annos comprehendentibus? Quod Larcherius p. 379. respondet, Strabonem Aeolicam coloniam non ipsum certo tradidisse quatuor generationibus antiquiorem esse Ionica, sed alienam temere amplexum esse sententiam, idque ipsum voco

Φασί satis significasse, animum prodere videtur praeconceptae opinionis studio et ad iniquitatem abreptum, et parum memorem, idem hoc Φασί etiam de *rebus certissimis in fama minime obscura* interdum usurpatum esse. v. Wolfii prolegg. ad Hom. p. LXXVII. Ex his iam intelligi puto, Aeolicae migrationis initium non anno sexagesimo post Ilium eversum seu 1210. a. C. n. sed remotiori tempori, quod, deficientibus historiae testimoniis, definiri nequit, vindicandum, atque cum Strabone statuendum esse, hanc Aeolum coloniam LX. annis post Il. capt. seu 1210. a. C. duce Penthilo Orestis filio in Thraciam i. e. partem Boeotiae venisse. Quae nostra sententia ut magis confirmabitur, ita Larcherii opinio magis infringetur alio Strabonis loco IX. p. 616. A. de Boeotorum e Thessalia in Boeotiam reditu haec narrante: Εἶτ' ἀνέστρεψαν (οἱ Βοιωτοὶ) εἰς τὴν οἰκείαν, ἤδη τοῦ Αἰολικοῦ στόλου παρεσκευασμένου περὶ Αὐλίδα τῆς Βοιωτίας, ὃν ἔστελλον εἰς τὴν Ἀσίαν οἱ τοῦ Ὀρέστου παῖδες. Certissime autem constat, Boeotorum in Boeotiam migrationem incidisse in annum ab Ilio everso sexagesimum, cuius rei testem habemus gravissimum, Thucydidem, qui I, 12. de hac re ita: Βοιωτοί τε γὰρ οἱ νῦν, ἑξηκοστῷ ἔτει μετὰ Ἰλίου ἅλωσιν, ἐξ Ἄρνης ἀναστάντες ὑπὸ Θεσσαλῶν, τὴν νῦν μὲν Βοιωτίαν, πρότερον δὲ Καδμηΐδα γῆν καλουμένην, ᾤκησαν. Strabo igitur cum l. l. libri IX. dicat, Boeotos in Boeotiam descendisse eodem tempore, cum Aeolica colonia in Aulidis portu parata esset ad traiiciendum in Asiam, (quod, ut ex Thucydide cognovimus, ad annum ab Il. ev. sexagesimum pertinet), cumque hoc nostro loco doceat, Aeolicam coloniam duce Penthilo usque in Boeotiam LX. annis post Il. capt. processisse, planum esse arbitror, sanum esse hunc Strabo-

nis locum, et inanem Larcherii coniecturam. Cuius viri error, unde subnatus sit, priusquam aperiamus, tangere nobis liceat proximum illi, qui modo ex libro IX. excitatus est, Strabonis locum p. 617. B. ubi haec: Μετὰ δὲ ταῦτα τὴν Αἰολικὴν ἀποικίαν συνέπραξαν (οἱ Βοιωτοὶ) τοῖς περὶ Πένθιλον, πλείςους ἐξ ἑαυτῶν συμπέμψαντες, ὥςε καὶ Βοιωτικὴν προσαγορευθῆναι. Quae causa, cur tanta Boeotorum multitudo in Aeolicae coloniae communionem veniret, ut ipsa haec colonia de iis Boeotica diceretur? Ex his, quae paulo ante disputata sunt, facile peti potest responsio. Boeoti enim cum eodem tempore, quo Aeoles in Boeotia suam profectionem in Asiam pararent, in Boeotiam redirent, multi eorum, sede nondum fixa, commodum quaerentes domicilium, facili se negotio adduci ad illius coloniae societatem passi videntur. Reliquum est, ut, quem ille refutatus Larcherii error fontem habuerit, videamus. Ortus esse videtur ex male intellectis verbis huius loci ὑπ' αὐτὴν τὴν τῶν Ἡρακλειδῶν εἰς Πελοπ. κάθοδον, quae Xylander perperam reddidit; *quo ipso tempore in Peloponnesum redierunt Herculis posteri.* Errantem igitur ducem secutus putavit Larcherius h. l. agi de eo tempore, ubi Heraclidis reditus in Peloponnesum contigit; quem cum sciret incidisse in LXXX. annum post Il. evers. seu 1190. a. C. non potuit in hoc Strabonis loco non offendi. Sensus autem verborum ὑπ' αὐτὴν — κάθοδον est potius hic: *cum Heraclidae reditum in Peloponnesum pararent.* Hunc vero reditum non primo impetu perfectum, sed saepius tentatum esse, res est omnibus notissima.

II.

Animadversionum ad veteres auctores specimen primum, quo actum oratorium in schola Bergensi habendum indixit *I. Gurlittus* AA. LL. M. Prof. et Dir. 1800.

Tractatur primum locus Genes 1, 26. cuius sensum V. D. vult esse hunc: fingamus hominem nostra corporis forma et robore indutum, qui nostram imaginem in terris referat, quatenus ita in res animatas reliquas dominetur in terris, ut nos in coelis. Caussae huius explicationis sunt hae: Per totam Genesin Deus ille Hebraeorum temporum vetustissimorum more proponitur humana forma instructus, de sanctitate eius non cogitatur. Deinde ut eadem loquendi formula: imagini alicuius similem esse, ad formae externae similitudinem refertur Genes. 5, 3. ita de dominio et potestate hominis hunc locum intellexit Psalmi 8. auctor, qui in hunc Genes. locum quodammodo v. 6. est commentatus.

Genes. 49, 22. Alexandrini V. D. videntur legisse פֹּרֶה ferens, foecundus pro פֹּארָה (ita Onkel.) atque עַיִן usurpari putasse de invidia. Ibidem v. 24. Alex. pro וַתֵּשֶׁב ex V. D. sententia legerunt וַתִּשָּׁבֵר. Sed in edit. Rom. ubi Schol. habet *καὶ διέμεινεν ἐν βάθει τόξευμα αὐτοῦ* corrigend. *ἐν κράτει. αὐτοῦ* rectius. Delendum *βραχιόνων*, nisi forsitan ipsi Alex. *νεῦρα* ex ingenio interpretamenti caussa addiderunt. De Psal-

morum locis nonnullis a Gurlitto statuuntur fere haec:

Psalmum 69. captivum cecinisse videri vatem a Syris e patria abductum, ab iisque patriorum, quae prodere noluisset, sacrorum causa, pessime habitum. Ad Davidem hoc carmen referri non posse, vel propter v. 8. et 36. neque ad Messiam ob huius sortis et poëtae conditionis dissimilitudinem, et versuum 22. 23 — 29. et 36. rationem.

Psalmum 119. a vate aliquo iuveni esse compositum, qui in captivitatem a Syris abductus nullo pacto avocari se pateretur a patria religione, cuius praestantiam sibi inculcando animum confirmaret. conf. v. 22. 23. 25. 28. 29. 36. 39. 42. 43. 46. 50. 51. 53. 56. 67 — 72. 74. 78. 83. 84. 95. 109.

Ps. 121, 6. requiri sensum hunc: et lunae lumen candidum noctu te reficiet, viam tuam lustrabit, aut tale quid, excidisse verbum אֹרֶךְ sive al. q.

Ps. 122, 3. parum apta esse verba, nisi לָּהּ mutetur in לָנוּ; quae tam bene aedificata atque tam ampla est, in gratiam nostrum, ut sit metropolis: praestare tamen legere שֶׁחֻבְּרָה vel שֶׁהֻגְּרָה vel שֶׁחֻבַּרְנוּ, nisi forte אֲנַחְנוּ exciderit ante יַחְדָּו i, e, quae sibi nos una debet coniungere.

Ps. 123, 2. quaerendam esse comparationis vim in summo poëtae desiderio, ut tandem aliquando conviciis hostium eripiatur. Cogitandas esse ancillas male mulcatas, quae cupide exspectarent digitum heri castigandi finem iubentem.

Ps. 131. continere vatis professionem se in Iova solo collocatam habere fiduciam. Quare legendum esse עָלָיו ei, nempe Iovae adhaereo, vel עַל יָהּ.

In Psalmo 139. poëtam profiteri animi sui pietatem, excitanda omniscientia et omnipraesentia Dei, quem sui studii religionis habeat testem. v. 1 — 18. V. 19 — 24. poëtam digredi ad exsecrationem impiorum varii generis. Ceterum hoc carmen non Davidem auctorem habere ex Chald. et Syr. quorumdam verborum formis et significationibus colligi. Disputat deinde V. D. de

Euripid. Phoeniss. 206. ex ed. Valk. 204. ubi pluribus argumentis (omisso tamen primo, quod in senarii sede tert. non locum habet anapaestus) refutat Valkenarii coni. ἔναγχος, vulgatamque tuetur.

Ibid. 244. *V.* 242. cum aliis ἑλίσσειν pro medio accipit, ut sit περιχορεύειν et v. 248. Ἄρης αἷμα δάϊον φλέγει vertit: Mars inflammat sanguinem hostium adversus hanc civitatem, i. e. furorem incendit hostium. Ita non opus esse censet emendat. Valk. χεῖμα.

Ibid. v. 323. in verbis πῶς ἅπαντα καὶ χερσὶ καὶ κόμαισι amplectitur V. D. Musgravii emend. κόραισι; Ita enim, inquit, inest sententia laetantium de amici reditu frequentissima: satiari et adspectus (κόραισι) et amplexus voluptate non possum.

Ibid. v. 334. *Valk.* 326. in verbis ὅθεν ἐμάν τε λευκόχροα et q. s. pro τὲ legendum esse censet γε, quum nova sententia incipiat et praeferendam Marklandi sententiam, qui ad δακρυόεσσαν ἱεῖσα supplet φωνήν. Ceterum in Scholiastae verbis ad v. 349 ed. Valk. ἀνυμέναια καὶ ἀμέτοχα et q. s. καὶ esse delendum quum ἀνυμέναια sit glossa, et reliqua verba glossema constituant.

Ibid. 389. pro τί γάρ ex Gurlitti sententia legendum est τι δ' ἄρ' πατήρ (forsitan errore typographico pro τί δ' ἄρα πατήρ). Offendit enim V. D. hic usus partic. γάρ in interrogatt. adhibitae ubi non caussam indicat

superioris sententiae, (vid. Herm. ad Aristoph. Nubes 192.)

Ibid. 406. retinere iubet V. D. vulgatam lect. συνασοφεῖν cum propterea, quod non satis firma sint argumenta a Valk. proposita, tum ob Scholiastae lectionem et quia poëta h. l. verbum novasse videatur, (quod vix invenies Euripidem alio loco fecisse) ut de populo leniori μὴ σοφοὶ, de iis, qui populo assentiri cogerentur, verbo asperiori uteretur.

Ibid. 490. quod Valk. voluit, reponendum esse statuit φθόνον μολὼν e Cod. Leid. nam in hoc versu causam inesse debere caedis versu seq. commemoratae, neque recte de caede primo dici durius, mox lenius; fortiorem dictionem abhorrere a Polynicis mitiori animo, qui non caedis sed regni potiundi causa venerit.

Ibid. 632. legere iubet V. D. ὢ πολλὰ (i. e. κατὰ πολλὰ) ἄθλια ἐγὼ et paulo post εἰς τί μ' ἱστορεῖς τόδε (quam vocum commutationem Valkenar. iam est suspicatus.)

Ibid. 637. verba ἐῤῥέτω πρόπας δόμος contra Steinbrüchelium tribuit Polynici, qui sit benigniori animo.

Ibid. 643 οὐχ ἑκὼν et q. s. genuina putat et excusat ex Euripidis oratione fusiore ac more eorum, qui ad malorum memoriam saepe recurrant, neque omitti potuisse ait versum, qui causam contineret praecedentis sententiae.

Ibid. 649. exempla addit poëtarum graecor. in nominum propriorum origg. argutandi consuetudinis, quam Quinctilianus falso reprehendat: Aesch. Agam. 690. 708. 1090. Soph. Ai. 430. Eurip. Bacch. 44. 363. Pind. Ol. 6, 91. 9, 71. Isth. 6, 79. Hes. Th. 209. (vix tamen ille mos apud Euripid. peior. trag. longe frequentissimus, raro a reliquis tragicis adhibitus exemplorum multitudine excusatur. Ceterum est magna illorum locorum diversitas.)

Ibid. 667. Miratur V. D. quod Valk. verbo νωτίζειν terga tegendi notionem abneget, quum Hesych. et Suid. ita explicent, idemque verbum apud Eurip. Herc. fur. 362. simpliciter sit tegere; neque desit ratio ex antiqq. hominum ferarum terga induendi consuetudine repetenda.

Ibid. 678. Orationi lyricae aptius putat, si ἐλασίθηρος cum ὠλένας coniungatur, ut brachium Cadmi dicatur enecans feram.

Ibid. 689. reprehendit Grotii versionem. δεῖξαι τινὰ αἰθέρι esse progignere et

Ibid. 731. verba ὡς μαχουμένους τέκνα ad πόλει referenda esse ducit per graecismum pro ὡς μαχουμένοις.

Ibid. 1178. sub βιῷ cum Kingio intelligit arcum, Valkenarii amphibolia non probata. Homericum quiddam, inquit, spirat, arcum non referre ad matrem, quo ipsum instruxerat ad bellum proficiscentem.

Ibid. 1295. Verba οὐ μελλητέον vindicanda esse arbitratur matri, cuius festinationi magis conveniant.

Ibid. 1323. ἰαχὰν μέλεσθαι νεκροῖς esse vult i. q. ιαχ. μέλειν νεκροῖς curae cordique esse mortuis, quae virginum animis suavior sit sententia. Ita occurrere μέλεσθαι Eurip. Hipp. 60. Hel. 1176. Iphig. T. 644.

Ibid. 1427. Non video, ait V. D., quidni iungi possit ταραγμὸν ἀμφιβάντα. ταραγμὸς circumdans certantes bene dicitur. comp. Il. 6, 355.

Ibid. 1460. ὑγρὰν χέρα non esse vult mollem manum, sed manum sanguine foedatam.

III.

Ankündigung einiger Abschieds-Reden und des gewöhnlichen Examens durch *Chr. W. Ahlwardt* d. Oldenburg. Gymn. Prof. und Rector. Voran Bemerkungen über einige Stellen griechischer Dichter, vorzüglich in Rücksicht des Sylbenmaasses. (h. e. Ad audiendas oratt. valedict. et instituendum examen invitat *Chr. W. Ahlwardt* Gymn. Oldenburg. Prof. et Rector, praemissis Obss. in loca quaedam poëtarum graecc. inprimis ratione metri.) Oldenburg. 1801. — 19. S.

Observationes in hoc libello propositae ad quosdam pertinent Aeschyli locos, iamborum vitiis corruptos. In his primus est, Aeschyli Suppl. 183. (ex I. edit. Schütz: 195.)

ὁρῶ κόνιν, ἄναυδον ἄγγελον στρατοῦ.

De quo loco haec est Cl. Ahlwardti sententia. „κόνιν non esse iambum; veram lectionem videri: ὁρῶ κονίαν, ἄναυδον et q. s. α excidisse librariorum negligentia. Κονίαν autem esse anapaestum, ut extra dubitationem positum sit, ita non posse negari apud graecos poëtas quamque syllabam vocali vel diphthongo finitam

cum vocali vel diphthongo sequentis syllabae ita coalescere potuisse, ut pro una haberentur." Ex quibus primum omnium exemplis firmari debebat id, κονίαν esse h. l. anapaestum. Est anapaestus apud Homerum et in lyricis, non item in diverbiis, ut apud Aristoph. Lysistrat. 470.

ἐν τοῖσι ἱματιδίοις καὶ ταῦτ' ἄνευ κονίας.

Deinde V. D. non persuasit, neque facile poterit persuadere ια contrahi posse in unam syllabam, ut κονίας faciat iambum. Exempla enim quae allata sunt e tragicis satis nota, hic certe nihil valent, quoniam nullum in iis est, quo demonstretur litteram ι mutam esse posse ante vocalem, post consonantem, in nomine non proprio, nec metri necessitate cogente. Mirum enim est, Aeschylum nesciisse vitare id, quod ne Euripidi quidem condonetur. Multo minus huc faciunt exempla ex Italorum, Hispanorum et Lusitanorum carminibus repetita, quae verendum est, ne lectionis copiosae ostentationem quandam prae se ferre videantur.

Non magis munita est emendatio versuum

952. ἴσθι, γε αὐτὸς, χ' οἱ ξυνέμποροι σέθεν

et 963. ἴσθι τάδ', ἤδη πόλεμον αἱρήσῃ νέον.

Quos locos non adeo simillimos tribus iisdemque rationibus videmus esse emendatos.

Prima ratio haec est;

ἴσθι γε τάδ' αὐτὸς χ' οἱ ξυνέμποροι σέθεν

ἴσθι γε τάδ' ἤδη πόλεμον αἱρήσει νέον.

Quid autem illud γε hoc loco? Non probata est Viro D. Porsoni emendatio ad Aldi lectionem ἴσως, οὐ αὐτὸς facta ἴσασιν, usque dum hic verbi significatus esset confirmatus exemplis. Quae quamquam in promtu non sunt; intelligitur tamen a ponderando aequandoque libra transferri potuisse ad sententiarum

adaequationem. Probabilior videtur ei altera emendatio.

ἴσας σύ γ' αὐτὸς χ' οἱ ξυνέμποροι σέθεν.

et ἴσας τάδ' ἤδη πόλεμον αἱρήσει νέον

ἴσας rarissime adhibitum censet glossemate ἴσθι esse depulsum. Subintelligendum esse verbum εἶναι, laudato Vigero de idiot. p. 342. recent. edit. ubi dicitur participium cum verbo εἶναι usurpari pro eo verbo, cuius est participium. De qua re quis dubitet? Non autem neque hic neque alter locus docet, omitti interdum illud εἶναι, id quod erat demonstrandum Ahlwardto, ut persuaderet ἴσας esse posse i. q. ἴσθι. Multo minus pertinet huc alter locus p. 336. n. 82. quem V. D. non debebat laudare et iterare vitium. Est locus Platonis Phaedr. p. 228. lin 36. ubi illud δείξας γε πρῶτον nullo pacto est pro δεῖξον, sed pendet ut particip. ἀρξάμενος a praecedente verbo nunc subintelligendo ita, ut δείξας γε πρῶτον sit: si demonstraveris antea (persequi potes singula). Nec nisi eadem explicatione adhibita posteriore Aeschyli loco 963. ἴσας potest ferri, ubi interpunctione post τάδ' sublata, ἴσας potest referri ad αἱρήσει, si haec quidem vera est lectio, quod non curavit Ahlwardtus. Quamquam omnino nolimus negligi in his locis imperativos, qui frequenter sic occurrunt adhibiti. Ceterum V. D. quo suam sententiam confirmaret, laudavit loc. Agamemn. 567. ubi vulgatam lectionem defendit

τί δ' οὐ
στένοντες, οὐ λάχοντες ἤματος μέρος;

quem signo exclamandi post μέρος posito et τί repetito ante οὐ λαχόντες sic vertit: „Wie haben wir nicht die Tage beseufzt! Was haben wir nicht für Tage erlebt!“ i. e. quantopere illis diebus ingemuimus!

quos dies vidimus! Quae sententia ut non satis recte exprimit graeca μέρος ἤματος, ita perquam langui de dicta est posterior enunciatio, quum exspectetur quae gravior sit priore, quod bene senserunt Stanlei. et Pawius, qui emendandum esse censerent λαχόντες. Totius loci sensus est hic. Si sortitus omnia (quae perpessi sumus) quamnam diei partem non lugentes .... Intelligitur autem quicquid pro λαχόντες legatur, pendere id ut ζένοντες a verbo propter animi commotionem omisso, quod cum pronomine relat. referretur ad μόχθους et cet. nomina.

Tertia denique illorum locorum emendatio est haec.

952. ἐπίστασ' αὐτὸς, χ' οἱ et q. s.

963. τάδ' ἐπίστασ' ἤδη — — —

ἴσθι censet esse glossema verbi ἐπίστασο, quod non atticum esse contendant Thom. M. et Moeris, quamquam apud Tragicos occurrat, ut Aesch. Prom. 846. ex edit. Schütz. Sophocl. Oed. R. 848. Ai. 1370. At versus 963. hac ipsa emendatione novum nactus est vitium; in prima sede anapaestum, cuius syllabae praeter necessitatem non sunt omnes eiusdem vocabuli. Quae anapaestorum vitandorum lex ut in Sophocle obtinet, ita maxime tenenda est apud Aeschylum, in quo non nisi unus a Brunkio hoc nomine corruptus hucusque extitit locus, quem emendavit Hermannus, qui de hac re dixit ad Hecub. praef. p. LIII.

Sequitur locus Septem adv. Theb. 462. (in edit. Sch. 490.)

ξὺν βοῇ παρίςαται.

Ἱππομέδοντος σχῆμα καὶ μέγας τύπος.

et 533. Παρθενόπαιος Ἀρκας· — —

Brunkius pronuntiari jubet Ἱππομμέδοντος et Παρθεννοπαῖος. Cui Brunkii sententiae ante litteras liquidas vocalem brevem produci, nihil certi habes

Ahlwardtus quod opponat, nisi numerum talium verborum non nimis debere augeri. Atqui ratio habenda est nominum propriorum, de quibus sermo est et litterae μ et ν. Hac data occasione V. D. emendat v. 702. ubi in antistr. θαλερωτέρῳ Brunkius pronunciandum esse censet θαλλερωτέρῳ, repugnante Hermanno, qui in libr. de metr. p. 255. vers. 702. scripsit οὔ τ' ἂν χερῶν. Cl. Ahlwardtus scripsit ex coniectura ὅταν ἐκ χερῶν. Videndum autem est ne sic illud ἐκ χερῶν, quum relativo destitutum sit, male additum censeatur. Vitium versus 462. in glossemate esse suspicatur, quod in textum irrepserit. Ex Prisciani lectione in libr. de metr. comic. ed. Putsch. p. 1328. Aeschylus in ἑπτ. ἐπὶ Θηβ. ην τομέδοντος σῆμα καὶ μέγας τύπος, scribendum sic iudicat totum locum.

Τέταρτος ἄλλος γείτονας πύλας ἔχων
Ὄγκας Ἀθάνας, ξὺν βοῇ παρίσταται
(Ἦτοι μέδοντος σχῆμα καὶ μέγας τύπος!)

Sensum vult esse hunc: der Vierte — — stürmt mit Geschrei heran; — (wahrlich ein grosser, herrlicher Mann, eine wahre Königsgestalt!) h. e. quartus cum clamore irruit (profecto magnus vir, vere regia species!) De ἤτοι sic adhibito videre iubet Hoogev. de part. edit. Schütz p. 331. VII.

Aliter emendavit hunc locum sic:

ξὺν βοῇ παρίσταται
Λέρνης μέδοντος — —

cf. Phoeniss. 126 — 127. et Schol.

In altero loco Pawii coniecturam amplectitur, non offensus anapaesto in nomine proprio.

ὁ Παρθενοπαῖος Ἀρκάς· ὁ δὲ τοιόσδ' ἀνήρ.

Proponit tamen V. D. etiam hanc

παῖς Παρθενοπαῖος Ἀρκὰς — —

ita Eurip. Suppl. 889.

Cui

Cui coniecturae denique addit emendationem γόνος Ἀταλάντης, ita ut e glossemate orta censeatur vulgata. cf. Phoenn. v. 52. 1113. 1160. ad q. l. Schol.

Alio tempore promittit V. D. se anapaestos in iambis male adhibitos sublaturum emendationibus, quarum unam in fine huius scriptionis attulit. Aesch. Prometh. 265. sic scribendum esse arbitratur:

ἔχει παραινεῖν νουθετεῖν τε τὸν κακῶς
πράσσοντ'. ἐγὼ δὲ ταῦθ' ἅπαντ' ἠπιστάμην.

At indicanda sunt ea, quorum causa videntur esse praemissae istae coniecturae, e quibus quid sperandum sit, quid verendum, intelligatur. Magna promittit Ahlwardtus et inaudita. Scilicet proponere conatur sententiam, quam censet vix vel omnino non posse refutari; „daſs die Brechungen der Verse (scribendum erat, Worte) in den Choeren der Tragiker und in allen lyrischen Gedichten, den Dichtern des Alterthums und ihren Zeitgenossen völlig unbekannt waren; daſs jeder Vers bei den Griechen sich mit einem vollen Worte anfing und endete; und daſs diese Brechungen das Werk der spätern unwissenden Grammatiker und Abschreiber sind" i. e. non ipsos lyricos poëtas ita verba diuisisse, ut partes duobus versibus inessent, immo quemque versum integra vocabula continuisse, et istas fractiones eorum imperitis librariis esse tribuendas. Qua sententia non minus vera, ut opinatur, quam nova, proxime proponenda fore sperat, ut tota concidat ars metrica lyricorum carm. Graec. quae hucusque fuit. E qua velut novum aedificium esse proditurum tanquam e ruinis, diuturno illud fundatum et diligenti Tragicorum et Pindari studio. Ceterum strophas et antistrophas reperisse gestit, quae nemini VV. DD. in mentem adhuc

venerint — ut Soph. Oedip. R. 167 — 215. cuius strophas Hermannus iam ante tres annos in praelectionibus disposuit. Atque omnino verendum est, ne, nisi quam primum in lucem edantur, nouitas detrahatur distributionibus versuum et emendationibus a V. D. instituendis. Versuum autem Sophoclis dispositio ita est facta, ut stropha β incipiat a v. 167. ὢ πόποι; antistr. β 179. ὧν πόλις; stroph. γ. 190. Ἄρεα; antistr. γ Λύκει᾽ ἄναξ. Aeschyl. Septem adv. Theb. 78—150. plures contineri dicit strophas et antistr. ut v. 137. ὄτοβον, cui respondet antistr. 144. ἀκροβόλων.

IV.

1) *Io. Gottl. Graessii* AA. LL. Mag. et Lycei Vitebergensis Conrectoris (nunc Collegae III. Schol. elect. Grimmanae) disputatio historica: rudimenta studii historiae orbis catholicae in Iustino utiliter ponenda, quam amplissimi Philosophorum ordinis auctoritate d. XVIII. Calendd. Febr. cIↄIↄccc. auctor publice defendit, Viteb. 4. pp. XXXVIII.

2) Eiusdem dissertatio philosophico — philologica: praecepta artis paedagogicae ex Terentio petita, quam ampliss. Philoss. ord. auctoritate pro loco inter adiunctos ordinis Philosophh. rite obtinendo d. XXII. Ianuar. cIↄIↄccc. publice defendit, Viteb. 4. pp. XIX.

I. Utraque Viri Amplissimi commentatio, ut aliis omnibus litteraturae Romanae fautoribus argumenti gravitate rerumque copia facile se commendabit, ita maxime in usum eorum conscripta esse videtur, qui vel scholarum magistri, vel domestici puerorum doctores, sint constituti. Et priori quidem iis consulitur, qui rudimenta historiae orbis catholicae tradituri sint

adolescentulis, litteris humanioribus operam daturis. Quum enim hac in re de eo maxime quaeratur, quemnam scriptorum veterum hoc consilio cum pueris legi oporteat; latini vero scriptoris lectio ideo graecorum scriptorum, qui de rebus per universum terrarum orbem gestis scripserint (Herodoti et Diodori Siculi) lectioni praeferenda esse videatur, quod semel obtinuerit apud nos ea consuetudo, ut latina lingua magis tractetur, quam graeca: praecipue existimat, Iustinum esse commendandum. Quam ad rem recte probandam hac via incedit, ut prima libelli parte (usque ad p. XXIV.) de Iustini aetate, vita, et scriptis, de utilitate studii historiae orbis catholicae bene instituti, atque de commodis, quae ex Iustini lectione ad studium historiae orbis catholicae redundent, exponat; altera vero (a p. XXVII. usque ad finem) regulas suppeditet in Iustino legendo et explicando ita observandas, ut commoda ista percipere liceat. — Quod ad vitam, aetatemque Iustini attinet, eum a Iustino Theologo, qui sub Antonino Pio Romae vitam egit, nobili scriptis ecclesiasticis contra Iudaeos atque Gentiles edendis, diversum fuisse inde comprobat, quod partim in eius opere historico occurrant, quae cum sacris bibliorum historiis conciliari nequeant, partim Eusebius, Hieronymus, Suidas, ac Photius, ubi commemoraverint istius Iustini Theologi (Martyris dicti) scripta, ne verbulo quidem huius epitomes mentionem iniecerint. Ipsam vero Iustini nostri aetatem (de qua etiamnum Viri docti disceptant, quamquam omnes in eo consentiunt, non vixisse illum ante Antoninum Pium) neque ex opere illius, neque ex aliis rebus accuratius definiri posse ostendit. Addit pauca quaedam de Trogi Pompeii aetate, atque historiis 44 voluminibus conscriptis et a nostro in compendium redactis. Iamque ut rectius intelligatur, quaenam praestet

Iustini lectio commoda historiam orbis catholicam recte tractaturo, praemittuntur quaedam de fine primario et utilitatibus huius studii, quae partim ad honestam de Deo et providentia divina opinionem animo confirmandam, partim ad studia aliarum disciplinarum maiori utilitate et suavitate tractanda, partim mores formandos pertineant. At quum scriptoris historiam huic consilio accommodate tradituri maxime sit, narrando res gestas sententiam quandam moralem vel politicam persequi, omninoque cavere ne lector dubius suspensusque reddatur et a legendo deterreatur, virtutes, quibus commentarios historicos ornatos esse oporteat, persequitur. His praemissis ostendit, quidnam Iustini lectio ad historiae universalis studium recte et utiliter tractandum conferat. Videtur enim ex sententia Auctoris doct. iis, qui omnem sint historiam universalem inde a mundi initio usque ad nostram aetatem pertractaturi, ad hocce difficillimum opus suscipiendum bene praeparandis egregie inservire lectio Iustini, quippe qui 1) omnium populorum, quos cognitos habuerint Graeci et Romani res gestas usque ad aetatem suam enarraverit (quibusdam tantum singularibus historiis omissis): 2) plerumque vera doceat, (non enim negat, interdum accidisse Iustino, quod omnibus historiam antiquissimorum temporum enarrantibus acciderit necesse esset, ut fabulas narraret, attamen in universum fidem ei vult haberi, cum nullum partium studium in eo sit conspicuum, et in narratione rerum earum, de quibus etiam alii scriptores exposuerant, cum iis consentiat) 3) in omni re commodis historiae universae serviat (sc. causas rerum commemorando, omninoque res gestas ita narrando, ut prudentiae morumque praecepta inde petere liceat) 4) quicquid tractat, sic tractat, ut id non

magis lectorem delectet, quam integrum et absolutum esse videatur, cui vix aliquid desit (dum res gestas lectoribus quasi ante oculos ponat, etsi tempus non semper accurate definiat, breves gravesque sententias admisceat, hominum vitam moresque egregie depingat, narratione expedita et perspicua utatur). — Leges autem, quas iis commendat, qui in scholis rudimenta studii historiae universalis in Iustino legendo ponere cupiant, hae sunt: 1) lege auctorem ex ea, quae propria ipsi est, rerum gestarum descriptione. Quum Iustinus hanc viam fuerit in tradendis rebus gestis ingressus, ut inprimis historiam quatuor regnorum (regni Assyriorum Medorumque, Persarum, Graecorum, Macedonum) fusius exponeret, et tanquam episodia res gestas aliarum gentium adiungeret, necesse est, interpres Iustini diligenter observet, ubi historiae gentium, quarum res gestas praecipue enarrare voluit, et initium et finis sit, et discipulis ordinem seriemque historiarum perspicuam reddat. 2) lege scriptorem adhibitis tabulis, quas dicunt chronologicas (quanquam enim res eodem tempore gestas successione quadam ponit et coniungit, tamen nunquam accuratius tempus definiit), 3) semper animadvertas, ut auctor ab una historia ad alteram transierit, et qui sit verus nexus (interdum historiae male cohaerent, ita ut quaedam deesse videantur. Comparandus igitur Iustinus cum Trogi reliquiis, et narrationibus aliorum scriptorum, qui de iisdem rebus exposuerunt, unde pateat, utrum omiserit quaedam, an tantum quaedam dicendi formulae sint ad restituendam narrationis seriem subintelligendae). 4) semper regionum, quarum imperii historiam lecturus es, descriptionem topographicam tibi ante oculos obversantem habeas. (Rarissime enim topogra-

phiam diligentius curavit). 5) ne quid ad iuvenum animos oblectandos instituere intermittas, aut legendo aut interpretando eius epitomen, stataria, quae vocatur, lectio, cum cursoria ita coniungenda, ut aeque rerum et sententiarum ac linguae rationem habeamus.

Quanquam Auctor Doctiss. sic nihil fere omisisse videtur, quod ad lectionem Iustini eo, quo nunc scriptorem legi vult, consilio recte instituendam pertineat, debebant tamen ex nostra qualicunque sententia in praefatione libelli de eo quaedam moneri, cur omnino rudimenta studii historiae universalis in vetere quodam scriptore potius, quam in recentiori, ponenda putaverit. Alia forsan brevius contrahi poterant. Huc pertinent, quae p. 10—15. de commodis studii historiae universalis disputat; uberior commemoratio gentium, quarum res gestas scriptor explicuerit, (p. 19. 20.); et quae p. 35—38. de ratione praecipit, qua scriptores ita sint explicandi, ut discipuli et recte intelligant, et cum voluptate legant. Haec enim partim non ad rem ipsam proxime pertinere, partim notissima esse videbantur. Denique in ordine rerum traditarum subinde haesimus. Sic ea, quae de studii historiae universalis utilitate et virtutibus, quibus commentarios historicos ornatos esse oporteat, in universum disseruntur, ipsa rei natura ita suadente, nostro iudicio rectius praemitti poterant iis, quae de Iustini vita et Trogi epitome breviter monuit. Quam primo loco posuit regulam in Iustino legendo observandam, ea sic expressa legitur, ut tres sequentes non diversa contineant, sed prima comprehendantur, et inde possint derivari. Tertia vero arctissime est cum iis coniuncta, quae de prima disputavit, ideoque vix ab ea seiungi debebat. Caeterum eodem fere tempore Cel. *Heerenius*, in consessu Soc. reg. Gött. recitavit Comm. priorem *de fonti-*

bus et auctoritate Iustini, Trogi epitomatoris, cuius olim in Commentationibus Soc. Gött. edendae summa exhibetur in Ephemm. Gött. a. 1800. part. 40. p. 393. ss.

II. Praecepta artis paedagogicae ex Terentii fabulis (inprimis Andria, Heavtontimorumeno, et Adelphis) ita eruere studuit, ut partim singulas sententias, quibus praecipiantur, quae ad liberos recte formandos instituendosque pertineant, colligeret, partim nos ad exempla iuvenum, quos in Terentii fabulis ita loquentes audimus, agentesque conspicimus, ut mores eorum, rationemque, qua educati fuerint, cognoscere liceat, ablegaret, intellecturos inde, quamnam vim habeat bona et mala educatio. Ac primum quidem commendat dictum, quod exstat in Adelphis I, 1, 47. ubi patrum esse dicitur, *potius consuefacere filium sua sponte recte facere, quam alieno metu, ut praesens absensque idem sit.* Id rectius putat artis paedagogicae principium constitui, quam alia a recentioribus quibusdam scriptoribus (qui p. 5. 6. breviter refutantur) commendata, cum, qui hanc legem in liberis educandis ante oculos habeant, ii liberos ubique secundum suam recti conscientiam agere, neque honestum alia de causa, quam, quod honestum sit, eligere doceant; neque difficilis esse possit huius legis observatio iis, qui studium doctrinae morum cum Psychologiae cognitione coniungant. Sequuntur regulae huic consilio accommodatae ex Terentio petitae. 1) *pudore et liberalitate liberos retineas tuos*, Adelph. I, 1. 32. coll. vs. 40. i. e. suadendo magis et adhortando tractes filium, quam cogendo et castigando, ita ut ille te vere amet ac veneretur (commendat rationem qua Micio Aeschinum tractaverit, reprehenditque contrariam methodum in Ctesiphonte educando a Demea adhibitum).

2) *vere vivas cum liberis*, tibique ii item faciant sedulo face (Heautontimor. I, 1. 102.) i. e. ita vivas c. liberis, ut illi confidentiam in te ponere possint, (*vere vivere* explicat verbis, quae in Andria IV, 4. 55. occurrunt: omnia ex animi sententia facere) 3) *noli coram liberis tuis aliter quidquam fieri, quam eos agere velis, neque unquam sis vitiis deditus, quae tuis vitanda existimas.* Exemplum huius malae consuetudinis exstat Heautontim. II, 1, 8. III, 2, 7. Ostendit vim noxiam illius, commendatque simul agendi rationem parentum, qui non ob unum peccatum filios odio prosequantur, sed lenius tractent, coll. Adelphh. IV, 7, 20. Heaut. V, 1. 52. Andr. V, 2. 32. (quod tamen potius ad n. 2. pertinere videtur). Neque tamen negat, utile esse, interdum liberis, si ita iam sint confirmati, ut ne ipsi in consuetudinem peccandi incidant, occasionem praebere, mores improborum cognoscendi, et ex aliis sibi exemplum petendi, quod adeo in Terentio commendetur, Adelphh. III, 3, 61. Eun. V, 4. 4) *ut quisque suum filium vult esse, ita est*, Adelphh. III, 3, 45. coll. I, 1. 51. — Quanquam haec omnia sunt notissima, ideoque subinde ab Auctore Ampliss. iusto copiosius pertractata esse videntur, bene tamen viam nobis monstravit, qua incedendum sit iis, qui Terentii fabulas ita sint lecturi, ut inde rationem et praecepta artis paedagogicae veterum cognoscant; neque omnino inutile futurum esse putamus hanc rem uberius persequi, simili consilio cum aliorum scriptorum, tum Plauti lectionem diligentius instituendo.

Quod ad sermonem attinet, structurae ratio verborumque collocatio in utroque libello nonnullis locis obscurior visa est.

V.

Ern. Godofr. Lilie commentationes de Stoicorum philosophia morali ad Ciceronis libros de officiis. Commentatio prima. Altonae, 1800. 8. pp. 60. ap. Hammerich.

Consilium harum commentationum ab Auctore Amplissimo (Subrectore Gymnasii Altonani) in praefatione p. I—XIV. uberius indicatum spectat eo, ut sibi viam muniat ad novam Ciceronis librorum de finibus bonorum et malorum editionem parandam. Quos libros cum ea sit interpretatione illustraturus, quae non modo verba explicet, sed etiam sententias examinet et cum decretis aliorum Philosophorum comparet, Stoicorum ethicen intellexit multum facere ad locum de finibus bonorum malorumque recte illustrandum, ideoque libros de officiis argumenti ratione cum illis quodammodo cohaerere. Hinc consilium cepit commentationes illas (quarum prima aditum ad libros de officiis parat), ita proponendi, ut, quid viri docti de hoc omni conatu iudicent, cognoscat, interpretationi librorum de officiis additurus quaedam ab interpretibus vel plane omissa, vel non satis diligenter pertractata; alia, quae nunc ob librorum penuriam omittere debuit, in Volumine secundo illius edit. prolaturus,

Quinque sunt huius primae commentationis sectiones, *Prima* quaestioni, unde factum fuerit, ut Cicero

in libris de officiis saepe non tam de moribus praeciperet, quam de republica bene administranda disputaret, Auctor Doct. ita breviter respondet, ut partim (quod iam b. Garvius monuerat) vitae rationem, quam noster fuerit secutus, et locum illustrem, quem in republica tenuerit, partim ipsam Stoicorum de officiis sententiam, omnem Ciceronis de officiis disputandi rationem ita quasi conformasse moneat (qua de re, ubi officii notio accuratius fuerit explorata, plura disputaturus est). Illam enim priorem causam non omnino ad hanc rem explicandam sufficere, inde intelligi putat, quod alio loco, in quaestionibus Tusculanis, de fortitudine et temperantia disputans nihil omnino praecipiat de republica administranda. Adduntur quaedam de usu librorum Ciceronis ad ethicen Stoicorum recte cognoscendam. — *Altera* illustratur paucis Stoicorum de honesto sententia. Non ipsam virtutem, sed vim eam homini natura concessam esse existimabant, ut possit ad rerum sapientiam virtutemque divinam pervenire; atque (ex Ciceronis ipsius sententia) in eo cum Academicis et Peripateticis consentiebant, quod summum hominis bonum collocarent in honesto (i. e. quod detracta omni utilitate per se ipsum sit laude dignum), quod honestum, quamvis honestissimam voluptatem pararet, Stoici tamen negarunt huius voluptatis causa esse expetendum. Eodem modo omnes illi quadripertitam virtutis indolem in homine latere concesserunt. Reprehenditur Cicero, quod officii universi definitionem l. 1. de officiis c. 2. promissam non exhibuerit. — *Tertia* de eo exponit, quaenam ratio Physiologiam Stoicorum inter et ethicen intercesserit. Traditur enim in Physica (teste Cicerone de Finibus l. 3. c. 22. disputt. Tuscull. l. 5. c. 24. 25.) norma, qua in iudicio de bonis et malis sit utendum. Quum in physiologia Stoicorum

res in nostra potestate positae, vel bonae vel malae, (voluntariae) ab iis quae arbitrio divino pareant, (necessitatis et fortunae vocabulis insignitis) distinguantur, legem quoque divinam, e qua omnia praecepta petebant, (quam non tam ut a Deo imperatam quam ut in universo mundo ita dominantem, ut ipsi Deo cum hominibus sit communis, et in animis eorum quasi scripta, sequebantur, nec virtutis praemia, nec improbitatis poenas exspectantes) sic partiebantur (Epicteto teste apud Arr. p. 259.) ut prior pars ad ea quae bonorum et malorum, altera ad ea, quae rerum in nostro arbitrio non positarum causa observanda essent, pertineret. De hoc duplici officiorum genere ut recte iudicetur, subtilius examinat Auctor illam Stoicorum de bono sententiam, qua ea tantum inter bona referuntur, quae sint in potestate nostra posita, et ex rationis lege omnibus numeris absoluta (quo loco Kantius taxatur, qui Stoicos boni notionem non ex ipsa ratione, a priori, duxisse putaverit); eundemque cum alia boni definitione (de Finn. II, 2.) qua bonum dicitur, quod sit natura expetendum, sic conciliat, ut ostendat, eos tantum ex Stoicorum sententia naturae consentire, qui id constanter sequantur, quod optimum esse et praestantissimum in universa natura, adulta eorum ratio intellexerit; neque naturae desideriis satisfaciant, ubi rationis legi adversentur. Ne quis ex sententiis Stoicc. de bono concludat, iussisse hos Philosophos omnino omnia negligi, quae ad vitam commode degendam pertineant, bene monet, Stoicos omnino officium sapientis (qui iam ad ipsam virtutem pervenerit) putasse, de discriminibus rerum iucundarum et iniucundarum recte iudicare, atque iis, qui ad virtutem progrediantur, permisisse, ut rebus illis externis ad maiora et praestantiora quasi praeparentur. — *Quarta*, quid sub ma-

lis intellexerint Stoici (de quorum causis et remediis altera pars ethices illorum exponit), demonstrat. In malis habebant omnia, quae etsi libere fiant, tamen non ad rationis iussum peragantur. Retulerunt igitur ad mala partim opiniones temere conceptas de bonis et malis (videbant enim, vel ipsum assensum rei iucundae vel molestae temere concessum esse in peccandi illecebris, ideoque praeter appetitum et adfectus etiam assensum libertatis arbitrio subiiciebant (Arrian. 3, 12.) partim animi perturbationes (adfectus et cupiditates) ex hoc errore ortas. Addit h. l. obiter, cavendum esse, ne quis ex loco de Finn. 3, 9. (ubi Cicero adfectus, qui ex opinione vel boni vel mali praesentis oriuntur, laetitiam atque aegritudinem, vocabulis voluptatis et doloris insignit) concludat, improbasse Stoicos non solum eos, qui temere voluptatem et dolorem foveant, sed etiam ipsum, quem natura ferat, voluptatis atque doloris sensum. — Quum denique Stoici praeter bona et mala etiam genus quoddam alienorum, s. mediorum constituant, quae ad vitam gerendam videantur necessaria, et quibus ita sit utendum, ut virtutis sint materia, de iis sectione *quinta* quaedam monentur. Pertinebant ex Stoicorum sententia ad media illa ipsa ad virtutem progressio, male omissa a Cicerone de Finn. 3, 16., tum quae in corpore, animo, et rebus externis cura nostra digna sunt; quae quidem omnia, ut et ipsa, quae ad res illas pertinent, officia communia, gradibus differre putabant. Actionibus, quae harum rerum mediarum causa suscipiantur, eatenus officii nomen concedendum putabant, quatenus rationis iussu susciperentur. De offic. I, 3. de finn. 3, 17. 18. (Eruitur inde haec universi officii definitio, ut sit officium id quod rationis iussu suscipitur.) Discrimen vero, quod media inter et recte facta, (quae interdum *perfecta* vocantur,

et media *inchoata*) intercedit, minime in eo cerni ostendit, quod in officiis mediis actio sola, et quae eam sequantur, non actionis principium spectetur. Sub finem adduntur quaedam de ratione, a Cicerone non diserte indicata, qua fortitudo et temperantia cum principiis, quae in appetitione cognitionis, et communitate ponuntur (Acadd. 2, 8. de Finn. 3, 19. 20. de off. 1, 16.) sit coniuncta. Laudis studium et pudor in societate excitatur.

Ceterum omnis indoles libelli (qui sane permulta bene et utiliter observata continet) ita est comparata, ut non tam tironibus, quam iis, qui iam aliquam Philosophiae Stoicae notitiam sibi comparaverint, et cum Cicerone familiaritatem quandam contraxerint, prodesse videatur. Multa sunt ab Auctore brevissime dicta, alia, quae huc pertinent, plane omissa, alio tempore uberius pertractanda. Accedit, quod interdum nexus et consilium singularum observationum minus accurate perspicitur; neque sententiae omnes satis clare expressae videntur.

VI.

Scripserat ante hos XXXIX. annos *Theoph. Christoph. Harlesius*, V. Ill. libellum, de *nominibus Graecorum*, qui Ienae anno insecuto, certe eius anni nota insignitus (1763.) prodiit, quo, postquam docuit, unum Graecis fuisse nomen, a quonam illud, quo die, quibus caerimoniis acceperint, enarravit, inprimisque de publica nominum professione et simul de populi divisione exposuit, ita, ut relinqueret, in quo alii posthac industriam suam atque doctrinam probarent. Instituit hoc nuper tribus libellis, Gerae 1799—1801. quaternis editis, qui *de nominibus Graecorum* inscribuntur, *Frider. Guilielmus Sturzius*, Ill. Ruthenei Professor, cui, quum primum susciperet eum laborem, non modo defuit Harles. libellus, iam rarior factus, sed etiam (una cum *Hauptmanni* et *Iüngeri* commentatt. de eodem argumento) ignotus ei fuit, quum (Progr. I. p. 3. s.) eos, qui de nominibus vett. omnino et Graecorum singulatim scripserunt, enumeraret; sed in seqq. libellis et laudauit illos viros et in suam rem adhibuit.

Primi libelli (15. pp. in 4.) summa huc redit: Graeci fere omnes uno usi sunt nomine nec gentilitia habuerunt nomina. Itaque aliis opus erat notis, quibus et in vita communi et in scriptis cognomines viri distinguerentur. De his primum disputatur. Vsitatissima fuit haec ratio, ut nomini filii patris nomen adiiceretur (Xenoph. Oec. VII, 3.) Qua in re duplici modo usi reperiuntur. 1. Nomen patris in patronymica ponebatur forma (Πηλείδης Ἀχιλλεὺς), inprimis apud

poëtas, qui patronymica etiam a matris nomine deriuarunt (Μολίονε s. Μολιονίδαι Hom. et Apollod. qui iidem etiam Ἀκτορίωνε appellantur.) Patronymicum nomen interdum sine proprio, interdum cum eo coniunctum ponitur. Sic Χείρων Φιλλυρίδας (Pind. Pyth. 3, 1.) Ouidio (Met. II, 676. de arte am. I, 11,) est Philyreïus heros s. Phillyrides. Non semper filius per formam patronym. indicatur, sed interdum nepos, pronepos, abnepos, adnepos, trinepos. Sic Atlantiades dicitur Mercurius, Atlantis ex Maia filius, Hippotades Aeolus. Aeacides non modo Peleus Aeaco patre genitus, sed etiam Achilles Pelei filius, et Pyrrhus (Cic. de diu. 2, 56.) genus ab Aeaco ducens appellatur. (Addi possunt Κεκροπίδης, Ερεχθείδης de Atheniensi). Hinc Perseus (Ouid. Met. V, 1. 329.) Danaeïus heros non modo propter Danaen matrem sed etiam a tritauo Danao dici potuit. Idem in melioribus libris Ouid. Met. IV, 771. Agenorides, in aliis Abantiades dicitur, quia ad Agenorem Danai socerum vel ad Abantem genus refertur. Auctor hac occasione laudat Prisciani locum de patronymm. de octo part. orat. II, p. 55. ss. ed. Basil. 1554. (p. 583. s. ed. Putsch.) Vbi Prisc. *Hirradion* Pittacum dicit *Hirrae filium*, obseruat Cl. *St.* apud Diog. Laert. 1, 74. Pittacum dici Ὑρραδίου scil. υἱόν. Lectio *Menoetius Menoetiades* (pro *Menecias Meneciades*, ut ed. Bas.) iam est in Putsch. Sed perperam hic quoque legitur Corinetes Corinetides, quod in Corynetes Corynetides (Κορυνήτης Plut. Thes. c. 8.) mutandum docet. Anchisiades est Hom. Il. ρ, 754. Femininorum patronymm. in *is*, *as* et *ne* desinentium exempla sunt Καδμηΐς, Αητωϊὰς (Callim. in Dian. 83.), Ἀκρισιώνη. Ἀδραςίνη est Hom. Il. V, 412. Ὠκεανίνη Hesiod. theog. 389. Improbantur doctissimo auctori, quae Priscian. p. 53. (p. 581. s.) scripsit:

scripsit: *Patronymicum est — minores* (h. e. posteros) *Thesei — imitari.* Non recte videtur Prisc. patronymica Graecorum cum gentilitiis Romanorum comparare, etsi Plutarch. vit. Mar. c. 1. similiter statuit, et Pausanias (7, 17, p. 565.) non dissentire videtur. Sed idem Pausan. 7, 7. p. 540. distinguit hac in re Graecos et Romanos, et Plutarchus atque etiam Dion. Halic. (3. p. 185. extr. Sylb.) comparationem talem instituerunt, ut morem Romanorum Graecis suis clariorem redderent. Nam propria nomina, quae patronymicorum habent formam, huc referri nullo modo possunt.

2. (p. [illegible]) filii nepotisve nomini nomen patris avive in Genit. adpositum est, interdum additis vocabb. υἱὸς, παῖς (Xen. Cyrop. 1, 5, 2.), ἀπόγονος (id. Hist. Gr. 7, 1, 21.) θυγάτηρ et simil., nonnunquam intercedente partic. ὤν (Xen. Ages. 1, 5.), interdum matris, interdum utriusque parentis nominibus adiectis (Apollod. Bibl. I, 9, 1.) Nonnumquam ipsum filii nomen omissum et patris (Xen. Apol. Socr. §. 30.) aut matris (id. Hist. Gr. 4, 1, 18. 19.) nomen cum voc. υἱὸς positum. Inprimis filii nomini ita articulus praepositivus iungitur, ut nomen parentis in genit. apponatur, omisso voc. υἱὸς, θυγάτηρ etc. quod ad articulum pertineat (Xen. Apol. Socr. §. 2. Cyneg. 1, 9.) Vnde interdum obscuritas orationis potuit enasci, ut Paus. 4, 33. p. 362. τῆς Δημητρὸς pro τῆς θυγατρὸς Δημ. Vtriusque etiam parentis nomine posito ita articulus adhibetur (Plat. Alcib. pr. T. II. opp. p. 131. E. Steph.) Omittitur etiam articulus (Diog. Laërt. 3, 1.). Sed articulus ille etiam tum usurpatur, cum unus e posteris indicatur, ut Ἀριςόδημος ὁ Ἡρακλέους Xenoph. Ages. 8, 7. est Herculis abnepos. Cum Romani vett. semper Genitiuum Graecorum in hoc loquendi genere mutauerint in casum rectum (Salmas. ad inscr. Regillae p. 137. T. II. Crenii

Mus. phil.): apparet, ap. Suet. Iul. Caes. 4. retinendam esse lectionem *Apollonio Moloni*, neque scribendum *Ap. Molonis*. Aliis quoque Latinis vocatur Apollonius Molon. Sic obseruatur etiam Gell. N. A. V, 14. VI, 8. Appionem appellari Plistonicem (non ut vulg. Polyhistorem), quamuis fuerit Plistonicis filius. In Hygin. tamen fab. 81. Aiax Oileus non est Οἰλεὺς sed Οἴλειος. Interdum etiam ad articulum supplendum est πατήρ. Vt Herodot. VIII, 17. Κλεινίας ὁ Ἀλκιβιάδεω est Alcibiadis pater. Apud eundem I, 45. Ἄδρηςος ὁ Γορδιέω τοῦ Μίδεω est nepos Gordii, qui fuit Midae pater. Sed c. 35. in verbb. Γορδίεω τοῦ Μίδεω παῖς, vo[illegible] παῖς accipiendum de nepote. Etiam Act. VII, 16. Ἐμμὸρ τοῦ Συχὲμ est Sychemi pater. Interdum nomen μήτηρ omittitur, ut Ὀλυμπιὰς ἡ Ἀλεξάνδρου Ael. V. H. XIII, 30. add. Arist. Thesm. 848. Marc. XVI, 1. Posset huc et referri Coluth. de raptu Hel. 26. si locus esset sanus. Rarius subintell. γυνὴ, ut Aristoph. Lys. 63. Matth. I, 6. Ioh. XIX, 25. Saepe omittitur ἀδελφὸς, in Lys. Orat. in Diogit. p. 907. Reisk. Ἄλεξις ὁ Ἀριςοδίκου: nonnumquam μαθητὴς, ut Ἀριςοτέλης ὁ Πλάτωνος Plut. de mus. p. 2086. Steph. Alia etiam exempla Ionsius in lib. de scr. h. philos. 1, 2, 5. 3, 8, 2. n. 17. et Sturzius (ex Athen. XI. p. 501. XV. p. 680. Simplic. ad Arist. categ. fol. 1. a.) laudarunt. In verbis Πτολεμαῖος ὁ τοῦ Ἡφαιςίωνος Ionsius supplet: διδάσκαλος. Nonnumquam supplendum δοῦλος s. ἀκόλουθος: Plat. Phaed. 3. p. 244. Fisch. add. Donat. ad Ter. Andr. 2, 2, 20. Munker. ad Hygin. fab. 81. p. 133. Rarius est, quod φίλος omittitur, ut in Eusebio Pamphili. Forsitan οἱ Χλόης 1. Cor. I, 11. huc pertinent (nisi οἰκεῖοι intell.)

In comm. secunda monetur ab initio, parentum nomina adiecta quoque esse, honoris cuiusdam conciliandi causa, v. Hom. Il. κ, 68. s. Ael. Var. Hist. VI, 2.

Plat. Conv. sept. Sap. Vol. VIII. p. 7. (ed. Hutten. ubi tamen, ut et in Plut. de Pyth. Orac. c. 14. Vol. IX. p. 270. censet St. lectionem Κλεοβουλίνην praeferendam esse).

Altera ratio hominum cognominum discernendorum fuit haec, ut nominibus patriae nomen adderetur. Xen. Anab. 1, 2, 3. etc. Ex cuius scriptoris pluribus locis docetur, nunc nationis, nunc regionis, nunc urbis nomen, siue addito siue omisso articulo, apponi. Interdum utrumque coniungitur, ut Ἀριςώνυμος Μεθυδριεὺς Ἀρκὰς Xen. Anab. 4, 1, 19. Atheniensium nominibus addi nomen pagi, unde oriundi sunt, notum est, et multis exemplis e Platone confirmatur. Tribus quoque nomen interdum adiicitur. v. Xen. Hist. Gr. 2, 4, 18. Interdum unus homo duplici s. triplici gentis s. regionis, in qua natus versatusve fuerit, nomine insignitur, ut Apollonius ille Rhodius, Alexandrinus, Naucratites, Aegyptius, dicitur; Dionysius Thrax (h. e. patre Threïcio natus), Alexandrinus, Rhodius; Posidonius Apameae natus, etiam Rhodius est appellatus; Herodotus Halicarnasseus et Thurius; Dionysodorus ap. Plat. in Euthyd. nunc Chius, nunc Thurius. Scilicet multis sunt duae patriae, una naturae, altera civitatis (Cic. de Legg. 2, 2.), ut Aristarchus natione Samothrax, habitavit Alexandriae; Clemens Athenis natus Alexandrinae ecclesiae presbyter. Nonnullis nomen fecit urbs s. regio vicina: ut Diogenes Stoicus, Seleuciae natus, dictus est Babylonius; Pausanias Caesareae natus apud Galenum Syrus, apud Constant. Porphyrog. Damascenus appellatur (Fabric. B. Gr. ed. Harles. T. V. p. 307.) Nonnulli etiam nobiliorem patriam mentiebantur. (Nic. Damasc. in Exc. Valesianis p. 422.) Sic Apion se Alexandrinum dixit (Ioseph. c. Apion. 2. p. 1363. ed. Hudson.), Theodorus Gadareus maluit Rhodius nominari; Porphyrius ab aliis Bataneotes, ab aliis Tyrius appella-

tur. Quorundam propria nomina cesserunt adeo gentilibus, ut Stobaeus pro Iohanne Stobaeo.

Nomina propria interdum patronymicorum habuerunt formam (Priscian. l. 2. p. 54.), ut Agathárchides etc. Ἡρώδης (quod pro Ἡρωΐδης) ab ἥρως ductum, Καλλιάδης, Στρεψιάδης, tum ad modum Ionicorum patronn. formata, Μελανίων, Ὠρίων, alia ex formis Boeoticis s. Doricis, Pelopidas, Epaminondas, Philondas; etiam feminina, Bacchis, Pythias, Τρωϊάς, quae tamen posteriora referri quoque possunt ad ea, quibus gentilium nominum est forma. Nonnumquam nomina formae patronym. commutantur cum formae primitiuae nominibus, ut Agnon etiam Agnonides, Democles Demoelides, dicitur. Φίλιππος (in Xen. Symp.) ap. Athen. I. p. 20. A. Φιλιππίδης, Παλαίμων (Apollod. I, 9, 16.) ap. Apoll. Rhod. 1, 202. Παλαιμόνιος. Sic Καλλίας et Καλλιάδης, Φαίδων et Φαιδώνδης promiscue dicuntur. Dores Ἡρώνδαν vocant Herodem Iambographum, perperam cum Herode Attico confusum. Ruhnken. Hist. crit. Orr. gr. in Reisk. Orr. grr. T. VIII. p. 172. Alia nomina propria gentilium habent formam, Ἀργεῖος (Xen. Hist. gr. 7, 4, 15.) Βοιώτιος (ib. 1, 4, 1.); Λίβυς (ib. 2, 4, 19.), Ἑλλάς (Xen. Anab. 7, 8, 4.). Accidit interdum, ut idem esset proprium et gentile nomen (Xen. Anab. 5, 3, 1.). In his, quae forma gentilia sunt, quando propriorum loco ponuntur, interdum accentus ex ultima syllaba in penultimam retrahitur: Ἑλλάνικος (ex Ἑλληνικὸς) Ἀθήναιος, Φαίστος (cum Φαιστὸς fuerit Cretae oppidum (Eustath. ad Hom. Il. ε, p. 520.). Ita et alius generis nomina discernuntur accentu: Διογένης et διογενής, Εὐμάθης et εὐμαθής, Φαῖδρος et φαιδρὸς etc. Quamquam haec lex a Grammaticis non semper est observata. Nam Εὐμενὴς, Πυῤῥὸς (non Εὐμένης etc.) scribitur. Appellatiuum nomen, quod in antepenult. syllaba ha-

bet accentum, eundem in penultima ponit, ubi fit proprium nomen (Δικαῖος et δίκαιος). Raro ita formata sunt nomina propria, ut Genitiuorum habeant formam, inprimis ap. Lacedd. ut Ἄρακος, quam rationem et alii Graeci in appellatiuis sequuntur, μάρτυρος, φύλακος. Vnum idemque nomen etiam plures induit formas, ut Σθένελος, Stheneleus, Σθενέλαος, Sthenelas; Περσεὺς et Πέρσης, Empedocles et Empedoclus.

Tertia Comm. reliquas nominum formas, inprimis rariores recensere pergit. Ab iis quae in έας et έης terminata sunt, exstiterunt contracta in ᾶς et ῆς desinentia, ut Ἡρακλᾶς, Ἐμπεδοκλῆς. Illa forma contractorum in ᾶς est Doribus et Alexandrinis potissimum usitata, sed per librarios serioris aetatis migrauit etiam in Atticorum libros, ut in Xen. Anab. 5, 6, 6. Σαμολᾶς, qui ib. 6, 5, 7. rectius Σαμόλας scribitur. Nomina in ᾶς desinentia, et quae in ας et ης terminantur sic, ut accentum in penultima habeant, latine in A, latina in A desinentia Graecis formantur in ας. Ita Priscian. V, p. 119. s. praecipit. (Quae h. l. Sturz. emendat Χαιρέας, Byrrhia, iam in ed. Putsch. p. 640. recte leguntur.) Nec aliter Quintil. I, 5, 61. (qui ex Cic. laudat nomen *Hermagora*, cum nunc legatur de Inv. 1, 6. 9. 11. *Hermagoras*). Neque tamen eam rationem Latini semper sunt secuti, imo Ciceronis aetate et post terminatio graeca in *as* servata est (praeter servorum nomina). v. *Bentlei.* Ep. ad Mill. p. 517. ss. Opp. phil. ed. Lips. Quae graeca Genitiuum in ντος formarunt, in iis Latt. semper graecam terminationem in *as* retinuerunt, ut *Calchas* Plautus quoque (Merc. 5, 2, 104.) dixit, etsi ille Genitiuum fecit Calchae (Menaechm. 5, 1, 48.). Excipitur nomen Αἴας. Seruatur *s* etiam in iis nominibus, quorum ultima syllaba ex ευς est contracta, ut Achilles etc. Nam Dores ex ευς faciebant ης; ut Ὀρ-

φῆς. Latini tamen etiam formam *eus* retinuerunt, ut Priscian. L. VI. auctor est. Adeo inconstans fuit loquendi usus, et poëtarum auctoritas, ut, quae vett. Latini poëtis solis concessissent, in linguam vulgarem migrarent. Ita Augusti aetate non facile dictum est *Hermia* (nam Cic. Epp. XVI, 15. est servi nomen), *Critia* etc. Nec littera s abiecta in nominibus in ρας terminatis, ut Pythagoras etc.

Nomina in ρος desinentia, praecedente alia consonante, latine in *er* formata sunt (Alexander etc.) neque tamen semper (ut, Codrus), quod a poëtarum licentia repetit Auctor. Sic Teucrus ap. Virg. Nimirum aurium iudicio in his quoque plurimum est tributum. Non maior constantia in iis est, quae in ων desinunt. Nam nunc ν omittitur a Latinis, nunc retinetur. v. Quint. 1, 5, 60. Priscian. 6. p. 174. ss. (apud quem p. 690. ed. Putsch. pro *Dexo* — Δέξων St. reponit e Cic. Verr. V. 42. *Dexio* — Δεξίων) Caeterum nomina in ων et ος saepe permutantur, ut Εὔρυτος et Εὐρυτίων etc. Cf. Hemst. ad Arist. Plut. p. 206. ss. Koen. ad Greg. Cor. p. 133.

Multa etiam participia in propria nomina sunt conversa, ut Ἀλεξάμενος κ. τ. λ. v. Casaub. ad Athen. V, 20, p. 392. et fortassis Ἀπολλῶς ex ἀπολωλὼς exstitit. Nam appellatiua nomina si propria fiebant, varie mutata sunt cum contractione (ut Δίφιλος ex Διῒ φίλος, Plat. Crat. T. I. p. 399. A. Steph.) tum accentu (Ἀμφοτερὸς, Ἑκατερός.) Rariora sunt nomina Dorica, in his Laconica, in ις (Ἄλεξις, Σπέρτις), ισκος (Λεοντίσκος) et ιχος (Ἀμύντιχος) terminata. v. Koen. ad Greg. de dial. p. 133. ss.

Femininorum quoque variae sunt formae, aliae terminantur in α (Γλυκέρα), aliae in η (Εὐβούλη, item in

forma patronymica, Κλεοβουλίνη), aliae in ις (Ἀγαλλὶς) aliae in ας (Γυρτιὰς) aliae in ω (Μυρὼ), rarius in ων (Πλάγγων Athen. XIII, p. 567. E.), aliae in ον (Lat. in um), quibus etsi forma est neutrorum, tamen articulus femin. generis praeponitur. Nonnunquam nomina truncata esse putantur, ut Ἀρτεμᾶς ex Ἀρτεμίδωρος, Ἑρμᾶς ex Ἑρμόδωρος etc. v. Bentlei. Ep. ad Mill. p. 521. s. Ruhnkenius Hist. Crit. Or. Grr. p. XCIII. Χάρις ap. Gramm. vet. putat esse truncatum ex Δείναρχος (non tamen, ut videtur, usu loquendi, sed librariorum culpa.)

Sequitur (p. 10. s.) obseruatio St., quam, etsi dubitari potest, an non suo loco auctor posuerit, ipsius verbis repetemus: „Saepe reperiuntur nomina turpiter a librariis corrupta pessimeque depravata, ut pro Δαμάσης in loco Porphyr. (ap. Euseb. Praep. Ev. IX, 39. p. 466. B.) scriptum est Δάμασος, ap. Plin. (H. N. VII, 48.) *Damiades*, et (Catal. auct. praem. Plinii l. IV.) *Damascenus*. Apud Xenoph. bis (H. Gr. V, 3, 13. VII, 1, 1.) est Προκλῆς pro Πατροκλῆς. Ap. Plutarch. (Lac. apophth. T. VIII. p. 234.) Σοιβίδας pro Φοιβίδας. Ap. Platon. (in Phaed. 38. s.) librarius cod. August. male scripsit Φαῖδρε pro Φαίδων. Ap. Steph. Byz. (V. Ἄβδηρα) pro Ἑρμοῦ perperam edi solet Ἡρίμου. Ap. Schol. Eurip. (Orest. 1648.) pro Τάνταλος, et ap. Pausan. (I, 21. p. 49. Kuhn. p. 77. T. I. ed. Facii) legendum est Τάλως. Ap. Isidor. (Origg. I, 38.) pro *Hecataeus* pessime scriptum extat *Aehatesius*. Apud Freculphum (Chron. T. I. 3, 17. p. 140. ed. Commel. 1597. 8.) pro *Xenophanes* legitur monstrum *Xenohipnes*. In lexico Phavorini (V. Ῥοιὼ) pro Ἄνιος est Ἴνιος, ap. Schol. Soph. (Trach. 271.) Ἀντιόχη pro Ἀντιόπη, et ap. Schol. Eurip. (Phoenn. 5.) Ἀντιόπη pro Ἀργιόπη, et ap. Paus. descr. Gr. (IX, 36.) Αωρις pro Χλῶρις. Multa eiusmodi peccata praeter bo-

nos vett. scrr. intpp. et librorum criticorum auctores observarunt *Bentleius* (Ep. ad Mill. p. 514. s.) et *Dorvillius* (ad Charit. p. 607. s. Amst. siue p. 571. s. Lips.) inprimisque *Euerwinus Wassenbergh* (diss. philol. de nominibus hominum et locorum propriis, librariorum culpa aliisve de causis in vett. scrr. libris frequenter obliteratis aut vitiatis. Cum exemplis e Theognide etc. Franeq. 1790. 4.)."

Saepe nomina in contemtum et ignominiam detorta, et, si contumeliosa fieri inciperent, interdum mutata sunt, ut Ἐλεγξῖνος pro Ἀλεξῖνος, Σαινίδωρος pro Ἀντίδωρος, Γέλως pro Γέλων, Ληρόκριτος seu Λημόκριτος pro Δημόκριτος etc. cuius generis alia collegit Fabric. Bibl. Gr. T. I. p. 231. Harl. et plura haud dubie continuit deperditum *Leandri Nicanoris*, Cyrenaei, opus, quod μετονομασίας inscripsit (Schol. Apoll. Rhod. IV, 162. Athen. VII, p. 296. D.). Recentiori quoque aetate interdum nomina in ignominiam esse detorta, auctor exemplis allatis docet. Seruorum nomina apud Graecos nonnumquam sunt a dominis immutata. Neque enim honorifica, aut inter cives ingenuos usitata, iis licuit gerere. Fere nomine gentis, unde oriundi erant, nominabantur, unde Cares et Phryges saepe simpliciter servi dicti sunt; alii iis nominibus utebantur, quae in patria fuerunt maxime usitata, ut Τίβιος, Μίδας, Μάνης (Strab. VII, p. 304. Casaub.). Hinc Μανία, Phrygium nomen (Xen. Hist. Gr. 3, 1, 8. ss.), mulieri graecae impositum turpe videbatur (Athen. XIII, p. 578.). Manumissi ita nomen mutabant, ut seruili nomini unam pluresve adiicerent syllabas; quod ex Nicarchi epigr. (T. II. p. 354. N. 21. Brunk.) nescio quam recte A. efficit. Aeschinis pater Τρόμης a filio Ἀτρόμητος dictus (Demosth. Or. de cor. c. 41.).

P. 14. ss. de articulo nominibus propriis praeposito

agitur, quem locum plerique Grammatici non attigerunt. Consentiunt omnino in eo, articulo indicari rem certam vel definitam vel in praecedd. iam descriptam aut commemoratam. (Epiphan. adu. haer. I. p. 17. ed. Basil. 1544. Gaza Introd. gramm. l. 4. p. 228. ed. Ald. p. 616. ed. Bas. 1545. Itaque etiam articulus nominibus propriis additur tum, cum eorum iam antea est mentio facta, non cum primum nominantur; quam legem, in una Grammatica graeca (Vollständigere griech. Grammatik nach der Lehrordnung der latein. Märk. Grammatik eingerichtet, Ber. 1730. 8.), quam verissime laudat, propositam, Xenophontis inprimis confirmat usu (L. de republ. init., Cyrop. init. I, 2, 1. 3, 1. 2.) Si igitur in diligentis scriptoris graeci libro nomini hominis, qui primum nominatur, additus est articulus, ille delendus est; ubi saepius commemorato nomini additur, non in vitio hoc ponendum est. Poterat tamen etiam omitti. v. Xenoph. Ages. I, 10. et 13. 30. In Memor. Socr. I, 2, 31. recte simpliciter est Χαρικλέους, at §. 36. ubi in nonn. edd. ὁ Χαρικλῆς, omissio articuli in al. edd. non est damnanda. Ita et I, 3, 12. ferri potest ἔφη Ξενοφῶν. In Aesch. Socr. dial. I. c. 2. Θεμιςοκλῆς, deinde promiscue ὁ Θεμ. et Θεμ. neque ibi cum August. Cod. legendum ὁ Θεμ. In Xen. Mem. III, 10, 1, non cum Stob. scribendum est τὸν Παῤῥάσιον, neque enim ille iam fuerat memoratus. In Cyrop. VI, 4. 3. (8.) duo codd. articulum omittunt ante nomen Ἀράσπης. At praemitti potuit, quia Araspis iam mentio fuerat facta, ut in Cyrop. VI, 1, 26. (51.) recte est ἡ Πάνθεια. Vtroque loco Zeun. docet, articulum omittendum esse, sed iis adhibitis rationibus, quae cl. Sturzio improbantur. In Anab. I, 1, 4. recte Zeun. vidit legendum esse cum art. ἡ μήτηρ. Poterat ibi etiam scribi: ἡ Παρυσάτις μὲν δὴ ἡ μήτηρ. Vt in Lysiae or. contra Agor. p. 484.

ante Reisk. fuit: ὁ Ξενοφῶν ὁ ςρεβλ. per se non male. Reiskius tamen articulum recte deleuit, quia deest ante seqq. nomina. Restant plura, quae doct. A. alio tempore profligabit.

VII.

Dissertatio philologica de corona civica et laureis ante domum Caesaris Augusti, ad illustranda quaedam auctorum classicorum loca, praesertim verba Ovidii, Metam. I, 562. 563. In lucem edita ab *Ioanne Gottlob Ludovico Ramshorn*, Min. Cand. Dresdae 1800. sumpt. auct. et prostat ap. Gerlach. 22. pp. in 4.

Ipsa commentatio inde a p. 8. persequitur primum varias interpretum sententias de loco Ovid. l. eoque valde ambiguo. Nam alii unam, alii duas, alii plures ante palatium stetisse lauros censent, inter quas media fuerit quercus, quam obumbraverit (hoc enim esse potest *tueri*) laurus. Sed potest etiam quercus de corona querna intelligi (ut Virg. Aen. VI, 772. Lucan. I, 357. Iuven. Sat. VI, 386. etc. uti laurus de corona laurea Ouid. Trist. IV, 2, 51. oliva de corona oleaginea Hor. Od. I, 7, 7.), laurus de duobus ramulis affixis (uti post alios Adamsius nuper in Rom. Antiqu. quam Meyerus vertit, cuius locum T. II. p. 979. Auctor corrigit) vel utraque de tribus coronis, media querna, siue in fastigio domus Augustae (Reimar. ad Dion. Cass. LIII, 16, 101.), siue inferius supra ianuam (Nardin. in Rom. vet.) suspensa. Ex Ouid. Trist. III, 1, 31. ss. auctor efficit, *quercum* in superiore loco esse coronam quernam civicam in vestibulo praetereuntibus conspicuam, supra

fores affixam, cum titulo *ob cives servatos*, laurum autem esse duas arbores ante utrumque postem plantatas. Quam sententiam etiam confirmant Fast. I, 613. ss. IV, 953. et Valer. Max. II. 8, 7. ext. Sed eam explicationem dubiam reddi duobus aliis locis censet Senecae de Clem. I, 26. extr. et Sueton. Claud. 17. (In priori Senecae loco nos quidem non intelligimus, cur *Principis fastigio* explicetur de fastigio aedium?) In Suet. loco Ern. pro *fastigio* legi *vestibulo* iussit. Contra eam coniecturam ita Ramshorn. disputat. Fastigium primo omnino denotat rei cuiuscunque summitatem, inprimis aedificiorum; tum tectum forma triangulari (Cic. de Or. III, 46.), denique eam aedium sacrarum et magnificarum aliarum partem, quae forma trianguli aequicrurii coronis circumdata columnisque fulta talium aedificiorum frontem ornat (*Fronton*, *ἀετὸς*, *ἀέτωμα*). Huius fastigii coronae claudebant tympanum (Giebelfeld) h. e. campum triangularem, quem caelaturis aliisque operibus explebant (v. Baldi et Rodii Lexx. Vitruvv.); angulos ad basin et in culmine fastigii ornabant acroteriis, quibus tamquam basibus statuae (v. Ouid. Trist. III, 1, 60. s. unde *ebur nitidum* Ovid. Met. II, 3. de eburneis statuis A. interpretatur) spolia hostilia aliaque imponebantur (Liv. XXXV, 10. XL, 51.) Tale fastigium iam Iulii Caesaris domui adiectum est. (Cic. Phil. II, 43.) Itaque auctori videtur corona civica in fastigii tympano fuisse posita, unde a praetereuntibus poterat conspici. Infra tympanum in zophoro erat titulus: *ob cives servatos.* Ante columnas ad dextram et sinistram plantatae erant lauri, unde ante *fores*, *postes*, stare ap. Ovid. dicuntur, h. e. ante aditum. Nam postes saepe ianuam et partes adiunctas complectuntur. Columnarum altitudo lauris, quae civicam coronam obumbrabant et modicae domui congruens esse

debuit. Nam etsi ea a. V. 756. conflagravit, tamen non splendidius restituta esse videtur. Caeterum a. V. 727. hunc honorem Augusto decretum esse, ut lauri ante domum eius ponerentur, et querna corona suspenderetur, ex Dione Cassio auctor humaniss. docuit, idemque de civicae coronae origine atque usu (praeeuntibus Gellio N. A. V, 6. et Plinio H. N. XVI, 4.) p. 16. ss. disserit. Civi, qui in proelio servaverat civem, hostem simul trucidaverat, neque locum suam reliquerat, ea imponebatur vel a cive servato, vel a duce exercitus, posthaec ab ipso imperatore. Facta est primum ex ilice, postea ex esculo, tandem e qualibet quercu, ita tamen, ut praeferretur, cui glandes inessent optimae. Quercus autem glandifera cur adhibita fuerit, cum variae editae sint causae (Plutarch. Coriol. c. 3. Quaest. Rom. c. 92. Serv. ad Virg. Aen. VI, 772.), auctor doctiss. repetit ab Arcadibus glandivoris (Pausan. Arcad. 1. et 42. Ael. V. H. III, 39.), quibus Italia et incolas multos et ritus debuit atque instituta sua; ab iis Italos didicisse censet vesci glandibus (Plin. H. N. XVI, 5.). Itaque cum deliberarent Romani (si modo ea de re deliberasse dicendi sunt), unde peteretur corona digna optimo cive, non potuit non praeferri aliis arbor, unde victum olim unice maiores petiissent, quae robustissima, vetustissima, eademque Iovi sacra esset. Ea summa est disputationis, quae ingenium, lectionem, scribendique facultatem, raras virtutes, auctoris commendat.

VIII.

M. *Christophorus Iohannes Godofredus Haymannus*, Scholae Annaeanae quae Dresdae est Rector, superiori anno programmate *) specimen libri de mythologia, qualem *Lippertus* in usum artificum optauerat, proposuit, vernaculo sermone, quod latine, paucis in brevius contractis, reddemus. Agitur de Iove.

„*Iupiter*, inquit, Saturni filius natu minimus, Plutone tamen et Neptuno superior, vultu fingitur sereno 1), at maiestatis pleno, qui amorem et beneuolentiam cum seueritate prodit, magnis et prominentibus superciliis, barba horrida, capillo venerando, prouecta aetate, sed ita ut nulla appareat aetatis infirmitas 2).

*) Gehorsamste und ergebenste Einladungsschrift zu den Iubel- und Abschieds-Reden, die am Schlusse des 18. Iahrhunderts von einigen Annenschülern d. 23. May gehalten werden sollen, von M. *C. I. G. Haymann* — Dresden-Friedrichstadt, 8. pp. in 4.

1) Iupiter serenus. v. *C. Fr. Walch.* Comm. de eo in Act. Soc. lat. Ien. T. II. p. 203. ss. qui, praeeunte Virg. Aen. I, 235. de tempestate explicat, ut sit i. q. serenans. At potest quoque ad vultum serenum referri. Ouid. Trist. I, 4. et 27.

2) Hom. Il. I, 528. ss. unde Phidias se imaginem Iovis petiisse dicit. Ea et Iovis sapientiam, per supercilia quae moveri videntur, ut terrarum orbem concutiant, et maiestatem cum benignitate coniunctam exprimit, qualis in viro maturioris aetatis, suarum sibi virtutum conscio nec cupiditatibus obnoxio exspectatur. *Hogarth.* Zerglied. d. Schönh. p. 76. *Winkelmann.* Anmerk. z. Gesch. d. Kunst p. 42. s. *Iunker* Iupiter eine Antike, Nbg. 1788. 8. qui observat, capillos

Nunc eburneo insidet throno 3), nunc stat, dextra tonitru s. fulmen 4) sinistra sceptrum tenens 5); ad pedes est aquila 6). Interdum corona laurea ornatus

formasse Phidiam ad leonis iubam, barbam Iovi non unice esse necessariam, imberbem quoque inveniri. Barba omnino non est prolixa, nec pectus attingit, nisi ubi capite inclinato exhibetur. Quod docent Verospius, nunc Vaticanus Iupiter, et numi. Stantis Iovis simulacra barbam habent, quae ne dimidium quidem collum tegit. Nuper corporis fragmentum (torso) inventum est, quod alii Iovis esse censuerunt, negarunt alii, ut *Bartels*. in Itin. Siculo T. II. et *Münterus* Itin. Sic., propterea quod nullum in pectore sit barbae vestigium; *Riedeselius* sedentem Bacchum videre sibi visus est. Sed redeunt omnia eo, ut, quantum colli supersit, sciamus. Interdum caput Iovis est galeatum, fortassis propter gigantomachiam. Arietinum caput Ammonis Iovis pro galea est habitum.

3) Interdum est solium, interdum vere thronus. Iupiter nonnumquam currui quadriiugo insidet, contra gigantes pugnans. v. Lippert. dactyl. T. I. p. 11. Winkelmann. Mon. ined. n. 10. Eckhel. Choix d. pierr. grav. n. 13. Mon. Matth. Vol. III. 19, 1.

4) Hinc rubens dextra, corusca manus, ei tribuitur. v. Hor. I. Od. 2, 2. s. Virg. I. Georg. 328. ss. qui poetae forsan tabulam pictam ante oculos habuerunt. Interdum non fulmine, sed aliis instructus est rebus. Winkelmann. Alleg. p. 35.

5) E ligno cedrino factum. Lippert. Dact. T. I. p. 7. Suppl. p. 9. Interdum aquila ei insidet. Winkelmann. Monum. fig. 6. p. 7.

6) Alis expansis, quasi modo advolaverit. Nonnumquam pateram super eam tenet. Nam Iovi ante pugnam cum gigantibus sacrificanti aquila in signum victoriae advolasse dicitur. Lippert. Dact. T. I. p. 9. Suppl. p. 7. Vnde Viscontius Mus. Clem. T. I. n. 1. Iovem loco restaurati fulminis pateram potius tenere vult, ob serenum vultum; quae patera Marti raro tribuitur. Martini ad gemm. n. 125. Mustela etiam parvo Iovis simulacro est addita, cuius rei caussam Winkelmann. Alleg. p. 100. exquirit.

est [7]). Fere nudus visitur, cum pallio, aut seminudus, et quidem subrubri coloris, quia aërem dicitur referre [8]). Exemplum speciei omnis praebuit Phidiacus ille Iupiter Olympiae [9]), ex ebore multo copiosiore, quam Minerva Athen., factus. Nam Iupiter sedit dimidio corpore nudo, Minervae non nisi caput, manus et pedes cernebantur nudi [10]). Imago Iovis expri-

---

7) Winkelm. Alleg. p. 36.

8) Winkelm. Alleg. p. 103. Mon. ant. p. 2. Descr. d. pierr. grav. de Stosch p. 54. ss. Superius nudum corpus coeleste, inferius vestitum terrestre regimen indicare dicitur. In Guattani Mon. ant. Iupiter est XII. Zodiaci signis cinctus, fere ut Tellus. Secundum Herod. et Strab. Persae coelum appellant Iovem, quod et Plato semel fecit. Raro Iovi aures adscribuntur, ut eum omnia scire significetur. Vetusto ligneo Iovi tertius oculus in fronte fuit inditus. Lippert. T. I. p. 10. Winkelm. Alleg. p. 9. Hic etiam p. 7. Iovem *Orphei* affert, qui ut communis parens, utriusque sexus partes habuit, et *Pamphi*, qui eum stercore equino involutum exhibuit, quod ille deus ubique, etiam in vilissimis rebus adsit.

9) Quod Viscontius Vol. VI. Mus. Pio-Clem. numis Élidensium demonstrat.

10) Heyne Samml. Antiqu. Aufs. T. II. p. 165. I. p. 202. ss. Iusta eboris copia per naves Athenn. mercatorias potuit afferri. Frontem cingebat corona oleaginea aurea, et victoria quam manu tenuit etiam ex auro et ebore fuit, item amictus. In eo, ex coniectura Siebenkeesii, animalia et lilia e vitro metallico (Schmelz) fuerunt, ut acu pictum exprimeretur pallium, quale diis veteres tribuerunt. Thronus ornatus emblematibus fuit ex auro, gemmis, ebeno et ebore. Caesaris aetate est fulmine tactus. Caligula Romam deportari voluit, sed abstinuit ab eo, monitus de eo quod opus passurum esset, detrimento. Winkelmann Anmerk. p. 113. Tandem Constantinopolin delatum est. Christ. Abh. über die Kunstwerke p. 215. Nuper Völkelius et Siebenkeesius, ille ad

exprimebat speciem egregiam, quam artificis phantasia, Homeri lectione nutrita, procreauerat 11). Ingentis erat magnitudinis simulacrum. Templum Pausania auctore 12) ad fastigium usque fuit altum pedes 68., et caput Strabo narrat tectum attigisse. Ita autem maiestatem dei expressit, ut ad ipsam religionem non parum contulisse videretur 13). Seruata sunt duo Iovis simulacra, alterum sedentis dei olim in Verospiorum palatio, 1770. a Pontif. Maximo emtum in Museum Clement. abiit. Videtur ex illis tribus esse, de quibus Cicero dicit 14). Brachium unum recentis est operis 15). Alterum stantis Iovis est in Florentino Museo 16). Versaliae (Versailles) colosseam nonnulli existimarunt cerni Iovis statuam, Myronis opus 17). At est solitae ma-

---

ad architectonices, hic ad archaeologiae rationes, de eo exposuerunt. add. Beger. Thes. P. III. p. 118. Quod Siebenkeesius nimiam ornamentorum copiam vituperauit, id ad thronum et scabellum maxime spectat.

11) Cic. Orat. c. 2. Quintil. Inst. Or. 12, 10. Büsching. Gesch. der zeichn. Künste P. I. p. 114. s. 119. s.

12) L. V. c. 10.

13) L. 34. c. 8.

14) Primum in Ponti stetit introitu, secundum Syracusis, unde Verres abstulit, tertium a Flaminino in Macedonia captum in Capitolio collocatum est. Cic. Verr. IV, 58. Cum eo non sunt tres alii Ioves in Mus. Cap. T. III. 2. 3. 4. confundendi.

15) Winkelmann. Hist. Art. praef. p. 19. Maffei 135. Mus. Clem. T. II. n. 1.

16) Mus. Flor. III, 1. Alios in Italia nominat Iunkerus l. l. p. 46. s.

17) *Montaguia*, Britannica nobilissima femina, ep. 57. ita censet. Conspicitur in *Thomassin* Recueil n. 13. sed misere depictus. Bartelsius descr. itin. T. II. de fragmento colossei Iovis (v. n. 2.), Winkelmanni more, agit. Tarenti colosseae magnitudinis Iupiter a Leucippo factus stetit, pedes 40.

gnitudinis, nec Myron nisi aerea fecit simulacra. Praestantissima dei capita sunt in numis Philippi regis, Ptolemaei I. et Pyrrhi, eaque ubique sibi simillima 18). In Farnesio palatio protome Iovis est, cuius ectypum in Britannia venditur. Etsi valde diversus ab aliis, etiam provectioribus aetate, diis est, tamen facie familiae huic propria similis est Plutoni et Aesculapio 19). Cum aliis diis sint alae, Iovi non nisi ex Etruscorum ingenio tributae sunt 20). Sed alatis utitur equis 21). Iupiter et Iuno, quae eum aequat maiestate 22) non modo principes deorum, sed summi etiam habebantur soteres 23) quos adirent omnes atque celebrarent."

Non arbitramur hanc de Iove disputationem ad artificem, qui eum velit fingere, instituendum sufficere, multo autem minus satisfacturam esse archaeologo. Quare si qui huius generis liber in artificum usum conscribatur, quem desideramus, ille plenius, missis tamen mythologorum commentis, de quavis deorum forma et habitu, operibusque quae supersunt, exponat.

---

altus. Plin. 34, 18. Caylus T. II. p. 157. s. Christ. Abh. von Kunstw. p. 216.

18) Winkelm. Gesch. d. Kunst p. 166. s. 350. Pulcherrimi Ioves in numis Mus. Pisan. tab. 19. 49.

19) Winkelm. Anmerk. p. 42. s. Vultus eius familiae in Spence Polym. tab. 1.

20) Ita ad Semelen venit. Mus. Stosch. p. 53. Winkelm. Alleg. p. 35. eiusd. Monum. ined. p. 2. fig. 1. 2. ex regio Boruss. Mus.

21) A tergo est victoria, habenas tenens. Winkelm. Alleg. p. 35 s.

22) Winkelm. Hist. Art. p. 165. Anmerk. p. 48. et 53.

23) Schlaegeri Comm. de diis homin. servatoribus p. 9 ss. 19. ss. Balhornii Comm. de diis vett. σωτηρσι in Act. Soc. lat. Ien. Vol. II. p. 225. ss.

IX.

De *Laocoonte* coepit superiori anno *Henricius*, Academiae Viteberg. Professor, libellis publico nomine scriptis, exponere, qua in re hoc potissimum spectavit, ut, quibus nihil innotuisset de praestantissimo illo artificio eiusque fabula, hos diligentius edoceret. *Prima* et *secunda* Commentatio, quas adhuc solas legimus (nuperrime enim tertiam prodiisse accepimus) fabulam ipsam, praeeuntibus Virgilio, eiusque interprete Servio, et Hygino, enarrant, inprimisque, in quibus scriptores dissentiant, docent. Tum 2. Comm. nonnullos nominat, qui tabulis aeneis nobilissimum artificium exhibuerint, quorum negligentiam in opere delineando recte accusat. Non tamen auctori recentiores tabulae omnes innotuerant. Laudatur artificis ingenium, manus dexteritas, sapientia etiam in temporis momento legendo, quo Laocoontis et filiorum labores oculis proposuit; ostenditur quantis artifici cum difficultatibus fuerit conflictandum; et Plinii (H. N. XXXVI, 4, 11.) iudicium repetitur. Momentum rei gestae symplegmate exhibitum, ita descripsit auctor: „Pater a draconum altero, a dextro inde pede et genu, implicitus, viribus tamen adhuc integris adiutus, ut eum a se retorqueat vehementissimo impetu contendit, ac utroque brachio, dextro, supra caput extenso, inferiorem draconis partem, sinistro superiorem retundit. In tam vehementi autem nervorum omnium nisu, alteroque pede draconis nexibus impeditus, statum tenere aliter nequit nisi ita, ut ad aram, quae pone eum

conspicitur, reclinatus, et quodammodo sessum in extrema eius parte occupans, sese sustentet, pedumque divaricatorum alterum serpentis nexu expedire studeat. At hoc ipso momento mortiferum sentit ictum, supra coxendicem sibi infixum. Hinc anhelans ex imis pulmonibus et velut gemebundus ducit spiritum, capite oculisque in coelum erectis, supplex deorum miserationem, auxilium, suppliciique veniam efflagitaturus. Filiorum minor pedibus manibusque draconis alterius voluminibus prorsus est intortus, venenumque mortiferum, morsu eius paululum infra pectus sibi iniectum, venas suas iam penetrare ac permeare sentit. Cum vero pro aetate ipsa viribus sit infirmior ceteris, manu quidem sinistra, sed debili, serpentis caput removere audet, dolore vero ita iam supprimitur, ut reclinatus considere incipiat. Maior natu filius nondum vulneratus est, dextro tamen brachio, ad patrem extenso, alterius draconis nexu, et pede sinistro alterius inferiore parte est circumvolutus, nondum quidem doloris vim sentiens, tanto autem vehementiore terrore ac metu perculsus. Clamantis igitur prae se fert speciem, manus oculosque ad patrem tendens, auxiliumque eius, hoc ipso destituti, frustra implorat, et sic dolori illius maius addit pondus.

9.

X.

Godofredi Hermanni Prof. Lips. Epistola ad editorem de dramate comico satyrico.

Quum gratum Tibi fore significares, Becki, V. C. si quid ego quoque commentariis societatis philologicae insererem, spopondi me descriptionem lexici Graeci MS., quod magno litterarum emolumento editum iri speramus, ad Te missurum esse. Sed quum non sane mea culpa in dies hanc rem differre cogerer, verebar, ne nimis cunctando aut negligentior, aut, quod molestius etiam ferrem, parum officiosus Tibi viderer. Decrevi igitur, interea dum illius exhibendae descriptionis mihi copia fieret, alia via, eaque magis etiam cum studiis societatis philologicae coniuncta, nomen meum exsolvere. Etenim quem Eichstaedtius, V. Cl. quum philologicae societatis sodalis esset, de dramate Graecorum comicosatyrico libellum edidit, in eo libello quum ea ipsa, quae primaria sunt, drama comicosatyricum et emendatio fragmentorum Lytiersae, plurimis mihi viderentur maximisque obnoxia esse dubitationibus, operae pretium me existimabam facturum, si renovanda hac disputatione vel ipse aliquid ad eam explicandam conferrem, vel alios, ut id facerent, excitarem. Ac non satis mirari possum, quid sit, quod Eichstaedtius commentum hoc dramatis comicosatyrici, rei antea doctis hominibus prorsus ignarae, ita plurimis probaverit, ut iam ne dubi-

tari quidem videatur, quin istiusmodi fabularum genere veteres usi sint. Mihi certe, quae in hanc rem ille argumenta attulit, ut ad speciem veri callide adornata, ita a veritate remotissima videntur. Scilicet commemorari docet Phrynichi, Cratini, Anaxandridae, Ophelionis, Iophontis, Ecphantidae, Timoclis comicorum satyros. Si ita est, facile victas manus tanto exercitui praebebimus. Verum ante omnia ostendi debebat, illos omnino potuisse scribere satyros; tum etiam scripsisse; denique, si scripsere, diversum hoc genus a tragicorum satyris fuisse. Ac quod primo loco dubitare me dixi, an omnino scribere isti satyros non potuerint, id non in omnes, sed in hos tantum expetit, qui mediae fuerunt novaeque comoediae scriptores. Nam choro sublato, de cuius omissione non satis accurate disputasse videtur Eichstaedtius, equidem non video, cuiusmodi esse potuerint fabulae, quae a choro satyrorum satyricae dicebantur. Sed hoc sane non tangit antiquiores, ut Phrynichum, Cratinum, Ecphantidem. Itaque quo argumento hos censebimus satyros scripsisse? Mirum vero, ab nullo veterum scriptorum hoc disertim traditum esse, comicos quoque fabulas fecisse satyricas. Mirum etiam, quod in tanta comicorum multitudine perpauci tantum sunt, quorum satyri memorantur, in iisque unus dumtaxat Timocles, cuius Icarii satyri eodem modo, quo in tragicis fieri solet, nunc simpliciter Icarii, nunc Icarii satyri dicuntur. Quamquam non videtur ea huius indicis esse vis, ut, si alia obstent, Icarios fabulam satyricam putare oporteat. Etenim, nisi magnopere fallor, et Timoclis Icarii, et quicumque aliorum commemorantur comicorum satyri, comoediae fuerunt. Primum enim non solent loci e fabulis satyricis sic afferri, ut simpliciter σάτυροι, omissi

nine fabulae, commemorentur. Disputavit quaei a de hac re Casaubonus ad Athenaeum p. 723. et poësi satyrica p. 131. et 135. sed non satis diligen.

Quae in hanc rem afferri possunt, haec ferme sunt. Aeschylum in σατυρικῷ affert Hesychius in v. ἀπόφυλιοι: idem in v. ἀρραγὲς ὁμιλία Sophoclem in σατυρίσκῳ. Scribendum σατυρικῷ, quod iam volebat Casaubonus. Nec dubium, quin utroque in loco Hesychii nomen fabulae Aeschyleae et Sophocleae exciderit. Sophoclem ἐν σατύροις afferunt Zenobius proverb. II. 80. in quo, ut in Hesychio, nomen fabulae omissum credibile est, et Aristides, memoratus iam Casaubono de sat. poësi p. 135. Recte hic quidem, neque egens emendationis. Loquitur enim de Helena, nec nomine opus habet fabulae, quum ex ipsa Helenae mentione pateat intelligi Ἑλένης ἀπαίτησιν, quam fabulam satyricam fuisse, licet, quod equidem sciam, nemo animadverterit, satis tamen fragmenta arguunt. Porro Athenaeus p. 428. eumdem poëtam laudat ἐν δράματι σατυρικῷ. Non solent ita loqui. Quare adducor, ut alicuius fabulae nomen pro δράματι restituendum putem. Fortasse scripsit ἐν Σαλμωνεῖ σατυρικῷ. Idem nomen Bentleius in epistola ad Millium reddidit Galeno, in quo legebatur ἐν Σαλαμίνῃ σατύροις. Corrupto Athenaei loco Brunckius adeo se decipi passus est, ut in Lexico Sophocleo in v. ἄλυπον locum lexici MS. Sangerm. ita scriberet, Σοφοκλῆς ἔν τινι Διονυσιακῷ σατυρικῷ, et in v. Θωχθείς apud Hesychium pro Σοφοκλῆς Διονυσιακῷ reponi vellet ἐν Διονυσιακῷ τινὶ σατυρικῷ, qua ratione nemo umquam loquutus est. Immo recte MS. Sangerm. apud Valkenarium in diatriba p. 179. habet ἐν τῷ Διονυσιακῷ σατυρικῷ. Quin omnino Dionysiacum non debebat Brunckius a numero fabularum Sophoclis expungere, quod nomen

indidisse poëta illi fabulae ex eo videtur, quod vini inventio eius argumentum esset. Certe hoc ex illo lexici Sangerm. loco clare potest intelligi. Quod si tragicorum satyri, ut par est, nomine fabulae adiecto commemorari solebant, mirum videtur, comicorum satyros omnium, si ab Iophonte et Timocle discesseris, omisso fabulae nomine afferri. Quo facilius licebit rem ita expedire, ut hos comicorum satyros comoediarum magis, quam fabularum satyricarum indices esse existimemus. Eamque suspicionem egregie confirmat ordo, quo fabulae istorum poëtarum a grammaticis enumerantur. Suidas in v. Ὠφελίων huius fabulas hoc ordine refert: Δευκαλίωνα, Κάλλαισχρον, Κένταυρον, Σατύρους, Μούσας, Μονοτρόπους. Idem Timoclis fabulas hoc ordine: Δημοσάτυροι, Κένταυρος, Καύνιοι, Ἐπιστολαί, Ἐπιχαιρέκακος, Φιλοδικάστης, Πύκτης. Idem alterius Timoclis fabulas hoc ordine: Διονυσιάζουσαι, Πολυπράγμων, Ἰκάριοι, Δῆλος, Λήθη, Διόνυσος, Κονίσαλος, Πορφύρα, Ἥρωες, Δρακόντιον, Νέαιρα, Ὀρέστης, Μαραθώνιοι. Idem Phrynichi comici fabulas hoc ordine: Ἐφιάλτης, Κόννος, Κωμασταί, Σάτυροι, Τραγῳδοὶ ἢ Ἀπελεύθεροι, Μονότροπος, Μοῦσαι, Μύστης, Ποαστρίαι, Σάτυροι. Eumdemque habet ordinem Eudocia p. 428. nisi quod Κρόνος addit post Κόννος, et in fine omittit Σάτυροι, unde corrigendus est Suidas. Nunc quis non miretur, in mediis quatuor poëtarum comoediis satyricas fabulas commemorari, neque, ut par erat, enumeratis demum comoediis addi satyros? Quod si has comicorum fabulas, quae satyrorum nomine vocantur, comoedias esse censebimus, clarum erit, quare et comoediis misceri a grammaticis potuerint, neque accessionem requirant alius indicis, quam Satyrorum. Etenim credibile est, uti in his paucorum poëtarum fabulis Centauri, Musarum, Μονοτρόπων

nomina saepius occurrunt, ita etiam Satyros ipsum nomen fuisse, quod plures poëtae suae alicui comoediae tribuerent. Nec sane obscurus est huius fons appellationis. Satyrorum enim nomen, ut vel Moschi ὀαριστὺς docet, reprehensioni vel deformium, vel libidinosorum inserviebat. Hos ergo maxime in his fabulis, quae Satyri vocarentur, traductos esse probabile est. Quin Δημοσάτυροι Timoclis ipso fabulae nomine indicant, non satyros, Bacchi comites, sed alios quosdam, quos hoc nomine irriserit poëta, intelligi debere. Ad Anaxandridae satyros fortasse spectabant, quae de hoc tradidit Eudocia p. 60. καὶ πρῶτος οὗτος ἔρωτας καὶ παρθένων φθορὰς ὁ παμμίαρος εἰσήγαγεν.

His quidem, quas hactenus attuli, rationibus sic tantum aliquam vim tribuo, si cum aliis gravioribus conspirant. Etenim quam omnium maxime in Eichstaedtii disputatione desideramus, explicationem naturae et conditionis dramatum comicosatyricorum, hac ille firmare opinionem suam et quasi extorquere assensionem legentibus debebat. Nam si istae fabulae e satyrico genere fuerunt, ostendi oportebat, quid huius poëseos sive in fabulae compositione, sive in dictione et versuum modulatione proprium fuisset. Illud sane, quod primo loco nominavi, facere non licebat, quia deest integra ex illo genere fabula. At eo magis de altero videndum erat. Atque uti grammatici quamdam trimetri formam satyricam appellant, ita aliquanto plura sunt, quibus vel versus satyrici a tragicis et comicis, vel omnino dictionis satyricae genus a tragico et comico discrepet. Quod si porro comicosatyrica dramata a tragicorum satyris diversa erant, qua tandem in re hanc differentiam ponendam existimabimus? Utrumne in dictione et versibus, an in fabulae totius constitutione? At de hac quidem nihil nunc constat. Quod si oratio

et numeri nihil suppeditant, quod singulare et aliis in dramatum generibus usitatum sit, quid aliud quam ingeniosum commentum fabulas istas comicosatyricas esse censebimus? Necesse est autem orationem et numeros aut proprios quosdam harum fabularum fuisse, siquidem eiusmodi fabulae umquam exstiterunt, aut certe similes ut in tragicorum satyris, quo certe eas fabulas ad genus satyricum referre possimus. Atqui neutrum horum est, sed comica dictione, comicisque numeris, quae ex illis fabulis fragmenta afferuntur, scripta sunt. Quamobrem aliis deficientibus argumentis non poterimus non eas fabulas comoediis adnumerare. Sed praestat locos ipsos videre. E Phrynichi Satyris scholiastes Aristophanis ad Nubes v. 1153. affert,

βοάσομαι γὰρ ἄρα τὰν ὑπέρτονον βοάν.

Scribendum, ut in Aristophane, qui hunc versum e Phrynicho sumpsit,

βοάσομαί τ' ἄρα τὰν ὑπέρτονον βοάν.

At hic versus numeros habet comicos. Videtur autem e chori carmine fuisse, unde haec sunt in scholiis ad Aristophanem: χορικῇ περιπλοκῇ εἴρηται, (ab Aristophane) καὶ διαλέκτῳ Δωρίδι. Idem scholiastes Aristophanis ad Aves v. 1463. e Phrynichi Satyris affert, Κερκυραῖαι δὲ οὐδὲν ἐπιβάλλουσι μάστιγες. Comoediam haec facile arguunt. Versus sunt anapaestici:

Κερκυραῖαι δ' οὐδὲν . . .
ἐπιβάλλουσιν μάςιγες.

Ex eiusdem Phrynichi Satyris Phrynichus sophista p. 114. haec affert, manifeste comica, sive numeros, sive orationem spectes:

ὅτι ή, πρὶν ἐλθεῖν αὐτὸν εἰς βουλήν, ἔδει
σοὶ ταῦτ' ἀπαγγείλαντα πάλιν πρὸς τὸν θεὸν
ἥκειν, ἔγωγ' ἀπέδρων ἐκεῖνον δεῦρο νῦν
εὐαγγελῶν σοι.

Ita hic locus corrigendus videtur. Sequitur fragmentum Iophontis comici apud Clementem Alex. Strom. I. p. 329. ex Αὐλῳδοῖς σατύροις:

καὶ γὰρ εἰσελήλυθεν
πολλῶν σοφιστῶν ὄχλος ἐξηρτημένος.

Hoc fateor satyricam indolem aperte prae se ferre. Verum quis nobis sponsor est, recte hunc Iophontem a Clemente comicum dici, quem nemo quisquam veterum perhibuit comicum? Nam quod Iophontis Bacchas quidam Stobaei codd. comoediam vocant, teste Grotio in Excerptis e trag. et com. p. 876. id eodem errore factum esse, qui in Clemente corrigi debet, ipsum illud fragmentum, manifesto tragicum, docet: tum etiam Bacchas tragoediam Iophontis fuisse scimus. v. Valcken. diatrib. p. 16. E Satyris Ecphantidae Athenaeus p. 96. C. haec affert, pariter ac Phrynichi Satyrorum fragmenta, comici sermonis prae se ferentia indolem; πόδας τε εἰ δέοι πριάμενον καταφαγεῖν ἐφθοὺς ὑός. Versus videtur trochaicus esse:

πόδας ἔτ', εἰ δέοι, πριάμενον καταφαγεῖν ἐφθοὺς
ὑός.

Denique ad Timoclem venimus, e cuius Demosatyris quae Athenaeus p. 165. F. affert, nihil habent, quod a comicorum consuetudine recedat:

οὐδ' ὁ Χαβρίου Κτήσιππος ἔτι τρὶς κείρεται,
ἐν ταῖς γυναιξὶ λαμπρός, οὐκ ἐν ἀνδράσιν.

Verum ex huius Icariis Satyris quem locum Athenaeus protulit p. 342. A. is, fateor, dictionem ac numeros prorsus habet aptos satyris tragicorum. Verba apud Athenaeum ita leguntur:

τόν τ' ἰχθυοῤῥὸν ποταμὸν Ὑπερείδην πέρασον
σημαις φωναῖσιν ἔμφρονος λόγου
κόμποις παφλάζων ἠπίοις πυκνώμασι

προσπανδυσας ἔχει
μισθωτὸς ἄρδει πεδία τοῦ δεδωκότος.

Sermo est de Hyperide, oratore guloso, qui pecunia corrumpi se passus sit. Si coniecturae locus est in tam corrupto fragmento, ita ferme scripsisse arbitror Timoclem:

τόν τ' ἰχθυόῤῥουν ποταμὸν Ὑπερίδην πέρα,
ὃς, ἱππίαις φωναῖσιν ἔμφρονος λόγου
κόμπους παφλάζων νηπίοις πυκνώμασιν
πρὸς παντός, ὅστις χρυσὸν ἐνδύσας ἔχῃ,
μισθωτὸς ἄρδει πεδία τοῦ δεδωκότος.

Pisculentum, inquit, traiice fluvium Hyperidem, qui sesquipedalibus prudentis sermonis vocibus ampullas strepens temere stipatas in cuiusvis gratiam, qui aurum immerserit, mercenarius campos donantis irrigat. Ἱππίας φωνὰς dicit, quae Aristophanes ῥήματα βόεια in Ranis v. 955. et ἱπποβάμονα ibidem v. 839. Ad illa, ἐνδύσας ἔχῃ, conf. schol. Eurip. ad Med. 33. At quid mirum, si haec etiam in comoedia maiore cum ornatu verborum protulit, quum in his versibus imitari voluerit Hyperidem, quod saepius in aliis fecit etiam Aristophanes? Ac videtur iis, qui causas suas bene agi velint, suadere, ut corrumpant Hyperidem: in qua re quasi itineris cuiuspiam descriptione utitur, memor fortasse horum Aeschyli versuum:

ἥξεις δ' Ὑβριστὴν ποταμὸν οὐ ψευδώνυμον,
ὃν μὴ περάσῃς· οὐ γὰρ εὔβατος περᾶν.

Caeterum quo minus dubitari queat, quin comoedia fuerint Icarii Satyri, alia id fragmenta docent. Vt apud Athenaeum p. 339. D. Ἄνυτος ὁ παχὺς πρὸς Πυθιονίκην ὅταν ἐλθὼν φάγῃ τι· καλεῖ γὰρ αὐτόν, ὥς φασιν, ὁπόταν Χαιρεφίλου τοὺς δύο σκόμβρους ξενίσῃ μεγάλους ἡδομένη. Versus sunt anapaestici:

"Ανυτος θ' ὁ παχύς.
πρὸς Πυθιονίκην ὅταν ἐλθὼν
εἶτα φάγῃ τι· καλεῖ γὰρ καὶ τάνδ',
ὡς φας', ὁπόταν δύο Χαιρεφίλου
σκόμβρους ξενίσῃ μεγάλ' ἡδομένη.

Et ibidem:

ἡ Πυθιονίκη δ' ἀσμενῶς σε δέξεται,
καὶ σοῦ κατεδεῖται τυχὸν ἴσως, ἃ νῦν ἔχεις
λαβὼν παρ' ἡμῶν δῶρ'· ἄπληστός ἐστι γάρ.
ὅμως δὲ δοῦναί σοι κέλευσον σαργάνας
αὐτὴν ταρίχους· εὐπόρως γὰρ τυγχάνει
ἔχουσα, καὶ ξύνεστ' ἀπ' ἠοῦς ἐς δύσιν,
καὶ ταῦτ' ἀνάλτοις καὶ πλατυῤῥύγχοις τισίν.

Ita hic locus scribendus. Denique apud eumdem Athenaeum p. 407. E. ex Icariis Satyris haec afferuntur: ὥστ' ἔχειν οὐδεὲν παρ' ἡμῖν, νυκτερεύσας δ' ἀθλίως, πρῶτα μὲν σκληρῶς καθεύδω, εἶτα Θούδιππος ὁ λέων παντελῶς ἔπηξεν ἡμᾶς, εἶθ' ὁ λιμὸς ἥπτετο ἐφέρετο πρὸς Δίωνα τὸν διάπυρον· ἀλλὰ γὰρ οὐδ' ἐκεῖνος οὐδὲν εἶχε. πρὸς δὲ τὸν χρηστὸν δραμὼν Τηλέμαχον Ἀχαρνέα, σωρόν τε κυάμων καταλαβὼν ἁρπάσας τούτων ἀνέτραγον, ὁ δ' ὄνος ἡμᾶς ὡς ὁρᾷ ὁ Κηφισόδωρος πρὸς τὸ βῆμ' ἐπέρδετο. Haec nemo sane dubitabit, quin comoediam aperte arguant. Numeri autem sunt trochaici:

ὥστ' ἔχειν οὐδὲν παρ' ἡμῖν, νυκτερεῦσαι δ' ἀθλίως,
πρῶτα μὲν σκληρῶς καθεύδοντ'. εἶτα θ' οὔφιππος λεὼς
παντελῶς ἔπληξεν ἥμας, εἶθ' ὁ λιμὸς ἥπτετο,
εἶτ' ἐφέρετο πρὸς Δίωνα τὸν διάπυρον· ἀλλὰ γάρ,
οὐδ' ἐκεῖνος οὐδὲν εἶχε· πρὸς δὲ τὸν χρηστὸν δραμὼν
Τηλέμαχον Ἀχαρνέα, σωρόν τε κυάμων καταλαβών,

ἀρτήσας τούτων ἂν ἔτραγον· ὁ δ᾽ ὄνος ἡμᾶς ὡς ὁρᾷ

ὁ ... Κηφισόδωρος πρὸς τὸ βῆμ᾽ ἐπέρδετο.

Corruptum in his nomen Θούδιππος ὁ λέων mutandum duxi in οὔφιππος λεώς, quod eodem modo dictum, ut apud Aristophanem in Pace v. 921. ὁ γεωργικὸς λεώς. Scilicet equites ea fabula irriserat Timocles, ut recte observavit e fragmento Alexidis apud Athenaeum p. 120. A. Eichstaedtius p. 80. modo ne illud fragmentum corrigere conatus esset:

τοὺς Χαιρεφίλου δ᾽ υἱεῖς Ἀθηναίους, ὅτι
εἰσήγαγεν τάριχος, οὓς καὶ Τιμοκλῆς
ἰδὼν ἐπὶ τῶν ἵππων, δύο σκόμβρους ἔφη
ἐν τοῖς σατύροις εἶναι.

Verum in eo accedere Eichstaedtio vereor, quod satyrorum habitu in scenam productos a Timocle equites putat. Sed ut hoc fecerit Timocles, inde hoc certe non efficietur, ut fabulam, quam reliquiae inde servatae comoediam fuisse ostendunt, ad genus satyricum pertinuisse censeamus.

Sed de his satis. Quod si hos Eichstaedtio eripuimus dramatis comicosatyrici auctores, restat solus Sositheus, (nam Alcaei tragodocomoediam silentio a nobis praeteriri patietur) qui ex isto sit numero eximendus. Atque ipse puto Eichstaedtius eum hinc segregasset, si epigramma Dioscoridis XXIX. inspexisset, e quo argumenta, quibus ista opinio refellatur, evidentissima petere licebat. Celebrat Dioscorides Sositheum tragicum, unum e Pleiade, propter revocatam veterem tragoediam ac satyros. De tragoedia maximam partem epigrammatis intelligendam esse, tum Sophoclis commemoratio ostendit, tum similitudo, quae est huius epigrammatis et eius, quod praecedit. Satyrus enim in utroque loquitur, ut a quo tragoedia originem

duxerit. Sed quae maxime e re nostra sunt, adscribere visum est:

> κἠμέ, τὸν ἐν καινοῖς τεθραμμένον ἤθεσιν ἤδη,
> ἤγαγεν εἰς μνήμην, πατρίδ' ἀναρχαΐσας.
> καὶ πάλιν εἰσώρμησα τὸν ἄρσενα Δωρίδι Μούσῃ
> ῥυθμόν, πρός τ' αὐδὴν ἑλκόμενος μεγάλην,
> εὔαδέ μοι θύρσων τύπος ἐν χερὶ καινοτομηθεὶς
> τῇ φιλοκινδύνῳ φροντίδι Σωσιθέου.

Me, inquit, satyrus tragoediae et satyrici dramatis partes agens, novis iam moribus accommodatum, in memoriam hominum revocavit Sositheus, patriamque Alexandriam ad antiquitatis exemplum conformavit: itaque reduxi masculos Dorici carminis numeros, et ad sonoros versus saltans, renovatos manibus teneo thyrsos audaci poëtae conatu. Τὸν ἄρσενα Δωρίδι Μούσῃ ῥυθμὸν quum dicit, non ubique Doricam linguam adhibitam esse vult, ut putat Iacobsius, sed chori usum restauratum significat. Quae autem sequuntur, πρός τ' αὐδὴν ἑλκόμενος μεγάλην, proxime coniungenda sunt cum sequentibus, mutata constructione eo modo, quem ad Sophoclis Electram v. 480. illustravit Brunckius. Θύρσων praeclarara est Iacobsii emendatio, sed, quod idem volebat reponi, κτύπος, eo non opus est. Colligimus ex illo epigrammate, veterem tragoediae formam a Sositheo instauratam esse, quae instauratio sive aliquem habuit successum, sive in ipso conatu constitit, eam certe vim habet, ut Lytiersam Sosithei ad veterum satyrorum morem expressum esse merito suspicari nobis videamur. Sed quid multa? Ipsa Lytiersae fragmenta adeo nos dubitare non sinunt, quin illud carmen e tragico genere satyrorum fuerit, ut, qui sermonem tragicorum cognitum habeat, fateri cogatur, multo magis tragicum in his Sosithei versibus, quam in Cyclope Euripidis sermonem inveniri. Sed ante-

quam ad ipsa illa fragmenta aggrediar, gratum me Tibi facturum arbitror, Becki, si ea attulero, quae de Lytiersa leguntur in Photii lexico MS. *Λιτύερσαν ᾠδήν τινα, ἣν ᾄδουσιν οἱ θερίζοντες ὡς ἐπίσημόν τινα γεγονότα τῶν παλαιῶν τὸν Λιτύερσαν ἀνακαλούμενοι. ἦν δὲ οὗτος μὲν δανὸς* (scripsit *Μίδου υἱός*) *νόθος. οἰκῶν δὲ ἐν Κελαιναῖς τῆς Φρυγίας τοὺς παριόντας ἠνάγκασεν* (scribi debet *ἠνάγκαζεν*, ut infra) *σὺν αὐτῷ θερίζειν. Εἶτα ἀποκόπτων τὰς κεφαλὰς τῷ δρεπάνῳ τὸ λοιπὸν σῶμα τοῖς δράγμασιν ἐνειλῶν ᾖδεν. Ἀνῃρέθη δὲ ὑπὸ Ἡρακλέους. ἡ δὲ ᾠδὴ βάρβαρος. Φρύγες γὰρ αὐτὴν ᾖδον. Λιτυέρσης εἶδος ᾠδῆς. Μένανδρος Χαλκηδονίῳ·*

ᾄδοντο Λιτυέρσην ἐπ' ἀρίςου τέως.

οἱ δὲ αὐλήσεως γένος. Μήδου δὲ ἦν ὁ Λιτυέρσης νόθου υἱός. κατοικῶν δὲ ἐν Κελαιναῖς τοὺς παριόντας ὑποδεχόμενος ἠνάγκαζεν μετ' αὐτοῦ θερίζειν. εἶτα ἀποκόπτων τὰς κεφαλὰς τὸ ἄλλο σῶμα συνείλει ἐν τοῖς δράγμασιν. Ἀπέθανε δὲ ὑπὸ Ἡρακλέους. εἰς τιμὴν δὲ τοῦ Μήδου θεριστικὸς ὕμνος ἐπ' αὐτῷ συνετέθη.

Iam ipsum Lityersae prologum sic afferam, ut ego eum scribendum existimo.

Αἵδ' αἱ Κελαιναί, πατρίς, ἀρχαία πόλις,
Μίδου γέροντος, ὅςτις ὦτ' ἔχων ὄνου
ἤνασσε, καὶ νοῦν Φωτὸς εὐήθους ἄγαν.
οὗτος δ' ἐκείνου παῖς, πατρὶ πλαςὸς νόθος,
μητρὸς δ', ὁποίας ἡ τεκοῦσ' ἐπίσταται,
ἔσθει μὲν ἄρτου τρεῖς ὄνους κανθηλίους
τρὶς τῆς βραχείας ἡμέρας, πίνει θ' ἅμα
καλῶν μετρητὴν τὸν δεκάμφορον πίθον.
ἐργάζεται δ' ἐλαφρὰ πρὸς τὰ σιτία,
ὄγμους θερίζων· τῇ μιᾷ δ' ἐν ἡμέρᾳ
Διόνυσον ὄμπνῃ συντίθησιν εἰς τέλος.
Χὤταν τις ἔλθῃ ξεῖνος ἢ παρεξίῃ,

Φαγεῖν

Φαγεῖν τ᾽ ἔδωκεν, εἶτα κἀπεχόρτασεν,
καὶ τοῦ πότου προὔτεινεν, ὡς ἂν εὐ θέρει,
πλέον· φθονεῖν γὰρ τοῖς θανουμένοις ὀκνεῖ.
ἐπισκοπῶν δὲ πεδία Μαιάνδρου ῥοαῖς
κηπευμάτων ἀρδευτὰ δαψιλεῖ πότῳ,
τὸν ἀνδρομήκη πυρὸν ἠκονημένῃ
ἅρπῃ θερίζει· τὸν ξένον δὲ δράγματι
αὐτῷ κυλίσας, κρατὸς ὀρφανὸν φέρει,
γελῶν θεριστήν, ὡς ἄνουν ἠρίστισεν.

In huius fragmenti emendatione Eichstädtius ut caeteris audacior, ita etiam aliquanto infelicior fuit. Ac primum quidem quum recte intellexisset, prologi partem esse hos versus, non debebat eos, mea quidem sententia, a principio prologi, quod intercidisse putat, removere. Nam quod ait, *οὗτος* v. 4. a spectatoribus non potuisse intelligi, nisi quis antea de Lytiersa interrogasset, minime verum est. Quippe hic vel adstare in scena poterat, ita ut ab eo, qui prologum ageret, ostenderetur spectatoribus, vel, quod magis credibile est, vino somnoque oppressus conspiciebatur. Nam *οὗτος* non poterat nisi de praesente dici. Quo minus opus est, ut aliquam interrogationem excidisse censeamus: quae etiam si adesset, non potuisset *οὗτος*, nisi praesente Lytiersa, responderi. At vero illa loci demonstratio, qua hoc fragmentum incipit, adeo propria est principiis prologorum, ut, qui vel Sophocleae Electrae meminerit, dubitare vix possit, quin ipsum hic ante oculos habeamus Lytiersae exordium. Ac quod v. 5. Eichstaedtius aliquem interrogare facit *μητρὸς δ᾽ ὁποίας*; multo magis miror, eum adeo exiguam non modo venustatis, verum etiam Graecae linguae curam habuisse. Nam quis interroget id, quod interrogare nihil attinet? aut quis *μητρὸς δ᾽ ὁποίας* dicat, quod Graeci homines *μητρὸς δὲ ποίας* dicebant?

Immo omnis versus eiusdem verba continet, qui reliqua narrat. Hic quum matris Lytiersae nomen ignoraret, apte, ut in satyrico carmine, eam rem ad risum traduxit.

V. 4. equidem non intelligo, quo pacto περίπλαστος aut παράπλαστος possit spurium significare. Quamobrem scribendum existimavi πατρὶ πλαςὸς νόθος. Manifesta in his imitatio Sophoclis est: emendatio autem facilitatem habet summam, quandoquidem πατρὶ in codd. Mss. per πρι lineola supra scripta indicari constat. Neque enim νόθος expulerim. Non idem est, ἐκείνου παῖς νόθος, πλαςὸς πατρί, quod ad numeros quidem elegantius foret, et ἐκείνου παῖς, πατρὶ πλαςὸς νόθος. Nam in his, ἐκείνου παῖς νόθος, πλαςὸς πατρί, νόθος adiectivum est, ut inutilia sint quae sequuntur: in his autem, ἐκείνου παῖς, πατρὶ πλαςὸς νόθος, νόθος substantivum est, et significat omnino spurium, a quo diversum est, quod additur adiectivi loco, πατρὶ πλαςός, i. e. huic Lytiersae suppositus.

V. 6. in Arnaldi coniectura acquiescendum puto. Nam Eichstaedtii correctio, ἄρτους τρεῖς ὄνου κανθηλίου, non modo vehementer ambigua est, quum non appareat, utrum tres panes an singuli dicantur onus esse asini clitellarii, sed etiam ineptam panum istorum magnitudinem indicat, quoniam, si ita parvi sunt, ut clitellis imponi possint, plures poterunt quam tres imponi; sin autem paullo maiores sunt, non possunt omnino imponi clitellis. Quid ergo asini clitellarii mentio fit? Quamobrem multo commodior Arnaldi correctio est, onus tantum, non magnitudinem panum, indicans.

V. 10. θερίζει in θερίζων mutavi. Ὄγμους autem θερίζειν quum dici non posse videbatur Eichstaedtio

quia Valckenarius ad decem idyllia Theocriti p. 152. dubitet, an ὄγμος simpliciter segetem significare nequeat, non observavit diversam esse Theocritei loci rationem, in quo Musgravius non de ordine aristarum, sed de laeta segete omnino ὄγμον dici putabat. Verum ὄγμός uti proprie sulcum significat, ita deinde usurpatur etiam de segete, plantis, arboribus ordine, quasi in sulco, satis: id quod idonea locorum multitudine demonstrarunt H. Stephanus in indice Thesauri, et interpretes Hesychii. Inde ὄγμον ἄγειν de messoribus apud Theocritum X. 2. et ἐλαύνειν apud Homerum Iliad. XI. 68. Photius in lexico Ms. ὄγμος, ἡ κατὰ στίχον ἔφοδος τῶν θεριστῶν. καὶ ὄγμοι σταχύων. Itaque ὄγμους θερίζειν non est segetem demetere, sed sulcorum ordinem sequi metendo. Similis est celebratus plurimorum scriptorum commemoratione Aeschyli locus in Septem contra Thebas:

βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενῶν καρπούμενος,
ἀφ' ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.

Quae sequuntur, in iis non attinet temerarias doctorum virorum coniecturas refellere, ubi multo lenior medicina eas reddit superfluas. Eius lectionis, quam supra posui, sensus et aptissimus et facillimus est. Sunt etiam dies, inquit, quibus ille Bacchum cibo a mane usque ad vesperam coniungit. Hesychius: ὄμπνη, τροφή.

V. 13. quae viri docti coniecerunt, partim longius a codicis lectione recedunt, partim ab elegantia dictionis haud sane magnam habent commendationem. Nostra emendatio et mutationem exigebat levissimam, et ad sensum est accommodatissima. Cibum, inquit, apponere solet: mox etiam saginat. Nec mirum videri debet τὲ sequente εἶτα. Non enim nimis in harum usu particularum diligentes sunt Graeci, sed haud raro,

aliam particulam, quae quidem ad sensum eamdem vim habeat, unil illarum substituunt. Ita Sophocles in Oedipo Rege v. 367.

πρὶν μὲν γὰρ αὐτοῖς ἦν ἔρως, Κρέοντί τε
θρόνους ἐᾶσθαι, μηδὲ χραίνεσθαι πόλιν.

V. 16. et seqq. mira quum aliorum, tum maxime Eichstaedtii audacia nescio an corrupti magis, quam emendati fuerint. Quam ego supra posui lectionem, ea eiusmodi est, ut conatibus illis omnibus minime indigeamus, nec quidquam sit, quod aut obscurum aut ambiguum videri queat. Campos, inquit, invisens, a Maeandri fluentis largo rigatos frugum potu. Κηπεύματα vocabulum est saepius ab antiquis scriptoribus adhibitum. Pollux VII. 140. iungit κήπους et κηπεύματα. Idem I. 222. φυτεύματα, μοσχεύματα, κηπεύματα. Vnde Munthius in specimine defectus lexicorum non male coniicit, κηπεύματα etiam fructus hortenses significare. De hortis adhibuerunt Diodorus Sic. III. 44. et Athenaeus p. 682. D. Incertum, utrum de hortis an de frugibus, Aristophanes in Avibus v. 1099.

ἤρινά τε βοσκόμεθα
παρθένια λευκότροφα
μύρτα Χαρί-
των τε κηπεύματα.

Et Diodorus Sic. II. 37. χωρὶς δὲ τούτων ἄλλο πλῆθος ποταμῶν παντοδαπῶν διαῤῥεῖ, καὶ ποιεῖ κατάῤῥυ τὸν πολλοῖς κηπεύμασι καὶ καρποῖς παντοδαποῖς τὴν χώραν. Hic quidem fruges commode intelligentur. Ac verbum κηπεύειν maxime de frugibus humore nutriendis usurpatur: v. Valcken. ad Eurip. Hippol. p. 173. b. Lectio καρπευμάτων inde nata videtur, quod quis explicationis caussa καρπῶν adscripserat. Reliquorum verborum facillima est explicatio. Neque enim quemquam ita in-

venustum fore arbitror, ut πυρὸν ἀνδρομήκη de hospite intelligat, cuius interpretationis ne mentionem quidem facerem, nisi fuisset, cui ea in mentem veniret.

In altero fragmento (nam verba, ὅτι δὲ ἀπέθανεν ὑφ' Ἡρακλέους φησὶ λέγων, manifesto scholiastae sunt) equidem non possum satis mirari, qui sibi interpretes in animum inducere potuerint, litteras πυθιο partem esse vocabuli πυθιονίκης. Namque, ut de metro taceam, quid tandem caussae sit, quare hoc in loco Hercules πυθιονίκης dicatur? aut quis adeo sagax sit, ut, si quem nominari Pythicum victorem audiat, eum Herculem magis, quam quemvis alium esse intelligat? Profecto huiuscemodi commenta miram arguunt ingenii paupertatem. Si hic de urbe Pythone omnino cogitandum censebant interpretes, quidni ὁ πυθοχρήστης reponere in mentem venit? Poterat certe a Pythico oraculo Hercules Lytiersae occisor praedictus esse, ut facile, ubi πυθοχρήστης vocaretur, Herculem agnoscere aliquis posset. Verum nec constat de eiusmodi oraculo quidquam, nec veri similis emendatio foret. Immo ita videtur scripsisse Sositheus:

A. θανὼν μὲν εἰς Μαίανδρον ἐῤῥίφη ποδός,
ὥσπερ σόλος τις. ἦν δ' ὁ δισκεύσας ἀνὴρ —
B. τίς δή; A. πύθοι' ἄν. τίς γὰρ ἀνθ' Ἡρακλέους;

Dalecampii correctionem, σόλος τις ὥσπερ, quod ad verba ipsa attinet, verissimam arbitror, sed debebant recentiores critici ordinem verborum mutare. Quis enim credat, duriorem collocationem placuisse Sositheo, ubi lenior in promptu esset? Ac δίσκος, quod post ὥσπερ legitur in codice, quum sit interpretatio nominis σόλος, aperte huius veram sedem indicat.

XI.

Frid. Guil. Sturzii, Prof. Gymn. Gerani Animaduersionum in Empedoclis carmina Specimen II.

Audeo iam alia nonnulla, quae me torserunt et torquent, cum eruditis lectoribus communicare, atque, ut suam de illis sententiam mihi ne inuideant, humanissime rogo. *Aristoteles* 1), Ἐμπεδοκλῆς, inquit, Φησὶ ἐν τῷ ἄῤῥενι καὶ ἐν τῷ θήλει οἷον σύμβολον εἶναι, ὅλου δ' ἀπ' οὐδετέρου ἀπιέναι·

ἀλλὰ διέσπασται μελέων Φύσις, ἡ μὲν ἐν ἀνδρός.

Deinde verbis sat multis interiectis: Ἐμπεδοκλῆς λέγει·

ἐν δ' ἐχύθη καθαροῖσι· τὰ δὲ τελέθουσι γυναῖκες
ψύχεος ἀντιάσαντα.

Voluit igitur Empedocles, si Aristoteles eius mentem recte explicuit, his versibus significare, semen vtrique animalium sexui esse commune, non totum ab alterutro proficisci, atque ideo comparari recte posse cum tessera hospitali, quam constat ab hospitibus in duas partes dissectam diffractamue fuisse, vt vterque dimidiam acciperet, vel, vt *Censorinus* 2) dicit, non ex patris tantummodo semine partum nasci, sed etiam ex matris. Eodem fere modo exponit *Galenus* 3): ὁ Ἐμ

1) de generat. anim. 1, 18.
2) de die natali c. 5. p. 29. ed. *Hauercamp.*
3) de semine 2, 7. T. I. opp. p. 241, 47. ed. Basil.

πεδοκλῆς διεσπᾶσθαι φησὶ τὰ τοῦ γεννηθησομένου μόρια· καὶ τὰ μὲν ἐν τῷ τοῦ ἄῤῥενος σπέρματι, τὰ δ' ἐν τῷ τῆς θηλείας περιέχεσθαι. Etiam alii, quos hic recensere omnes, non est necesse. Alii vero interpretantur sic, vt Empedocles statuisse dicatur, eas corporis siue seminis partes, quae marem effingunt, contineri calidiore sanguine, frigidiore autem, quae feminam, vel illas calido vtero, has frigido, v. c. ipse *Aristoteles* [4]: Ἐμπεδοκλῆς τὰ μὲν εἰς θερμὴν ἐλθόντα τὴν ὑστέραν, ἄῤῥενα γίνεσθαί φησι· τὰ δὲ εἰς ψυχρὰν, θήλεα. Et sane verba Empedoclis intelligi sic possunt. Nam μελέων φύσις accipi potest pro μέλη, et καθαρὰ, nempe ψύχεος, *a frigore pura*, possunt significare, *partes calidas* vteri, vt τὰ ψύχεος ἀντιάσαντα i. q. τὰ ψυχρά. Maximam autem difficultatem peperit Aristotelis minus accurata in afferendis Empedoclis versibus ratio, quam *Iohannis Philoponi* [5]) verbis declarare lubuit: καθαρώτερα καὶ [6]) θερμότερα, ἀφ' ὧν τὰ ἄῤῥενα γίνεται, ψυχρότερα δὲ τὰ ἀφ' ὧν τὰ θήλεα. λέγει δὲ τοῦτο καὶ Ἐμπεδοκλῆς. ἀσαφῶς δὲ τέθεικε (Aristoteles) τὰ τοῦ Ἐμπεδοκλέους, διὰ τὸ μὴ ὁλόκληρα ἀπαγγεῖλαι τὰ ἔπη, ἀλλὰ μόνας αὐτῶν τὰς ἀρχὰς, καὶ ταύτας οὐκ ἀπὸ τῶν ἐφεξῆς ἀλλήλοις ὄντων στίχων, ἀλλὰ πόῤῥω ἀπ' ἀλλήλων ὄντων. Mihi tamen vix dubium est, quin Empedocles statim post versum ἀλλὰ — ἀνδρὸς posuerit reliquos, qui supra a me exhibiti sunt. Sed aeque certum videtur, versus istos esse corruptos. Primo enim valde me offendit praepositio ἐν ante genitiuum ἀνδρὸς, et sententia postulat, opinor, vt legas τἀνδρὸς, h. e. τοῦ ἀνδρός. Non minus displicet, quod

4) de generat. animm. 4, 1.

5) ad Aristot. de generat. animall. 1, fol. 17. a.

6) καὶ h. l. vt saepius, est i. q. τουτέστι.

δὲ extat ante ἐχύθη, atque adeo pro ἐν δ' ἐχύθη legerim ἐγκέχυται. Denique pro καθαροῖσι pene malim θερμοῖσι, quanquam supra ostendi, etiam καθαροῖσι defendi posse, et pro δὲ τελέθουσι rescribendum puto δ' ἐκτελέθουσι, quo verbo alias vtitur Empedocles, quoniam δὲ non solet produci. Multa alia ad hunc locum spectantia reperies, lector, in ipso illo, quod paro, de Empedocle opere. Hic sufficiat, totum locum ex emendatione mea repetiisse:

ἀλλὰ διέσπασται μελέων φύσις. ἡ μὲν τἀνδρὸς,
ἐγκέχυται θερμοῖσι· τὰ δ' ἐκτελέθουσι γυναῖκες
ψύχεος ἀντιάσαντα.

Vbi verborum ἡ μὲν — ἀντιάσαντα hic est ordo: ἡ μὲν τοῦ ἀνδρὸς φύσις, ἐγκέχυται θερμοῖσι· τὰ δὲ ψύχεος ἀντιάσαντα, ἐκτελέθουσι γυναῖκες.

Apud *Plutarchum* [7]) leguntur haec: αἱ κύνες, ὥς φησιν Ἐμπεδοκλῆς,

κέμματα θηρείων μελέων μυκτῆρσιν ἐρευνῶσαι,

τὰς ἀποῤῥοίας ἀναλαμβάνουσιν, ἃς ἐναπολείπει τὰ θηρία τῇ ὕλῃ. In his patet κέμματα, quod est vocabulum nihili, per librariorum incuriam ortum esse. Sed participium ἐρευνῶσαι, quod metri leges non ferunt, videtur ipse Plutarchus perspicuitatis causa substituisse poëtico cuidam. Vide iam, an hoc modo versus possit restitutus existimari:

κόμματα θηρείων μελέων μυκτῆρσι μαίουσαι.

Ita κόμματα interpretarer *notas*, *vestigia*, et θήρεια μέλη poëtice dictum est pro θηρία. De his sperabam facile quemlibet mecum consensurum. De verbo μαίουσαι autem habebo forsitan, qui dissentiant. Hi igi-

---

7) quaestt. naturr. T. II. opp. p. 917. E. ed. *Wechel.*

tur vt velint meliora me docere, vehementer rogo. Nimirum primo quidem putaui ab Empedocle dici potuisse *μῶσαι*, a verbo *μάω*, vt *τιμῶσαι* et *ἐρευνῶσαι* descendunt a verbis *τιμάω* et *ἐρευνάω*, atque illud *μῶσαι* explicabam *quaerentes*, *inuestigantes*. *Hesych*: *μῶται· ζητεῖ.* Sed deinde, cum vidissem, ex hac ratione non solum *μυκτῆρσιν* scribendum esse, licet consonante sequente, verum etiam quintam regionem occupare spondeum: praetuli *μυκτῆρσι μαίουσαι*, eodem sensu, quia sic versus fluit facilius. *Hesych*: *μαίεσθαι· ζητεῖν, ἐρευνᾶν.* Cf. *Helladii* chrestomath. p. 8. ed. *Meurs.* et *Eustath.* ad Odyss. ξ, p. 1763, 29. ad Il. α, p. 9.

Ita quidem olim hunc versum emendandum putaueram. Sed postea vidi, veram lectionem ab eodem *Plutarcho* seruatam esse alio loco 8), quamuis omisso Empedoclis nomine. Verba sunt: *οἱ κυνηγοὶ τοὺς σκύλακας οὐκ ἐῶσιν ἐκτρέπεσθαι καὶ διώκειν πᾶσαν ὀδμὴν, ἀλλὰ τοῖς ῥυτῆρσιν ἕλκουσι καὶ ἀνακρούουσι, καθαρὸν αὐτῶν καὶ ἄκρατον φυλάττοντες τὸ αἰσθητήριον ἐπὶ τὸ οἰκεῖον ἔργον, ἵνα εὐτονώτερον ἐμφύηται τοῖς ἴχνεσι,*

τέρματα θηρίων μελέων μυκτῆρσιν ἐρευνῶν.

Nullus editorum obseruauit, esse Empedoclis locum. Vnus *Reiskius* vidit, *θηρίων* mutandum esse in *θηρείων*. Et ego sane versum arbitror ita legendum:

τέρματα θηρείων μελέων μυκτῆρσιν ἐρευνῶν.

Participium enim refero ad nomen *σκύλαξ* vel *κύων*, quod haud dubie apud Empedoclem praecessit, et cum *τέρμα* proprie sit *finis*, *extremitas*, *τέρματα θηρείων μελέων* per audaciam quandam poeticam significare posse censeo *ferarum vestigia*. Caeterum iam *Reinesius* 9)

8) de curiositate c. 11.

9) varr. lectt. 1, 19. p. 73.

ostendit, versus Empedocleos ea dignitate et aestimio fuisse, vt cum Homeri et Hesiodi carminibus compararentur, et inter haec a rhapsodis recitari mererentur, atque hinc euenisse, vt versus illi magis quam auctores eorum noti essent, et saepe suppresso auctoris nomine laudarentur.

Apud *Theophrastum* 10) haec extant: εἰ καὶ συνεχῶς ὁ ἀὴρ ἀκολουθοίη τούτοις ἴσως, οὐδὲ τὰ παρὰ τῶν ποιητῶν λεγόμενα δόξειεν ἀναλόγως ἔχειν, οὐδ', ὡς Ἐμπεδοκλῆς, ἀείφυλλα καὶ ἐμπεδόκαρπά φησι θάλλειν, καρπῶν ἀφθονίῃσι κατ' ἠέρα πάντ' ἐνιαυτόν· ὑποτιθέμενος τινὰ τοῦ ἀέρος κρᾶσιν τὴν ἠρινὴν κοινήν. Et apud *Plutarchum* 11): τὸ δ' ἀειθαλὲς τοῦτο, καί, ὥς φησιν Ἐμπεδοκλῆς, ἐμπεδόφυλλον, οὐκ ἔστι θερμότητος. Ex his locis erui versus sequentes:

θάλλει δένδρεα ἐμπεδόφυλλα καὶ ἐμπεδόκαρπα
καρπῶν ἀφθονίῃσι κατ' ἠέρα πάντ' ἐνιαυτόν.

Si cui tamen lectio Theophrastea potior videatur, scribat ille αἰείφυλλα. Quod vero δένδρεα addidi, nemini, opinor, improbabitur. Nam de arboribus solis, non de omnibus plantis, exposuisse Empedoclem, diserte dicit *Theophrastus* 12). Verterim igitur: *Arbores semper frondentes et perpetuo fructus ferentes florent fructuum vbertate quotannis verno tempore.* Intelligi autem debent non arbores omnes, sed palmae, φοίνικες, quae non solum longissimi inter arbores cunctas aeui feruntur esse, verum nec folia vnquam abiice-

---

10) de causis plantarum 1, 14.
11) sympos. 2, 2.
12) in opere laudato 1, 7.

re [13]). Sed καρπῶν ἀφθονίῃσι θάλλειν, *praecipue vberes fructus ferre*, dicuntur palmae κατ' ἠέρα, quae verba vertenda putaui *verno tempore*, quamuis non ignorarem, ἠέρα alias esse accusatiuum nominis ἠὴρ, h. e. ἀὴρ, non ἦρ, et quamuis probe scirem, ἦρ, vt Latinum *ver*, esse generis neutrius. Nam cum etiam ἠερινὸς dicatur pro ἠρινὸς, *vernus*, potest ἠέρα deriuari ab ἠήρ, quod potest Empedocles aeque recte in masculino dixisse pro ἦρ, ac σφαῖρον dixit in neutro pro σφαῖρος [14]). Certe non satis mihi placet, vt verba κατ' ἠέρα πάγτ' ἐνιαυτὸν explicentur *in aëre per totum annum*, praesertim quia verba κατ' ἠέρα sic nimis frigerent, et quia Theophrastus ipse videtur de vere intellexisse.

Idem *Theophrastus* [15]) τὰ ἐναντία dicit ἐν ταῖς ἐναντίαις (πρ. χώραις) δύνασθαι διαμένειν· τὰ μὲν θερμὰ ἐν ταῖς θερμαῖς, τὰ δὲ ψυχρὰ ἐν ταῖς ψυχραῖς. οὕτω γὰρ εὐθὺς καὶ τὴν φύσιν γεννᾷν, ὡς ὑπὸ μὲν τοῦ ὁμοίου φθειρομένων διὰ τὴν ὑπερβολὴν, ὑπὸ δὲ τοῦ ἐναντίου σωζομένων, οἷον εὐκρασίας τινὸς γενομένης. ὥσπερ καὶ Ἐμπεδοκλῆς λέγει περὶ τῶν ζώων. τὰ γὰρ ὑπέρπυρα τὴν φύσιν ἄγειν εἰς τὸ ὑγρόν. Et alio loco [16]): οὔτε γεννᾷν, οὔτε εὖ τρέφειν, οὔτε σώζειν πέφυκε τὸ ἐναντίον, ἀλλὰ τὸ ὅμοιον. ἐπεὶ καὶ Ἐμπεδοκλεῖ πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ τοῦτ' ἄτοπον, ὅπερ καὶ ἐν ἑτέροις εἴρηται, τὰ γεννήσασαν τῷ ξηρῷ τὴν φύσιν μεταίρειν εἰς τὸ ὑγρόν. Vterque

---

13) v. *Cael. Rhodigin.* lectt. antiqq. 5, 6. et *Plin.* H. N. 16, 20. Cf. 13, 4. vbi dicit, semper frutici pomum esse subnascente alio.

14) v. quae dixi in prima horum Commentariorum parte p. 28.

15) de causis plantarum 1, 26.

16) ibid. 1, 27.

locus quin corruptus sit, vix dubitari videtur posse. Nam in priore transposita a librariis arbitror verba θερμαῖς et ψυχραῖς, atque ideo sic rescribendum: τὰ μὲν θερμὰ ἐν ταῖς ψυχραῖς, τὰ δὲ ψυχρὰ ἐν ταῖς θερμαῖς. Alias enim τὰ ἐναντία non versari dicerentur ἐν ταῖς ἐναντίαις χώραις, quod tamen dicere debuit Theophrastus. In altero loco, pro Ἐμπεδοκλεῖ videtur vel Ἐμπεδοκλέους legendum, vel παρ' Ἐμπεδοκλεῖ. Verum nec dubito, quin in postremis vtriusque loci verbis lateat versus Empedoclis, fortassis ita constituendus:

γεννήσασα φύσις μετάγει τὸ ξηρὸν ἐς ὑγρόν.

Et e priore loco sic:

ἥ γε φύσις τὰ ὑπέρπυρ' ἄγει εἰς ὕδατα ψυχρά.

Vel hoc modo:

ἥ γε φύσις μετάγει τὰ ὑπέρπυρ' ἐς ὕδατα ψυχρά.

Apud *Proclum* [17]) haec leguntur: ὑπὸ γῆς ῥύακές εἰσι πυρὸς, ὥς που φησὶ καὶ Ἐμπεδοκλῆς·

πολλὰ δ' ἔνερθε οὔδεος πυρὰ καίεται.

καὶ οὐ δεῖ θαυμάζειν, πῶς οὖν ἐν ὕδατι ὂν τὸ πῦρ οὐ σβέννυται· χωρεῖ γὰρ πάντα δι' ἀλλήλων, καὶ ἔστι τὸ ἐπικρατοῦν ἄλλο ἐν ἄλλοις. καί ἐστι καὶ τὸ φῶς πῦρ, διϊὸν διὰ πάντων. Quomodo hic versus Empedocleus sit emendandus, prorsus non liquet. Nam si respicimus ad haec *Procli* verba: ὑπὸ γῆς, pro quibus malim ὑπὸ γῇ, genuinum videtur nomen οὔδεος, et locus philosophi nostri pertinere putandus est ad thermarum siue aquarum calidarum causam. Harum enim originem ita Empedocles explicabat, auctore *Seneca* [18]), vt existimaret, ignibus, quos multis locis terra opertos

---

17) ad Timaeum 3, p. 141. ed. Basil. 1534. fol.

18) naturall. quaestt. 3, 24.

tegit, aquam calescere, si subiecti sunt *solo*, per quod aquis transcursus est. Tum vero non nisi per συνίζησιν quandam mederi ego quidem versui possem, vt legas:

πολλὰ δ' ἔνερθ' οὔδεος πυρὰ καίεται.

Multo facilior est medela, si cogitamus de his *Procli* verbis: ἐν ὕδατι ὂν τὸ πῦρ. Tum enim rescribi sic potest:

πολλὰ δ' ἔνερθ' ὕδεος πυρὰ καίεται,

et aqua subterranea intelligi. Vt autem plenus existat hexameter, potes facile, vtramcunque rationem sequaris, aduerbium αἰεὶ in fine addere, quod absorberi potuit vel ab vltima syllaba verbi καίεται, vel a sequente particula καί. Caeterum in verbis *Procli*: χωρεῖ γὰρ et sequentibus, vel rursus latet versus Empedoclis, vel saltem alluditur ad hos, qui iam aliunde noti sunt:

ἐν δὲ μέρει κρατέουσι περιπλομένοιο χρόνοιο.
αὐτὰ γάρ ἐστι γε ταῦτα. δι' ἀλλήλων γε θέοντα etc.

Plutarchus 19) τῆς μὲν πορφύρας, inquit, ὁ κύαμος, τῆς δὲ κόκκου τὸ νίτρον δοκεῖ τὴν βαφὴν ἄγειν μεμιγμένον· βύσσῳ δὲ γλαυκῆς κρόκου καταμίσγεται, ὡς Ἐμπεδοκλῆς εἴρηκε. *Xylander* iam vidit, vitiose scriptum esse hunc locum, atque adeo legendum putabat:

βύσσῳ δὲ γλαυκοῖο κρόκου καταμίσγεται αἶθος.

At quis, quaeso, vidit crocum glaucum s. caesium? Βύσσος autem, ante quam colore tingatur, recte γλαυκὴ vocari potest, quo adiectiuo ad istud substantiuum relato cadit etiam illa difficultas, quam ipse Xylander inesse vidit suae emendationi, quod alias κρόκου non

---

19) de defectu oraculorum T. II. opp. p. 433. B.

dicitur genere feminino. Itaque mihi sic rescribendum videbatur:

βύσσῳ δὲ γλαυκῇ τὸ κρόκου καταμίσγεται ἄνθος.

Articulum ante κρόκου posui, vt versui consuleretur, quia κρόκον s. κρόκος priorem syllabam habet breuem. Potuit autem τὸ facile a syllaba sequente absorberi. Denique ἄνθος necessarium videbatur ob genitiuum κρόκου. Intelligo autem ἄνθος de colore.

In fine libelli *Aristotelici* de insecabilibus lineis reperiuntur haec: ἡ γραμμὴ καὶ τὸ ἐπίπεδον, ἄρθρα ἔσονται· ἀνάλογον γὰρ ἔχουσιν· ὅτι τὸ ἄρθρον διάφορόν πως ἐστί. διὸ καὶ Ἐμπεδοκλῆς ἐποίησε, διὸ δεῖ ὀρθῶς. Quae manca esse et corrupta, quilibet perspicit. *Iulius Martianus Rota* vertit sic: „Si lineam statuamus articu„los, superficiem quoque articulos concedamus opor„tet, idcirco, quia proportionem inter se seruant. „Praeterea articulus quodammodo differentia est, quam„obrem Empedocles in suis carminibus inquit:

„Articulis semper constat iunctura duobus."

Iam si ponamus, Rotam in vertendo vsum esse codice pleniore, fortassis ille pro verbis διὸ δεῖ ὀρθῶς inuenit hunc versum:

ἐξ ἄρθροιν δὲ δυοῖν καρπὸς συντάσσεται αἰεί.

Viri docti, quibus librorum manuscriptorum copia est, optime huic loco subuenient, quod vt faciant, vehementer etiam atque etiam rogo.

Origenes 20) e Celso refert haec vt Empodoclea:

γινομένην παντοίαν διὰ χρόνον ἰδέαν θνητῶν.

Hic primo non est quod accusatiuis offendaris. His

---

20) contr. Cels. 8, 53.

enim vti debebat Origenes, quia Celsi verba refert oratione obliqua. Pro διὰ χρόνων forsitan rectius legas διὰ χρόνου, *ex aliquo temporis interuallo.* Si tamen διὰ χρόνον seruare malueris, debebis explicare: *pro temporis ratione.* Quid vero reliquis verbis faciamus? Num forte sic in versum redigemus?

εἴδεα τῶν θνητῶν παντοῖα διὰ χρόνου ὄντα.

An totum locum expressum putabimus ex his Empedocleis:

τῶν δέ τε μισγομένων, χεῖτ' ἔθνεα μυρία θνητῶν,
παντοίαις ἰδέῃσιν ἀρηρότα θαῦμα ἰδέσθαι 21).

In nobili loco *Diogenis Laertii* 22) praeter alios extant hi versus Empedoclis:

— — παλίντιτα πνεύματ' ἐπάξεις,
θήσεις δ' ἐξ ὄμβροιο κελαινοῦ καίριον αὐχμὸν
ἀνθρώποις, θήσεις δὲ καὶ ἐξ αὐχμοῖο θερείου
ῥεύματα δενδρεόθρεπτα, τὰ δ' ἐν θέρει ἀήσαντα.

Vbi nunc quidem, praetermissis caeteris difficultatibus, non nisi de participio ἀήσαντα dicere placet. Hoc enim inprimis me vexat, quia flumina non dici possunt *spirare* s. *flare*, et tamen, si ἀήσαντα referas ad πνεύματα, nimis remotum videtur hoc subiectum. Quare cogitabam aliquando de participio illo in αὐανθέντα, *exsiccata*, mutando. Sane varie legitur locus. *Suidas* 23) habet τά τ' ἐν θέρει ἔσονται, e qua lectione intelligi fortasse possint *imbres*. *Tzetzes* autem 24) exhibet τά τ' αἰθέρινα θήσονται. Quoniam vero nihil horum omnium

---

21) Extant ap. *Simplic.* ad *Aristot.* phys. 1, fol. 7. b.
22) 8, 59.
23) in v. ἄπνους.
24) chill. 2, 913.

mihi probari poterat; veni tandem in hanc opinionem, vt quaerendum putarem, annon ῥεύματα ἐν θέρει ἀϋ-σαντα significare possent *fluenta quae tempore aestiuo vapores exhalare solent.*

In scholiis ad Platonem, quae *Siebenkeesii* 25) diligentiae debemus, reperiuntur haec: δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν· ὅτι χρὴ περὶ τῶν καλῶν πολλάκις λέγειν. Ἐμπεδοκλέους τὸ ἔπος, ἀφ' οὗ ἡ παροιμία. Φησὶ γὰρ,

καὶ δὶς γὰρ ὁ δὲ καλόν ἐστιν, ἐνισπεῖν.

Corrupto huic versui nihil auxilii aduenit ex *Olympiodori* ad Platonis Gorgiam scholiis, quae extant in bibliotheca episcopali Cizensi, et quorum beneuolam collationem gratus debeo humanitati virorum doctissimorum, Mülleri et Siebelisii. Videtur autem versus ita posse restitui:

δὶς γὰρ καὶ τρὶς δεῖ, ὅ τι δὴ καλόν ἐστιν, ἐνίσπειν.

Per eandem occasionem emendare liceat haec verba *Plutarchi* 26): δεῖ παρ' ὃ δὴ καλόν ἐστιν, ἀκοῦσαι, κατὰ τὸν Ἐμπεδοκλέα. Oportet enim reponere γὰρ pro παρ'. In reliquis nihil hic muto, quia Plutarchus non totum versum Empedocleum videtur afferre voluisse, sed tantum ad illum allusisse. (Ruhnken. in Schol. Plat. dedit p. 124. καὶ δὶς γὰρ, ὃ δεῖ, καλόν ἐστιν ἐνίσπειν).

Coronidis loco adieci nonnullos versus Empedocleos insigniter deprauatos et prorsus metro solutos, partim vt appareret, quantis molestiis me iniecerim, dum

---

25) in anecdotis Graecis, editis Norimb. 1798. 8. p. 33.

26) non posse suauiter vivi secundum Epicurum T. II. opp. p. 1103. F.

dum Empedoclea restituendi consilium cepi, partim vt viris doctis occasionem praeberem, praeclare merendi de philosopho Agrigentino. Apud *Simplicium* 27), praeter alia, quae iam satis extricasse mihi videbar, extricanda restant ista: ὑπὸ τοῦ Ἐμπεδοκλέους λέγεται —,

γυμνοὶ μεμόρφωνται οἱ βραχίονες χωρὶς ὤμων,
ὀφθαλμοὶ δὲ τοιοῦτοι ἐπλάσθησαν πτωχοὶ μετώπων.

Et alio loco 28): καὶ ἴσως οὐδὲν κωλύει προθέσθαι τινὰ τῶν τοῦ Ἐμπεδοκλέους ῥημάτων, τοῦτο παρεμφαίνοντα·

τίῃ δ' ἐγὼ ὑποστρέψας ἔρχομαι πρὸς ὁδὸν,
αἰνέων τὸν πρὶν κατειλημμένον, προσάπτων μύθῳ μῦθον.

Et nonnullis interiectis: μετ' ὀλίγον περὶ τοὺς φιλικοὺς ἥλους τῆς Ἀφροδίτης σπουδάζων (Empedocles), καὶ τὸ αἴτιον λέγων, διατί οἱ μὲν μεθ' ἡμέραν, οἱ δὲ νυκτὸς βέλτιον ὁρῶσι, φησὶν ἐν ταῖς ἀρχαῖς τῆς Ἀφροδίτης, ὅτ' ἐν πρώταις ἐφύοντο. ὅτι δὲ περὶ τῶν ἐν τούτῳ τῷ κόσμῳ φησὶν, ἄκουσον τῶν στίχων τούτων·

εἰ δέ τί σοι περὶ τούτων ἱμερτὸς ἐμπίπλησι πίστις,
πῶς ὕδατος, γαίης, ἀελίου τε μεμιγμένων,
εἴδεά τ' ἐγένοντο, χρώματα τε θνητῶν τοιαῦτα,
ὅσα νῦν φαίνεται ἁρμοσθέντα Ἀφροδίτῃ.

καὶ μετ' ὀλίγα,

ὡς δὲ γαίην Κύπρις ἐξείης ἐδίνησεν ἐν διερῷ,
ἡ δ' ἐμφυσήσας ὀλίγῳ πυρὶ, δῶκεν ἐπικρατέειν.

καὶ αὖθις,

τούτων δὲ μυῖτα, ἐντὸς μὲν πυκνὰ, ἔκτοσθεν δ' ἀραιά.

---

27) ad *Aristot.* de coelo 3, fol. 144. b.
28) ibid. 2, fol. 128. b.

Vbi tantum abest, vt versus restituere audeam, vt ne Simplicii quidem verba me intelligere, libere profitear, v. c. περὶ τοὺς Φιλικοὺς ἥλους τῆς Ἀφροδίτης et ἐν ταῖς ἀρχαῖς τῆς Ἀφροδίτης. Iterum igitur imploro viros me doctiores, vt mihi Empedoclique meo suppetias ferre ne grauentur. Si placuerit Viris doctis, his commentariis suas committere emendationes Emp., gratissimum et nobis et aliis facient.

XII.

Quum nuper (p. 123—136.) recentia plura recensuimus scripta ad Homerum pertinentia, nonnullae commentationes nondum in manus nostras venerant, quas nunc memorabimus, aliae nuper accesserunt.

Et *Oceani* quidem notionem, quae apud Homerum est, et de qua multi iam disputarunt, ab Aegyptiis sacerdotibus repetiit, atque cum iis, quae in Mosaicis commentariis de rerum originibus leguntur, contulit nuper *Sicklerus* duabus Commentatt., quae cum insertae legantur *Augusti* theologico menstruo [1]) promtuario, inde potiora excerpamus. Prima enim Comm. tractat potissimum locum ipsum Genes. II, 10. ss., et postquam auctor monuit, *Gan* omnino dici regionem arboribus frugiferis consitam, *Gan Eden* quaerendum esse in vicinia Caspii maris, atque affinitatem quandam eius et mythi de hortis Hesperidum esse, exponuntur atque examinantur Iosephi et eorum, qui sequuti illum sunt, Franc. Iunii et Hug. Grotii, Calvini et Bocharti, denique Io. Dav. Michaelis, sententiae, de quatuor fluviis,

1) Ueber den muthmaſslichen Ursprung der Idee des Oceanus unter den ältern Griechen aus der Vorstellungsart aegyptischer Priester, oder über die Erdkunde des Verfassers der Urkunde Iehovah Elohim, in 1. Mos. C. 2, 10—15. Von D. *Fr. K. L. Sickler* in Gotha (h. e. de probabili origine ideae Oceani inter vetustissimos Graecos ex sententia sacerdotum Aegyptt.) in *I. C. W. Augusti* Theol. Monatsschrift für das Jahr 1801. Heft I, p. 1—19. II, p. 76—109.

qui ibi commemorantur. In secunda autem Comm. primum (p. 76—81.) coniicit, oceani eam, quae in Homero legatur, ideam deberi Aegypt. sacerdotibus. Homero auctore oceanus (cuius geogr. tabula a Vossio facta repetita est et adiecta) est flumen profundum atque latum, totum orbem Homericum cingens versus septentrionem et meridiem. In eo non est nisi unus aquae fluxus ab occidente in orientem tendens, in extremis partibus diuisus et ad occidentem revertens. Fontes sunt in extrema Cimmeriorum terra, ad columnas Herculis, et per Phasidem influit in nigrum, per Gaditanum fretum in mediterraneum mare. Impugnatur *Mannertus*, qui Geogr. Graec. et Rom. T. IV. p. 12. perperam eum *leniter fluentem* dixerit, quod nuspiam apud Hom. legatur, et quod eum continuo fluxu sine initio et fine progredi fecerit (contra Odyss. I, 511. XI, 13.). Quod non misceatur cum aliis fluviis, id ait significare, non recipere eum aquas aliorum fluviorum; ipse enim omnium parens est fluviorum (Il. XXI, 595.).

Deinde de illo ipso Mosaico loco agitur p. 81 — 109. Etenim inter nostros nunc plerique statuerunt, e variis monumentis geographicis atque historicis primum illorum commentariorum librum esse compositum, discernendis illis maxime eo, quod diversa in quoque tribuuntur deo nomina. Itaque hoc, de quo nunc agitur, monumentum appellatur *Iehova Elohim*, quod deus in eo hoc nomine insignitur. Quae quidem, ab *Ilgenio* nuper in critico opere, quo sacra Iudaeorum volumina tractare coepit (*Das Ierusalemische Tempelarchiv* —) uberius declarata, Siklerus sequitur, atque ipse censet esse illam descriptionem Edenis non topographicam, sed geographicam, h. e. primum specimen geographiae priscae aetatis. Magnum fluvium censet esse Caspium mare, quod ante Herodotum putabatur magnum esse flumen

sum Oceano in Oriente coniunctum, s. sinum Oceani, id quod et seriores nonnulli scriptores secuti sunt, ut Strabo XI, p. 507. Casaub. Pomp. Mela III, 5. Dion. Perieg. coll. Orph. Argon. 1068. (etsi alii tradiderunt, esse separatum mare, v. c. Herod. I, 203. Aristot. Meteor. II, 1. Diod. S. XVIII, 5.); *Phischon* (p. 91.) esse celerem fluvium, i. q. ὠκεανὸν (ab ὠκὺς) quem Graeci etiam cum Nilo iunctum putabant (Herod. II, 20, s.); *Gihon* (p. 97.) atlanticum, mediterraneum et nigrum mare cum Phaside. Sensum loco tribuit hunc: Ingens flumen (Caspium mare) prodit ex Oriente; illud in amoena terra (australibus Caspii maris regionibus) in quatuor fluvios dividitur: primus, Phischon, terram ambit ab oriente ad Nilum usque; alter, Gihon, ab occidente usque ad Nilum. Duo reliqui (Tigris, Euphrates) non cingunt terram quamdam, sed regiones terminant. Iam Graecam et Aegypt. Oceani ideam in eo convenire censet, quod apud Hom. Oceanus ambit Africam, quum ap. Hesiod. Nilus sit Oceani terminus, et Africae pars atque Europa occid. extra Oceanum sitae (Hesiod. Theog. 215, 292.); sensim Graecorum Oceano latiores fines versus septentrionem sunt constituti. Commentationis auctor, qui viam a Forstero in diss. de vetusta Maris Caspii natura, et Vossii in Epist. de Oceano veterum (quae utraque legitur in libro: Götting. Magazin für Wiss. und Litt. von Forster und Lichtenberg part. I.) monstratam persecutus est, tamen nondum persuasit nobis, ea, quae de Oceano Graeci tradiderunt, ab Aegypt. sacerdotibus esse accepta.

Sebaldi Fulconis Ioh. Ravii Orationes duae, altera de poëseos Hebraicae prae Arabum poësi praestantia, tam veritatis, quam divinae maiestatis religionis in veteri codice sacro traditae argumento, altera de poëticae facultatis excellentia et perfectione spectata in tribus

poëtarum principibus, scriptore Iobi, Homero, et Ossiano, habitae publ. Lugduni Bat. d. XVIII. Oct. cIↄIↄccxciv. et d. XXII. Iunii cIↄIↄccxcix. Lugduni Bat. apud S. et I. Luchtmans cIↄIↄccc. 106. pp. 4. mai.

Quod ad Homerum adtinet (nam de ceteris poëtis nihil videtur nunc monendum esse) intelligentissimus idemque disertus auctor docet (p. 83.), eius „excelsam mentem virtuti non tantum et iustitiae, sed humanitati quoque tenerisque affectibus indulsisse. Quare, (pergit) bellum, quae carminis est materia praecipua, ut pestem generis humani depingit, quae homines a domesticae vitae felicitate et complexibus suorum in perniciem rapit. Et ipsi non tantum Graeci sed et hostes, cum cadunt, fere aliquot versibus celebrantur, quibus et ferocis lectoris animus commoveri possit. Imo saepe quaedam pugna et quasi colluctatio inter generosum illum tenerumque humanitatis sensum et seculi barbariem in Homeri versibus apparet." In creandis rebus (h. e. in fingendo et inveniendo) observat p. 89. Homerum minus fuisse audacem et supra humanas res non adeo elatum, quam vel Ossianum vel Iobëidis scriptorem: etenim phantasiae eius comitem adfuisse sapientiam, quae incredibilem rerum, quas illa produxerat, varietatem ordinaret, et in societatem quamdam humanae simillimam coniungeret. In pingendo autem et describendo maximum omnium esse Homerum docet p. 94. Incredibilem enim eum sibi comparasse imaginum poëticique coloris copiam; res singulas ita depingere, ut movere omnia se, viuere, et agere videantur; ex infinita rerum, quas viderat, multitudine praestantissimas aptissimasque promere similitudines; constantem autem et serenum animum ubique exprimere. Eximiam autem ei movendorum animorum facultatem fuisse p. 99. ostendit, quam in Odyssea etiam saepius

quam in Iliade prodiderit. Et Ravius quidem (p. 100. ss.) egregio carmine elegiaco expressit Andromachae querelas in Iliad. VI. L. Denique laudat Homeri singulare artificium in numerorum modorumque aptorum delectu, in quo duobus aliis, quos auctor comparavit, poëtis multum Homerus praestitit. Haec, etsi breviter, non tamen sine acumine et vi quadam, disputata sunt. Ceterum in prima orat. auctor in primis efficere studuit, ut intelligeretur, Hebraicam poësin non vulgaribus causis, neque consuetis legibus, quibus res humanae reguntur, imo ne sola quidem religionis ipsius excellentia, sed singulari quadam et admiranda dei providentia et consilio exortam esse et conservatam. De qua sententia non est huius loci iudicare. Illud addimus unum, cum multi Arabum poësin tantopere extulerint, nostrum ei iustius statuisse pretium, et, quae eius sint vitia, indicasse, maxime in adnotatt. p. 53. ss. subiectis, quibus non tritae continentur observationes.

Ad quaestionem de carminum Homericorum authentia duo pertinent libri. Alter iam superiori prodiit anno, ita inscriptus:

Von dem Alterthum der Schreibekunst in der Welt, besonders zu Briefen, und insbesondere von der Correspondenz im Homer, von *Iohann Gottfried Amelang*, Königl. geh. Postsekretair und erstem Archivar des Gen. Post-Amts. (h. e. *I. G. Amelangii Liber de antiquitate artis scribendi,* maxime epistolas conscribendi, inprimisque de litterarum commercio in Homero). Lipsiae ap. F. G. Iacobäer. 1800. 232. pp. 8. mai.

Auctor potissimum hoc egit, ut ostenderet, tum in Asia, tum in Graecia scribendi artem esse antiquissimam. Quod quibus argumentis persuadere studuerit (contra Woodium potissimum et Merianum) cognoscemus. Itaque 2. sectione (p. 26. ss. — nam prima, quae

de magna utilitate commercii litterarum egit, non habet magnopere, quae referamus —) de origine et progressu commercii litterarum apud vett. populos exponitur, Hebraeos, Aegyptios, Assyrios, Babylonios, Phoenices, Persas, Graecos, Romanos, Germanos. Constat enim fuisse non paucos, atque recentius etiam Woodium et Wesselingium, quos inprimis A. nominat, qui litterarum scribendique artis usum admodum recentem esse censerent. Hos omnes philosophatos magis, quam historicis argumentis usos esse, Am. contendit. Ipse Sethum facit litterarum auctorem, eundemque cum Thoto, quae quidem esse ait nomina in personam mutata et litteram Thau h. e. signum (i. q. Oth ap. Hebr.) exprimentia. Sed antiquitatis scripturae alphabeticae, quae dicitur, argumenta petit ex Iob. XIX, 23. s. VIII, 8—10. Exod. XVIII, 6. s. (quamquam huic loco non multum tribuit) tabulis Decalogi, Iosu. VIII, 33. XV, 15. XXI, 15. 2. Sam. XI, 14. s. 2. Chron. XXI, 12. aliisque locis seriorum scrr. Iudd. (Nuper Otmarus s. Nachtigallus eam ipsam ob causam negauit, libros Hebrr. antiquissimos ante tempora regum Israell. esse scriptos, quod scribendi ars non ulterius ascendere videretur; cuius quidem argumenta si Auctori innotuissent, gravius ea refutaturus, certe examinaturus, fuisset.) Aegyptios antiquissimis iam temporibus scribendi arte esse usos, cum ex eorum commerciis, astronomiae aliarumque disciplinarum scientia, tum ex Diod. S. I, 70. I, 3. Herod. II, 36. efficere studet. Mirum vero est, quod p. 45. contendit, ideo alphabet. scripturam videri hieroglyphica antiquiorem, quod sit simplicior. At confundere eam videtur, quae imagines rerum ipsas pingit cum symbolica et allegorica scribendi ratione. Vt autem in loquendo, ita etiam in scribendo mature extitisse ea ars et ratio censenda est, quae corporearum re-

rum imagines ad notiones sensibus externis non subiectas, ab illis tamen derivatas, transferret. Caeterum alphab. scripturam, non a Graecis petitam, et chartae papyraceae usum longe antiquiorem ait esse Psammetichi aetate. Quae de lingua Hebr. omnium prima, de Babyloniis atque Nabonassare disputat, facile mittimus, ut ad Graecos perveniamus. Etenim ex loco Hom. Iliad. VI, 168., ob quem Woodius negauit, Graecis heroicae aetatis scribendi artem innotuisse, noster contrariam sententiam p. 75. ss. efficit. Nam σήματα esse etiam litteras (quia in seqq. varia periculorum genera z) memorat, quae litteris debuerint exprimi), et λυγρὰ non ad scribendi difficultatem, sed ad effectum tristem, spectare. Et cum alia vndique colligit vestigia litterarum usus apud Grr. antiquissimi, tum ex Eustath., Tzetz. ad Lycophr. 17. aliisque docet, σήματα, γράμματα et ςοιχεῖα dici promiscue, γράφειν autem pr. esse insculpere signa et litteras, et deinde de pictura et scriptura dici (add. p. 179. s.) Neque tamen scriptores ipsos et auctoritatem eorum, quae scribunt, satis accurate examinavit. Sic de Cadmo, Phoenicio, litterarum graecarum auctore (p. 201.), constat nuper dubitatum esse. Germanis quoque iam Iulii Caesaris et Taciti aetate fuisse scribendi artem contendit. Tertia Sectio p. 119. de Troiae eversionis tempore quaerit, ita, ut auctor statuat intra a. MLIX. et M. a. Chr. bellum Troianum esse ponendum, h. e. Davidis et Salomonis aetate. Nam ex Constantini Manassis Annal. (egregio vero teste) affertur, Priamum Davidis implorasse auxilium, neque tamen impetrasse, et fabulam de Iphigeniae immola-

z) In his Homerum coniicit respexisse ad Dauidis et Bathsebae historiam, aut Iosephi et Potipharis uxoris (p. 77.); quam probabiliter!

tione esse ex casu filiae Iephthae expressam, coniicitur. Quae Larcherus in chronol. Herodoti, aliique disputarunt, fugisse auctorem videntur. Sect. IV. p. 132. est de aetate Homeri, quem paullo post Olympiadum initia floruisse maxime c. Olymp. XXII., Gygis et Ardyis regum Lydiae aetate, ex testimoniis veterum (Strab. I. p. 12. et 38. Clem. Alex. I, 12. Diog. Laert. V, 86. Schol. Pind. Pyth. VI.), ipsius Homeri locis multis (quibus quidem promiscue utitur, nullo instituto librorum discrimine, quos critici bene distinguendos esse docuerunt), comparatis cum aliorum scriptorum, etiam sacrorum, effatis atque formulis, et ex litterarum et linguae Homericae conditione colligitur. Quae autem huic coniecturae aduersantur, ea auctor facile nouis commentis tollit. Sic, quod ad locum Herod. II, 53. adtinet, primum illos CCCC. annos ab Olymp. LXXXIV. qua scripsit, aut edidit Herodotus historiam, computandos esse sumitur; deinde quoniam vel sic LXIV. annis ante Olympp. floruisse Homerum sequitur, eum numerum ap. Herodot. rotundum esse, nec valere, nisi CD fere annos, contenditur (p. 140. s.), Quinta sectio animadversiones proponit in *Meriani* Berolin. V. D. Commentationem: num carmina sua Homerus scripserit? (quae francogall. lingua scripta legitur in Commentar. Acad. Reg. Berol. a. 1788. 89. p. 513. ss.) Et Merianum quidem contendit, Woodii rationibus, Wolfium autem Meriani argumentis unice niti, qua de re valde dubitamus. In iis, quae Merianus adtulit, multa sunt admodum levia, quae ut recte auctor notauit confutauitque, ita eum voluissemus ab omni verborum acerbitate abstinere, neque proponere argumenta aeque leuia. Nam Lycurgum v. c. p. 176. narrat cum nonnullis vett., ideo leges suas litteris consignare noluisse, ut animis infigerentur, unde concludit artem scribendi fuisse ei no-

tam. Recte. At illa ratio incerta, et haud dubie recentioris est commenti. Caeterum mirati sumus, *Amelangium* raro nominasse *Vuolfium*, et eius Prolegomena in Homerum, et Homericas Epistolas omnino neglexisse. Vltima Sectio inscriptiones et obsignationes epistolarum breuiter persequitur, et plura complectitur alia memoratu non indigna de perferendarum epistt. modis, aperiendis iis, retro mittendis, amissis, permutatis, quae huc non pertinent.

Aliam nuper *Hugius*, Friburgensis Acad. Prof., libris, quibus et historiam antiquissimam hominum et N. Test. voluminis persecutus est, clarus, iniit rationem ut antiquitatem artis scribendi, et carminum Homeri defenderet. Liber inscribitur ita: *Die Erfindung der Buchstabenschrift, ihr Zustand und frühester Gebrauch im Alterthum. Mit Hinsicht auf die neuesten Untersuchungen über den Homer. Von I. Leonhard Hug*, Prof. der Theologie an der hohen Schule zu Freiburg. Ulm in der Wohlerschen Buchhandlung. 1801. 149. pp. in 4. adiecta tab. aen. (h. e. Inventio, indoles, et antiquissimus usus scripturae alphabeticae. Ratione habita recentissimarum disquisitionum de Homeri carminibus exposuit *I. L. Hug*.) Absoluitur duobus partibus, altera analysin et comparationem phoeniciarum litterarum cum graecis continet, altera a Solonis aetate descendit ad Troiana tempora, ita ut in usum litterarum historice inquirat. Iam primum omnium cum Phoenicum litteras esse antiquissimas constet, ab iis autem non diuersas fuisse litterarum Hebraicarum antiquissimarum figuras, Graecarum autem nomina eadem quae illarum; ista ab his repetita esse probabiliter colligitur. Nihil enim interest, nisi quod *Aleph* est substantiuum, *alpha* adiectiuum, et sic in reliquis. Et Graeci quidem neque in scribendo ne-

que in numerando aliis olim usi sunt litteris quam Phoenices. Nam litterae a Graecis inventae serius accesserunt, nec antiquitus exstitit, quod fuit postea, discrimen. Ita litterae Sam olim sextus fuit locus, quem habuit Sain Phoen., et praeterea Sanpi h. e. Zade s. Zeta, quod olim numerum 80 expressit, cum Koppa responderet numero 90. Ipsum aeolicum digamma s. Ϝ phoeniciae est originis. Forma etiam litterarum utriusque linguae est simillima. Ex qua quidem convenientia nominum, quibus appellantur, ordinis quo se excipiunt, figurae qua pinguntur utriusque linguae litterae, concluditur punicum et graecum alphabetum unum olim idemque fuisse. Fuit autem graecum primo imperfectius, cum nondum omnis varietas sonorum adfinium litterarum vel sensu perciperetur vel signis exprimeretur, nec continuit nisi has litteras quindecim:

ΑΒΓΔΕΙΚΛΜΝΟΠΡΣΤ

Plinius et Tacitus XVI. antiquas litteras proponunt, Aristoteles XVIII. Scilicet de temporibus agunt, quae iam nonnullas priscis addiderant litteras, cum Graecis plenius Phoenicum alphabetum innotuisset. Istae recte poterant antiquae et atticae appellari ratione Ionici alphabeti 24. litterarum, quod ab Olymp. XCIV. Athenis coepit usurpari. Ex obscuro Irenaei adv. haer. II, 24. loco efficit H., Hebraeis quoque primas et sacerdotales fuisse litteras XV., quibus in scribendo uterentur, ex his X. solas, ut notas numerales, esse adhibitas. Quamquam dubitat auctor, an non in Graeco textu Irenaei scriptum fuerit: δεκαπέντε εἰσὶ τῇ ἀριθμήσει, pro quibus interpres legerit δέκα μέν τε. — Ceterum illius loci magnam esse vim ostenditur in erroribus, qui in numeris potuerint committi in V. T. libris, indagandis. Iam porro cum quaeratur (p. 21.),

ubi et quomodo illud ipsum alphabetum fuerit exortum, respondetur (p. 37. 43.) Phoenices in Aegypto eius fuisse auctores. Nam 1. forma antiquissimarum Phoen. certe plerarumque continet rudes delineationes rerum in sensus cadentium, alpha capitis taurini (et Plut. Symp. IX, 3. p. 1314. T. II. Steph. auctor est, Phoenices bovem appellasse alpha, atque Cadmum hanc litteram omnibus praeposuisse) beth domus, gamel cameli, daleth ianuae etc., harum autem rerum multae Aegypto magis, quam Phoeniciae, sunt propriae, ut taurus, domus et ianuae forma aegyptiaca. Tau maxime aegypt. originem prodere existimatur. Inde sequitur a. phoenicias litteras Aegyptum habere patriam; b. exstitisse eas ex adumbratione imaginum rerum corporearum, quod nuper negauerat Tychsenius; c. hieroglyphicam s. eam scripturam, quae imagines rerum pingit, praecessisse alphabeticam; d. nomina tamen esse phoenicia. 2. Phoenicas iam antiquissima aetate in Aegypto superiore et media fuisse ex Herodoto et aliis constat. Prima monumenta rudia fuerunt nullis insignita notis; successerunt alia, quibus rerum nonnullarum insculperentur imagines; inde aliae sunt inventae imagines, quibus ideae exprimerentur; tandem iunctorum et singulorum sonorum signa. Quae cum olim XV. fuissent, post ita aucta sunt ut XXI. existerent, quibus unum postea adiectum est. Graeci primum imperfectum illud XV. litterarum, tum aliud XXII. litteris constans (quarum non nisi XVIII. in scribendo, reliquae in numerando, adhibebantur) a Phoenicibus acceperunt. Phoenices pellibus radendo laevigatis inscribere solebant, a quibus ipsum nomen *Sepher* ductum est; idem fecerunt, Herod. auctore, Iones. Graecis vero etiam βίβλος, βύβλος planta, nota fuit, antequam nilotica byblos usurpabatur. Ut autem Se-

cultatis habuisse putemus? Confirmat hoc Proeti illa epistola (Il. VI, 68. s.). Etiamsi σήματα de signis accipiamus, negemusque Graecis tum fuisse scribendi artem: tamen eos iam ad illam satis praeparatos fuisse apparet, et credibile est inde a duabus generationibus ante Troianum bellum usque ad Hom. aetatem longius esse progressos, et ipsam scribendi litteras facultatem accepisse ab aliis populis et usurpasse. Cuius quidem rei interna in Hom. carminibus sunt indicia. 1. Nauium catalogus (lib. 2.) non facile vel componi vel conservari potuit, nisi litteris consignatus. Auctoritas vero ei tanta apud Graecos fuit, ut existimari non posset, eum seriori aetate confectum esse; leges autem, quae catalogum iuberent a pueris edisci (Heyn. ad Apollod. T. III. p. 1100.), sunt diu post Solonem latae. 2. haud dubie partes singulae (s. ἔπεα) et memoriae mandatae et litteris consignatae sunt, rariusque inueniebantur scriptae, quam memoriter recitatae. Vnde non leve fuit Pisistrati, qui has partes collegit, coniunxit, disposuit, negotium. 3. utrumque Hom. carmen ita comparatum est, ut nullo modo videatur ex diuersis variorum poëtarum carminibus esse consarcinatum, sed totum, paucis locis exceptis, eiusdem ingenii esse opus. Persequitur Hugius eam in rem p. 95—120. Iliadem, cuius etsi exordium non tantum tamque amplum promittat argumentum, partes tamen cohaerere omnes ostendit; scilicet poëtae ipsi longius et uberius, quam sperauerat, excrevisse opus. Decimum librum etsi iam veteres censuerunt Iliadi a Pisistratidis adiectum esse, tamen cum iis quae antecesserant nexum, et temporis et rerum vinculis, atque Homeri ingenio dignissimum esse auctor adfirmat. In XV. rhapsodia etiamsi loca sint nonnulla aut spuria aut certe suspecta, ad Iliadem tamen integrum librum pertinere, quae doceant

ceant sunt indicia. In v. 620. l. XVII. potuit criticorum subtilitas ita subsistere, ut sequentia a praecedd. separaret, verum non probabile est, divinum ingenium graeci poëtae in his substitisse, ubi Graecorum omnis conditio valde est dubia, Achilles rarius prodierat, Hector contra saepius memoratus erat, praeparatio et implicatio rei exposita est, sed exitus eius exspectatur, docendum est, quem finem Achillis habuerit ira, quomodo sedata fuerit et placata; Achilles, quem hactenus lectores quiescentem viderant, etiam agens et pugnans conspiciendus est. Neque vero XXIII. et XXIV. libris facile carere carmen potest. Nam ut tenerrimus Patrocli amor postulare librum XXIII. videtur: ita ultimus Achillis gloriae maxime consulit. Ex hac disputatione de integro carmine (in qua cum sumantur nonnulla, quae nondum conceduntur ab omnibus, dubitationem omnem non sublatam esse fatemur) colligitur, carmen tantae amplitudinis ab ipso auctore litteris mandandum fuisse. Neque aetatem epicorum carminum, quae ab Homero capit initia, sine litteris et scribendi arte esse potuisse contenditur. 4. *Belli Troiani tempora.* Non Homeri demum aetate scribendi periculum esse factum videtur. Palamedi iam tribuenda est διορθωσις illius artis et litterarum, ex fragmento Euripideo in Palam. quod ita explicat H., ut, cum accepisset solas consonantes (ἄφωνα), quales fuerunt priscae litterae, vocales addidisse Palamedes dicatur, nempe nonnullas, quae facile ex litteris Poeniciis potuerant derivari, atque ita alphabetum condidisse, quod in scribendo adhiberi posset (ἐξεῦρε γράμματ' εἰδέναι). Itaque recte narrarunt alii, quatuor litteras Palamedem invenisse, etsi ignorarunt vocales eas fuisse; neque minus verum est, auctorem alphabeti eum exstitisse (Tac. Ann. XI, 14.) cum effecisset, ut recte litteris uti Graeci possent.

5. *Cadmi aetas.* Quae Palamedes fecit, postulant, ut statuamus, Phoenicias iam adfuisse litteras; quas quidem Cadmum (Phoenices) secum adtulisse, Dionysius Milesius, Herodotusque testantur, atque huius quidem fidem tuetur sollicitatam eo, quod tripodes templi Apollinis Ismenii memoret, Cadmeis litteris inscriptos, parum verisimiliter. Verum etiamsi tripodes illi, certe tituli, fuerint serioris aetatis, tamen eo non omnis eorum, quae tradidit, tollitur auctoritas. Cadmum autem non ex Phoenicia, sed ex Aegypto, venisse, colligitur inde, quod, Conone auctore (ap. Phot. Bibl. Cod. CXCVI.) Phoenices Theben in Aeg. condiderunt, et quod eiusdem nominis urbs Boeotiae fuit, aliaque vestigia Aegypt. mythorum apud Boeotos reperiuntur. Moses igitur et Cadmus eodem tempore, cum Aegyptii exteros plerosque emisisse videntur, ex Aegypto litteras videntur in alias terras secum tulisse; utrumque etiam iunxit Hecataeus Milesius ap. Phot. Cod. CLIV.

Haec igitur ingeniose et docte Hugius disputavit, quibus, si omnes tolli dubitationes, et confutari, quae in contrariam partem dicta sunt, negamus, lubenter tamen largimur, antiquitatem artis scribendi probabilem esse redditam. Verum supersunt, in quae penitius inquiratur, testimonia nonnullorum scriptorum, populorum et artium migrationes, tempora inventionis litterarum, et usus earumdem communis. Et si carminum Homericorum quae nunc sunt partes et argumenta satis omnino cohaerent, atque ille eorum ambitus nobis quidem necessarius videtur: nondum tamen effectum est, unius poëtae ingenium hunc omnem ambitum esse complexum et universum finxisse opus, nisi etiam ipsa illarum partium natura, lingua et spiritus, eiusdem ingenii vim prodant et rationem. Neutram

vero in partem arbitramur omnia satis esse numerata vel ponderata. Enotauimus ex Hugii opere etiam haec memoratu digna. Septem Sapientes p. 48. censet hoc nomine esse ornatos non propter gnomas illas, quae omnibus innotuerunt, sed quod primi pericula fecerint philosophicarum disciplinarum. Rhapsodis nomen inditum esse hoc tum demum statuit, p. 94. cum Pisistratus Homeri carmina in εἱρμόν τινα καὶ ῥαφὴν redegisset. Locum Schol. Arist. Nub. 23. (quem partim eodem modo, partim aliter emendavit Hermannus p. 266.) ita scribi iussit (p. 9.): Κοππατίας ἵππους ἐκάλουν, οἷς ἐγκεχάρακτο τὸ Ρ ϛοιχεῖον (at σημεῖον etiam in Schol. Eqq. est, et signum debet inverse scribi ⊢ q), ὡς σαμφόρας τοὺς ἐγκεχαραγμένους τὸ σ. τὸ γὰρ Σ κατὰ τὸ Π χαρασσόμενον Σαν (imo Σαμπι) ἔλεγον .... συνεζευγμένου γὰρ τοῦ Σ καὶ Π τὸ σχῆμα τοῦ ϛ ἀριθμοῦ δύναται νοεῖσθαι ὃ προηγεῖται τοῦ Ρ. καὶ παρὰ Γραμματικοῖς οὕτω διδάσκεται, καὶ καλεῖται τὸ Κόππα ἐννενήκοντα. P. 27. s. etiam inscriptionis Citieae unius rectius legendae atque emendandae fecit periculum. Caeterum non ad manus auctori fuisse videtur *Io. Reinoldii* Historia litterarum gr. et lat. quae Etonae a. 1752. in 4. prodiit.

Ornare nuper Homerum antiquae artis operibus coepit diligentissimus eorum spectator et imitator, *Henricus Guilielmus Tischbein*, quibus interpres contigit eloquentissimus et subtilissimus, *Christianus Gottlobus Heynius*. Delecta sunt artis opera, quorum argumentum aut ex Homero sumtum, aut Homerico spiritu tractatum, aut cum Homero ulla necessitudine esset iunctum; et ut caelator ea non fideliter tantum exprimere, sed etiam nobiliora et pulcriora exhibere constituit, ita interpretis fuit, non suas, sed artificis sequi ideas, nec, quae ad doctrinam antiquitatis

spectent, cuncta expromere, sed, quae ad sensum pertineant, illustrare. Sunt vero et ex illo genere non pauca egregie monita, unde, cum opus non a multis emi possit harum litterarum amicis, diligenter referemus, quorum summa paucioribus comprehendi poterit verbis. Inscribitur autem ita:

Homer nach Antiken gezeichnet von Heinrich Wilhelm Tischbein, Director der Königl. Malerakad. und schönen Künste, Deputirter der Farnesischen Alterthümer zu Neapel, *mit Erläuterungen von Christian Gottlob Heyne*, Kön. Grofsbrit. Geheim. Justizrath und Prof. zu Göttingen. h. e. *Homerus ex antiquis operibus delineatus a Tischbeinio, illustratus ab Heynio. Ilias*, Partic. I. (I. Heft 52. pp. fol. mai. tabb. aen. maiores VI. et plur. minores, pret. 6. Ducatons). *Odyssee*, Partic. I. (II. Heft 32. pp. fol. mai. VI. tabb. maior. et minores plur. 5. Ducat.) Göttingae ap. Henr. Dieterich, 1801. Metis apud Colignonum versio francogall. curata est, *Villersio* interprete, quae inscribitur: *Figures d'Homère d'après l'antique par H. Guil. Tischbein avec les explications de Chr. G. Heyne.*

Prima commentatio est p. 1—10. de Homero ipso, qui naturae poëta, phantasiae alumnus, fidelis humanorum et ingenuorum sensuum interpres appellatur, artis pater, quae ipsam naturae maiestatem exprimit, speciesque secundum naturam a poëta conceptas, pulcris formis animatas viventesque sistit. Illa ipsa nativa simplicitas, quam et ars et poësis antiqua sequitur, quo propius accedit ad incorruptum humanarum virium statum, eo magis placet omnibus. Artifices et poëtae primum singula, suis formis iisque certis circumscripta, expresserunt; fortes, prudentes, non ipsas illas virtutes spectandas, exhibuerunt. Cum, quae cuique ingenio propria sunt et peculiaria, observata essent,

eaque fingendo ad perfectiorem formam adducta, inde exstiterunt species illae, quibus ut magis definirentur, singularia addita sunt nomina Apollinis, Bacchi etc. Fuerunt enim vel deorum vel heroum quaedam species, in quibus quidem fingendis et exornandis poëtae duces artificibus fuerunt, etsi hi eas sensibus felicius subiecerunt. Quae quidem species cum exemplo et legi essent artificibus, natura atque ars coniunctae arctissime sunt; artis sensus et phantasiae vis adstricta semper certis quibusdam fuit speciebus et nominibus; a characteribus, quos ipsa proposuit natura et antiquitas, profecta est ad species quasdam, quibus interdum etiam mythi veteres inservierunt. Etsi vero Ulysses, Aiax, Diomedes aliique heroes Troiani ad illas species mente conceptas referendi sunt: tamen non propterea negandum est, fuisse, certe potuisse esse aliquem Vlyssem, Achillem, Diomedem; contra non putandus est eos poëta nobis exhibere, quales vixerunt, sed quales phantasia et ars eos finxit atque formavit. Si enim historicus ipse, quando mores hominis, phantasia iuvante, depingit, imaginem magis eam quae animo obversatur, quam quae vera fuit, sequi censetur; quanto rectius ita de poëta statuemus atque artifice? Ea enim, quae in arte quaeritur veritas, natura et finibus artis constituitur et definitur. Et, quo notiores omnibus sunt mores atque actiones, eo facilior artis est in iis exornandis opera. Quae ipsa res effecit, ut, cum semel recepti mythi ab omnibus cognoscerentur, artificia etiam, quae illos, aut inde ductas species et formas, sequerentur, ab omnibus intelligerentur. Iam etsi ea, quam artificibus imitari licet, natura paullo angustioribus continetur finibus, quam ipsa rerum omnium, quae amplissima est, natura: tamen in eo ipsa artis cernitur dignitas, et vis,

quod non nisi ea ex natura deligit exhibenda, quae et possunt recte et debent exprimi, pulcra, nobilia, magna. Praeterea est etiam potentior ars quam ipsa natura. Nam quae haec manca habet et infirma, ea nobilissima et perfectissima reddit ars, amplissimumque peragrat mutationum, vicissitudinum, coniunctionum disiunctionumque campum. Inde maxima oritur aetatis, ingenii, motus animi, actionis, sensus, fabulae, historiae, consuetudinis, varietas, fontesque existunt plurimarum novarum et idearum et imaginum. Hinc inter artificia omnium temporum ea est necessitudo, quae facile nos ad priscum artis cyclum revocat, uti notiones et cogitationes nostrae, vel recentissimae, pristinorum temporum et hominum notiones contingunt. Ipsae illae species egregiae pulcritudinis, quibus ars utitur, magnam varietatem debent summis antiquis artificibus. Sic pulcritudo cum gratia, severitate, superbia coniuncta, alia simplex et venusta; fortitudo cum sapientia, prudentia, calliditate, consilio, vi vel animi vel corporis, ferocia aliisque modis varie expressa est. Iam si verum est, artem, quae suam tueri velit dignitatem, ad id, quod magnum atque vere pulcrum est, reuocandam esse; illud autem inveniri in natura nondum cultu maiore corrupta, et per artifices iam certis quibusdam imaginibus et speciebus expressum esse; has autem species secundum poëtarum carmina, et in his inprimis Homerica, formatas esse: sequitur, Homerica esse poëmata, ex quibus artifices et universas artis formas atque species et singulas earum partes haurire possint. Et ipse poëtae spiritus vim et spiritum artificis mirifice excitabit.

Alia Commentatio p. 25—29. inscripta est *Ilias*. Carmen enim epicum hoc nomen eo accepit tempore, quo solebant ingenii operibus imponere uniuersa quae-

dam nomina, e quibus argumentum vere et plane cognosci non posset. Nam illi quidem carmini nomen fieri debuerat ab Achille irato et deinde placato, cum omnem epopoeam constituant Achillis indignatio, secessio ab exercitu, clades Graecorum inde exortae, reconciliatio ipsa Patrocli morte effecta. Natura eius prorsus ab Odyssea est diuersa. Nam ut argumentum est bellicum, ita actiones et mores, et omnis epopoeae constitutio, bellum spirant. Ipsi vero sensus, mores, virtutes atque vitia etsi sunt militum, atque aetatis rudioris, tamen ita magnitudine sua eminent, ut heroicae quaedam species conspiciantur. Quo pauciora habet vita hominum communis et tranquilla, quae si artis ope exprimantur, vehementem exserant et diuturnam vim: eo plura huius generis continet ea vitae ratio non naturalis, in qua animi motus et, ut ita dicam, tempestates, quaeque inde existunt, inprimis bellum, cernuntur. Bellum et caedes epicorum carminum primaria sunt argumenta. Tantum ferina quaedam indoles in iis valet, qui se diuinae participes naturae iactant! tam mature et exculta et exercita est, et omnium oculos in se convertit, caedendi alios et subigendi cupiditas, ut, quae ad eam pertinerent, lubentius spectarentur, quam quietae vitae laetiora eventa. In Homero etsi longa series variorum conspicitur characterum: tamen bellicos et plurimos et maxime exornatos esse patet; in quibus quidem species quaedam eminent, certis suis nominibus insignitae, quarum et ingenia et actiones egregie sibi respondent. Hae species ita suis notis distinctae sunt, ut facile eas artifex formis in oculos incurrentibus potuerit exprimere. Achilles poëtae est generosus et sensus non expers, sed superbus idemque vehemens heros; Patrocli mollius ingenium, quod animos hominum capiat, etsi ipse quo-

que in praeliis est audax; Hector bonus coniux et pater, idem fortis, sed mentis acumine et cultu illis inferior; Vlysses fortitudinem cum prudentia, calliditate et animo in quibusvis periculis sibi constante coniunctam habuit; Diomedi firmitas est consilii, quod et facile capere et celeriter exsequi potuit; Aiacis probitas simplex ab omni versutia et laudis cupiditate est aliena; quamuis tamen iniuriam acriter ille sentit. His ingeniis exprimendis ars numquam defuit.

Reliquae Heynii Commentatt. ad pictarum tabularum argumenta pertinent. Maiores sex sunt hae: I. (p. 11. ss.) Homeri caput Farnesinum (olim in Farnesina domo, nunc Neapoli), perspicue delineatum et pulcre elaboratum; cutis ossa tegens et carnes optime exprimuntur; crines et barba molliter prominent; (etenim graecis artificibus omnino egregium fuit artificium in marmore crines exprimendi, ita, ut qui cominus contemplantur, foramina modo, qui eminus, ipsos cincinnos molles cernere videantur.) Diadema additum divinum indicat characterem; caecitas ex vetusto mytho, quem forsitan nominis ambiguitas peperit, tributa ei est. Sunt plura Homeri capita, ut in Capitolio, ubi capiti eius aliud ad exemplum Iani bicipitis, est affixum (Archilochi caput, Mus. Pio Clem. T. VI. t. 20.) Tischbein. huius duplicis capitis, ut et capitis Hom. Smyrnaei, aliorumque monumentorum, quae ad Hom. ipsum pertinent, delineabit imagines. Omnia ista capita ex quodam egregio exemplo videntur expressa esse. Idem valet de protoma Hom. Capitol., in Mus. Capit. T. I, 54. male aeri incisa. Aereum Hom. caput Florentiae cernitur; plura in Anglia. Erant igitur vetusta carmina epica, erat nomen quoddam insignis poëtae; utrumque iungebatur; ita Homerus carminum auctor exstitit; eius et notio quaedam ex

carminibus informata, et imago ex notione expressa est, utraque ad speciem quamdam vatis spiritu sublimi agitati aucta excrevit. Ita cadit persona, manet res. — II. p. 15. ss. Homerus a Musis institutus, ex onyche exsculpto, quem Hamiltonus Romae an. 1798. emit, septem coloribus conspicuo, quos colores artifex ad distinguenda vestimenta tragicae et comicae Musae ipsiusque Homeri perite adhibuit. Nam in compositione et collocatione omnique habitu personarum exprimendo non licuit artifici suum arbitrium, sed oportuit eum colores lapidum sequi, uti omnino saepe veteres artifices admodum erant ipsa materia artificii coërciti et constricti. Ex Tischbeinii sententia Homerum Musae instituunt, quarum sermonibus attentas praebet aures. Poëta sedet, pone eum stat Musa comica; ex aduerso sedet tragica et iuxta hanc stat epica. Epica enim narratio coniuncta cum dramatica declamatione ad poësin dramaticam deduxit, unde Homerus huius est habitus fons. In eius enim carminibus constituti fuerunt heroum characteres, quos scena exhibuit; alios ea secundum illos formavit. Et ne comici quidem characteres, Homero defuerunt, ut Irus, Thersites, Polyphemus. Vnde et in Apotheosi Homeri (in Mus. Pio-Clem.) Tragoedia atque Comoedia stant ante sedentem Homerum. Vetusta simplicitas totum opus ornat; poëta et tragica Musa sedent, reliquae duae stant, quo magis mutua se iuuent imagines ratione. In tam paruo lapide sellae, tribus lapidibus similes, non potuerunt nisi leviter indicari. Homero proposita est tabula, baculo fulta; ei impositum volumen, cui ipsius dextrum innititur brachium. Non est mensa commodior, quae omnino in vett. monumentis, ubi scribentes cernuntur, non occurrunt. Etiamnum in campis et castris ita scribitur, ut charta

tabulae, quae baculo nititur, imponatur. Volumen necessarium erat ad carmina Homeri significanda. Musa, quae ex aduerso stat, epica est, postea Calliope dicta. Vestimentum duobus digitis complexa pectori obtendit, qui habitus in Nemesi potissimum observatur, varie explicatus, quamquam idem etiam in Venere aliisque muliebribus occurrit figuris, in vasis quoque pictis. Videtur igitur ille antiquus et satis vulgaris fuisse mos. Tragica Musa personam manu tenens declamat; comica suam ex aduerso tenet, videturque contendere cum altera et altercari, se quoque Homericae esse originis glorians. Tres Musas corona laurea ornat. Homeri vultus quietam animi exprimit attentionem, qua audit et, quae audiuerat, secum perpendit; quam quidem animi compositi quietem omnibus videtur commendare, qui de ipso et carminibus eius disputant. Egregia autem Musarum fictio primum debetur sensui excitatarum mentis facultatum et incalescentis pectoris poëtae, qua ipsa animi vis sublimior cum diuina haberetur, Musa efficta est dei, Iouis, filia, genita ex reminiscendi facultate (Mnemosyne), cum res antea iam visae aut cogitatae animo obversarentur. Hinc poëtae, qui illa singulari animi atque diuina vi animari cupiunt, Musam inuocant, et, cum ea se incitatos sentiunt, Musa adesse iis, ipsi eius alumni dicuntur. Olympicus chorus plures creavit Musas; inde auctis litteris et artibus, nunc tres, nunc quatuor, tandem novem Musae exstiterunt, ita ut quaeque cuique arti praeficeretur; epica Musa Calliope, historica Clio; lyricae poëseos tres, cantui vel chorico vel tibia vel cithara comitante praefectae, Terpsichore, Euterpe, Erato; dramaticae item tres, tragica Melpomene, comica Thalia, et quae saltationi et declamationi dramaticae praeesset, Polyhymnia;

astronomia, quae mythis adstricta et a poëtis ornata fuit, facta est Vrania. Homerus quoque Musae, Calliopes, et Apollinis filius, in campis Ioniae amoenissimis natus, credebatur. — III. p. 23. ss. Apotheosis Homeri. Ita fere nominatur anaglyphum opus antiquum (Palatii Colonna. v. Mus. Pio-Clem. T. I. extr.) olim, uti Tabula Iliaca, accuratius in hoc opere delineandum. Hoc loco ita dicitur pictura ex argenteo poculo caelato expressa, quod in paludibus Pontinis inventum in Museum regium Porticense delatum est, et a Winkelmanno (Hist. Art. p. 339. ed. Dresd. T. III. p. 50. vers. Huber.) memoratum, Romanum opus. Homerus aquila vectus ad coelum extollitur; utraque figura bene disposita; Homerus velatus cernitur, quasi ad Olympum initiatus; volumen sinistra tenens, dextram ori adplicans, qui est meditantium gestus. Loti ramulis ab utraque parte insident duae allegoricae naturae; altera Ilias sub imagine Virtutis (bellicae), vestitae et armatae secundum Iliadis argumentum; altera Odyssea, sedens et vestita figura, pileo nautico, qualem Ulysses gestat, imposito, manu remum tenens, cincta gladio, et quasi meditans pericula itineris instantis. Superne cernitur sertum e variis frondibus et floribus, intermixtis duobus oloribus volantibus, et duabus personis s. laruis. Alae et pennae aquilae pulcerrime sunt expressae. IV. p. 31. ss. Helenae deductio ad Paridem eiusque navem, nunc primum adumbrata lineis extremis ex sarcophago candidi marm. (alabastr.) in Mus. Florent. Et sensus quidem operis non est e vulgaribus mythis, sed ex ipso opere est eruendus. In extrema parte conspicitur Troiana navis; Paris ante eam sedet; ad eum deducitur Helena; utriusque vultus stuporem exprimit et admirationem; duo eam Troiani adducunt, quorum alter sustulit velum, Paridi quasi

ostensurus venustatem feminae; pone stat puer, qui Helenam videtur propius ducere velle, Amorem hunc esse docet adposita mulier cum face, quae Venerem ipsam tamquam pronubam exprimit, post nauem aut intra eam constitutam; in extrema navi duo sedent Troiani, comites Paridis, quos pileus Phrygius ornat. Perite artifex omnia tractavit, et ita, ut ad Paridem et Helenam potissimum oculi converterentur, quorum et vultus et status exprimit admirationem et stuporem. Et ut Helenae pulcerrimum corpus superius nudum conspicitur, ita Paris eius contemplationi intentus haeret. Cum Helenae raptus varie esset mythis vetustis traditus, a poëtis exornatus, in fabulis scenicis mutatus, non mirandum est, artifices quoque sua libertate uti recte potuisse in ea re exprimenda. Proxime ad hoc opus accedit ille mythus (in quo referendo etiam quaedam scriptorum reperitur varietas), quo traditum est, Helenam haud procul a maris littore cum sacra faceret, a comitibus Paridis qui eo appulerant, oppressam et ad Paridem deductam esse. In multis anaglyphis et vasis Helenae raptus exhibetur. Sarcophagus similis est in Gorii Mus. Etr. T. I. tab. 138. sed ita, ut Telephus et Auge perperam argumento esse dicantur. Videtur primarium quoddam fuisse opus, ex quo haec omnia exprimerentur. V. p. 35. Septem heroum Capita, ex singulis et egregiis operibus antiquis a Tischb. diligentissime delineata, atque suo consilio composita. In medio cernitur *Ulyssis* caput, pileo nautico insigne, qui floribus, frondibus, loto atque geniis distinctus est. Prudens vultus prodit meditantis ingenium aeque sollers in consiliis capiendis ac cautum et constans in iis exsequendis. Nihil astutiae calliditatisve inest; imo sapiens et generosus cernitur Vlysses. Bristolius Comes protomen mar-

moream, quam Tischb. putat ex anaglypho, plures alias imagines complexo, desumtam esse, possidet, unde caput hoc expressum est. *Diomedis* a dextra proximum est caput ex protoma marmor. in Mus. Pio-Clem. Animus virilis, vultus apertus et audax, et in fronte firmitas quaedam, in labiis superbia insidet. Proxime abest *Paris*, virili pulcritudine, crispo capillo, phrygico pileo insignis, secundum statuam in Mus. Pio Clem. (T. II. tab. 37. Raccolta T. 124. Sunt et alia opera, quae Paridem exhibere putantur. Nam iuvenile quodvis corpus Paridi adtributum, et pomo ornatum est.) Multo autem rectius Tischb. characterem mollis et sensibus facile dediti, non tamen vi et vigore destituti, adolescentis expressit. Euphranoris aereum simulacrum (Plin. H. N. XXXIV, 19, 16.) videtur exemplo fuisse. Vltimum a dextra est *Menelai* caput, ex prot. marm. Mus. Pio Clem. (T. VI. t. 18. s.), egregium opus, magnum ingenium cum bonitate coniunctum spirans. Tischb. in eo invenit Menelaum, qui ad certamen provocat, dum Patrocli corpus manibus tenens auxilium implorat suorum. Caput illud, solito maius, in villa Adriani repertum omnia superat, quae de Menelao supersunt, opera. In galea Centaurorum expressum est certamen. Cum ea restauraretur, aquilae factae sunt monstrosae. Extremum ab altera parte est *Agamemnonis* caput, ex protoma marm. coloss. quae iam dudum in Angliam abiit. Romae duae fuerunt e gypso expressae formae, quarum alteram Tischb. emit. Vulgo *Pyrrhus* dicitur; at T. censet omnem expressum esse Agamemnonis characterem. Capiti intercedit quaedam similitudo cum Iovis capitibus, pectus Neptuno est simile (Hom. Il. II, 478 s.); barba crispata, capilli, iubae leonis similes, robur et fortitudinem exprimunt; oculi truces, lateque circumspicientes; musculi

vultus prominent; frons superbiam et iram prodit. Non est nobis certa Agamemnonis imago. Non tamen haec omnia sunt Agamemnone indigna. Neapoli est herois caput, quod Winkelm. Agamemnonis aut Menelai esse dixit. Idem Winkelm. statuam in Mus. Capit. (T. III. t. 48. Racc. t. 130.), Pyrrhi et Martis nominibus insignem, censuit Agamemnonem esse, similem illi, qui in sarcophago Mus. Capit. T. IV. t. 1. cum Briseide exhibeatur. Sed Heyn. existimat (p. 45.) in sarcophago sedentem hominem esse Lycomedem, omninoque Achillem in insula Scyro proponi. Agamemnonem excipit *Achilles*, iuvenile, venustum caput. In vultu inest virilis severitas, et meditatio profunda cum quadam doloris significatione. Videtur non tam Briseidem quam Patrocli iacturam cogitare. Galeam ornat gryphus et super eo sphinx. Tria supersunt capita Achillis, unum in statua villae Borghesiae, alterum 1772. repertum, primum ab Andr. Matteio, deinde a Schuwalowio emtum, nunc in Petropolitano imp. museo cernitur; tertium est ap. dom. de Reiner, ab epistt. secr. reginae Neapol. Inter Vlyssem et Achillem caput est, ex opere, quod march. Vivenzio Nolae possidet, delineatum. *Nestorem* dixit Tischb. quia senilis prudentia inest. Tamen prouectior aetas non videtur expressa esse. Observat Heynius hoc loco, naturam ipsam etiam in hominum formatione ab ultimo animalium gradu ad summum speciei pulcerrimae fastigium esse progressam, ita ut cum primum hominum et brutorum animalium facies tantum non confusa esset et commixta, tandem, pluribus aliis interiectis, humana pulcerrima existeret forma. Eae autem, quae nihil haberent, quod brutis inesset, non nisi species fuerunt mente artificis conceptae. Quare etiam studium physiognomiae animalium artificibus Tischb. commenda-

vit. Vtinam vero plura servata essent antiquitatis opera, quae formarum heroicarum varietatem exprimerent! Supersunt ex Romano aevo nonnulla antiquiorum exempla, sed admodum imperfecta. Et vel ex iis nonnulla iam perierunt, aut interitui proxima fuerunt. Quae quidem opera antiqua si interierint omnia, metuendum est, ne artificum manus ad inepta delabatur, nimiumque ornata. VI. p. 47. ss. Anaglyphum Volaterranum, quod in Museo Flor. visitur, et quo vulgo Priamus Hectoris cadaver currui imponens exhiberi putatur, Heynio argumentum est: Nestor Antilochi filii corpus impositurus currui. Difficile enim est, dignoscere heroas, quos opus sistit, neque ignoratur, in aliis anaglyphis atque gemmis Priamum cerni corpus filii redimentem. Verum Ulysses, qui in nostro hoc opere insignis est suo pileo, nullo modo potuit adesse, cum Priamus rex clam in castris versaretur Achivorum. Neque ad eam rem pertinet, qui equis adstat, armiger; etenim Hectoris arma Priamo non sunt reddita; neque etiam Priamus militis habitu et galea ornatus recte fingi potuit. Cum in Iliade non occurrat caesus aut vulneratus, qui a sene quodam fuerit exceptus, neque Patroclus curru, sed a Menelao atque Merione absportatus (Il. XVII, 717.): extra Iliadem quaerendum est argumentum. Achilles mortuus et a Phoenice absportatus (Quint. Smyrn. III, 459. s.) dici posset, nisi senex adesset, quem vix alium quam Nestorem licet existimare. Nestoris enim filius, patrem tuiturus, ipso spectante caesus est a Memnone; Nestor advocare alterum filium, Thrasymedem, aliosque milites, ut corpus certe seruarent, sed cedere Memnoni coactus Achillem implorare, qui ut adfuit, ut Memnonem occidit, Pylii cadaver in castra deduxerunt. (Qu. Calab. II, 260. s. 387. s. III, 1.) Qui igitur circumstant milites, Pylii

sunt, non ulla quadam nota distincti; Nestorem autem, qui operam confert ad imponendum currui filii corpus, omnia insigniunt.

Minorum tabularum argumenta sunt haec: p. 1. Genius olori insidens, manu pateram tenens, ex vase fictili Hamiltoni. Num fortassis poëtae est Genius, ut olor Apollinis symbolum? Paulo inferius nouem olores deinceps incedentes ex alio vase March. Vivenzii Nolani exhibentur. Initialem litteram ornat femina sedens et in volumine legens, ex ant. gemmae ectypo apud Tomsonum. P. 10. Parvus alatus genius insidens olori, cui ex patera praebet pabulum, opus fictile apud Hamiltonum. Eius generis idola multa et varii generis reperiuntur in sepulcris antiquis. P. 23. Anaglyphum marmoreum Florentiae parieti ante porticum insertum: Apollo in saxo sedens cum cithara, ad sinistram femina innititur columnae aut saxo; a dextra duae stant aliae deinceps feminae, post has ad arborem sedet pastor cum pedo et capella. Narratur, Apollinem apud Admetum, amore ductum (v. Rhianus in schol. Eurip. Alcest.) pecudes pavisse, quo etiam Tibull. Eleg. II, 3, 11. ss. respexit, ex cuius loco Heyn. hoc monumentum artis explicuit. Pastorem Apollinem significat, qui adest, pastor; deus sedet meditans amorem; proxima adstat mater Latona eum consolatura; reliquae duae mulieres sunt nymphae. Quod fatemur parum esse probabile visum. In medio folio lamina exhibet decem milites in alterum genu prolapsos et scuto tectos, ex vase fictili Hamiltoni. Littera initialis ibid. habet lyram, cui supervolat papilio, ex gemma; phantasiae lusus. Papilio symbolum est animae, quae citharae cantu delectatur. Similiter in aliis operibus papiliones uvis, poculis etc. supervolant. P. 29. Mercurius stans cum caduceo, et marsupio, et Apollo

sedens,

sedens, altera manu capiti imposita veluti quiescens, altera lauri ramum tenens; interposita est columna cum statua Minervae. Ex gemma anagl. principis *Lavalle*. Censet Heyn., artificem voluisse varias mentis facultates significare, fingendi vim in Apolline, acumen in Mercurio, sapientiam atque prudentiam in Minerva. (Quodsi Mercurius altera manu, ut videtur, lyram tenet, videri potest eam eripuisse Apollini, atque huius vultu dolor exprimi.)

Secundae Particulae praemissa est Comm. Heynii de Odyssea. Mirum est Vlyssem, regulum parvae insulae, exemplum virilis prudentiae omnibus saeculis exstitisse. Scilicet characteres historici nobiliores quique, cum saepe proponuntur, augentur ita, ut naturalem magnitudinem tandem superent atque excedant; in heroicis hoc etiam audacius factum, videturque Vlyssis characterem iam multis modis fama exornasse, ante quam princeps poëtarum eum eveheret ad summam prudentiae aliarumque virtutum speciem. Etenim res Vlyssis compositas esse patet ex diversis nautarum narrationibus et heroum factis, etiam allegoricis mythis, ut in Circe, Sirenibus, Aeoli arce et 12. liberis. Nautarum fabulas de Trinacria, Cyclopibus, Laestrygonibus, Cimmeriis, Phaeacibus, Calypso, referri in promtu est; mythi diversi et generis et temporis, iam carminibus aliis tractati, coniuncti sunt. Occidens remotior atque ignotior monstrorum omnium patria habebatur et sedes. Cum Graeci postea Siciliam Italiaeque littora occupassent, certa loca vetustis mythis quaesiverunt, in ora Latii insulam Circaeam, et paullo ulterius versus orientem Laestrygonum terram et Sirenum promont. repererunt. Frustra multi conati sunt inde systema geographicum eruere, ubi non nisi coniecturis locus est. In Vlyssis ingenio et rebus recte iam

antiquitas copias praeceptorum de moribus utilissimorum reperisse sibi visa est, quorum magna esset ad regendam hominum vitam, et ad formandam iuventutem, vis. Caeterum Vlyssis ingenium, quale Homerus finxit, et a scenicis poëtis et ab artificibus est multis modis variatum atque ornatum, ita ut vel allegorica inde atque idealis, quam dicunt, existeret natura. Neque tamen propterea negandum est, vixisse aliquando Vlyssem, expeditionis Troianae eum fuisse comitem, eumdemque post diuturnos errores in mari mediterraneo domum rediisse. Multum ille sensus poëtici atque artis perdidisset, qui, dum ipsum Homericum poëma legeret, aut artis opera, ad Vlyssem spectantia, cognosceret, dubitationibus de Vlyssis historia occupari posset. Ei potius verus obuersabitur Vlysses, prudenter et constanter omnia peragens, fortiter tolerans, numquam consilii sui immemor. Tabulae sunt hae: I. p. 7. Vlyssis protome, ex marm. apud Bristolium (ut in I. part., hic tamen paullo maior). Vultus fortitudinem et constantiam cum prudentia coniunctam spirat, qualis conuenit Vlyssi (ut in Iliade describitur magis, quam ut in Odyssea, aut ut ap. Hor. Epp. I, 2. de eo dicitur) meditanti rem magnam et grauem, ut cum Agamemnon simulasset, se reditum in patriam esse impediturum (Iliad. II.). Cincinni capillorum et barbae similes sunt illis, qui in Iovis capitibus conspiciuntur, minus tamen promissi, sed in superius erecti. II. p. 11. Vlysses ad maris littus sedens, ex egregia gemma anagl. regis Neapol., cui similis est gemma Musei Boruss. (Descr. d. p. grav. de Stosch. p. 398. n. 350.). Desiderium patriae, quod in insula Calypsus acerrimum sensit, expressum est in ore herois, qui latum prospicit mare; omnis habitus animi conditioni est accommodatus; manu altera quae genu

innititur, sustinet mentum, altera demissa est; quo bene significatur animi aegritudo; vestimenti pars medium corpus tegit; reliqua sunt nuda; pone eum clypeus iacet; Vlyssem indicat nauticus pileus. Pedes sandalia habent nostris simillima, et a calceamentis vett. recedentia, otioso tamen homini admodum congrua. III. p. 15. Vlysses ab Autolyco, avo, exceptus. Cum enim Ithacam reuersus esset, a nutrice ex cicatrice vulneris agnitus est, quod puero apud avum in venatione aper inflixerat. Ad illud igitur tempus, quo ab avo exceptus est, refert Tischb. hanc picturam vasis fictilis, quod nunc Comes Lambergius Vindobonae possidet. Sedens quidam senex, cuius sinistra baculo nititur, dextram porrigit aduenienti iuueni, qui ex itinere adest. Hic enim gestat pallium breuius, ocreas, et pileum, qualis iter facientibus fuit usitatus, de tergo pendentem, duasque hastas manu tenet. Scabellum solio additum dignitatem sedentis senis declarat, frons aperta atque prudens vultus serenitatem animi. Post senem prodit femina labrum aliudque vas ad effundendam aquam gestans, qua hospes uteretur. Eam praebebant aut ancillae aut filiae, videturque ea esse una filiarum Autolyci; certe vestitus nobilioris conditionis feminam decet. Sellae adstanti impositum est vestimentum, quo hospes post lotionem amiciretur; in pariete conspicitur strigilis, qua corpus radebant, et quoddam veluti aspergillum, quo oleum inungebatur. Ad Autolycum retulit Tischb. propter Hom. Odyss. XIX, 431. ss. Putatur etiam ab aliis artificibus Autolycus tractatus, verum statua Sinopensis (Strab. XII. p. 822. A.) ad alium, domesticum heroem, spectat (Plut. Lucull. c. 23. p. 506. s. Arrian. b. Mithr. 83.) Sin minus pictura ad Autolycum referatur, Homericum certe expressum est argumentum.

IV. p. 19. Vlysses in apri venatione vulneratus, ex vase invento ante portas antiqui Samnitum opidi, Saticulae (Sta Agata delli Goti in Prencipato oltra) quod Tischb. habet. Venatio illa instituta erat a filiis Autolyci die post Vlyssis aduentum in monte Parnasso. (Hom. Od. XIX, 426. s.) Et Vlyssem quidem, hasta armatum, cuius pedem petere aper videtur (vulnus lumbis inflixit), prodit vitta cinctus nauticus pileus (s. qualem iter facientes gestant). Iuxta aprum stat unus filiorum Autolyci cum clava. Vterque, ut heroes antiqui, vestiti sunt pallio, quod manui iniecerunt, ut se *eo*, tamquam clypeo, tuerentur. Apri et robur et ira bene exprimitur, omninoque omnis compositio egregia est. Vlyssi sunt ocreae, quales peregrinantibus erant. Caeterum vitta etiam in aliis monumentis additur pileo, ut in Oreste Tab. 18. vas. Hamiltoni. V. p. 21. Vlyssem reversum nutrix ex cicatrice agnoscit, dum pedes eius lavare vult. Ad Homeri locum plane expressit artifex in gemma smaragd. plasm. Musei Dehnii. Sedet Vlysses, nutrix stat, et alterum eius pedem patitur manibus excidere in labrum aqua redundans, aperto ore; sed Vlysses manu et vultu ei silentium imperat. Assidet Vlyssi canis, de quo nihil in Homero. VI. p. 25. Vlysses Sirenas praetervectus, ex marm. Sarcophago Mus. Flor. Etrusci operis et antiqui, neque bene sculpti. Tres exhibentur Sirenes, non in aves desinentes, sed formosae virgines; saxis insident, postrema syringe, media lyra, tertia duabus tibiis, canentes, bene vestitae stola, quae a cervice supra caput est tracta. In navi cum Vlysse malis alligato visuntur tres eius socii; et navis quidem iam praeteriisse insulam censenda est; unde Vlysses desiderio plenus respicit Sirenas; socii eum mirabundi adspiciunt, cum ipsi auribus obturatis cantum non percipiant. Duo (Perimedes

et, Eurylochus) vincula arctius adstringere videntur. Velum etsi expansum, tamen non ita est comparatum, ut ventum exciperet. Cum enim ad insulam propius accessissent, vento cessante, remis uti oportebat. In marmore velum rubris distinctum est laminis; tres clypei in carina, duoque minores in prora et puppi, atque ipsa navis, auro etiam ornata est. Gubernaculum cum tribus remis non bene exsculptum est. In prora praeter arietis caput (parasemon) etiam tria rostra cernuntur, postea non nisi in bellicis navibus usitata; in extrema puppi est aplustre pennis magnis simile. Alia eius generis monumenta sunt in *Paciaudi* Monum. Pelop. I. p. 139. et Descr. d. pierr. grav. du Cab. de Stosch. p. 400. n. 357. Sirenas constat symbolicas esse naturas, et apud Hom. quidem virgines, quae blandis verbis ac dulci cantu inescent alios et in perniciem abripiant. Cupiditatum illecebras significari in promtu est; sedes est amoena insula, cincta tamen cadaverum ossibus. Illecebras earum effugere nemini licebat, nisi qui vinculis se alligari, aut aures suas obturari passus esset. Homerus antiquam fabulam reliquis erroribus Vlyssis adiunxit; ratio et ars, qua ille Sirenum cantum securus audivit, non ea optima est, qua cupiditatum irritamenta effugiamus. Aliis tabulis minoribus artifex expressit, quae sequuntur. P. 1. Insulae cuiusdam maris mediterr. prospectus, ita ut cum insula Calypsus, aeque ab Hom. ficta, possit comparari. Ibid. in medio, linea fluctibus composita, uti saepe in vasis pictis cernitur. In medio est Scylla, sublatum remum tenens, quo praedam caedere solebat, ex numo familiae Pompeiae. In littera initiali caput arietis, bellica machina, cui insidet noctua; oppositus est ei caduceus Mercurii; ex gemma apud Vendipanium, Neapoli. Symbolicam esse imaginem patet;

animi firmitas, vigilantia, prudentia, fortitudo, facundia, coniunctae in Vlysse virtutes significari videntur. P. 6. ex artificis idea, Homero legendo excitata, sistuntur naues ad littus tractae, ubi nautae noctu epulas parant. P. 7. Gallus et vulpis ex gemma non eximii laboris apud principem Petropersiam (Pietrapersia) in Sicilia; alter calliditatem vigilantiam alter spirans. Ibid. tres gemmae sunt propositae. Prima (iam a *Guattanio* Monum. ined. antichi illustrata) Palladem cum milite bigis insistenteni, ipsamque armatam et habenas tenentem exhibet. Altera monstrat Victoriam alatam bigis insistentem, altera manu palmam, altera globum, cui duo armati impositi sunt, tenentem; tertia (s. media) exhibet Palladem stantem, armatam; sinistra hastam, dextra imaginem Victoriae tenet; ab altera parte clypeus adiectus, ab altera noctua. Has duas gemmas possidet L. B. de Hornstein, Canonicus Wirceburgensis. Ibid. litteram initialem ornat Minervae caput cum diademate (lamina aurea) unde duo Pegasi prosiliunt; ex fragmento vasis picti, quod Locris repertum Venutius, Eques Neapol., possidet.

Ipsum illud, de cuius argumento diximus, opus invenit superiori anno exeunte iniquiorem censorem 3), qui partim contendit, auctorem operis multis duci opinionibus vanis, parumve certis, partim eius opus ad Homerum explicandum non multum facere. Idem vere (n. 190.) censuit, Odysseam esse ab Etruscis compositam rhapsodis, atque simul de vasis illis pictis disputat, quorum nonnulla veteris manus etruscae esse exi-

3) Ueber Wilh. Tischbein's Homer nach antiken Abbildungen nebst einigen Gedanken über die Kunstwerke der Etrusker, Fragment eines Briefs, in dem *Allgemeinen Litter. Anzeiger* 1800. n. 189. p. 1857. ss. n. 190. p. 1865. ss.

stimat. Isti censori respondit alius Vir d., in eodem libello 4) ita, ut doceret, critici fuisse, in consilium operis ipsum potius quam in modum, quo illud artifex tenere studuit, invehi, atque deinde in singulis monumentis ostendere, ea non satis certo ad Homeri carmina referri, neque fideliter depicta esse; Tischbeinium enim, ipso Hamiltono teste, omnium optime vasa aliaque opera antiqua delineasse, neque eum constituisse, Homerum ratione artis habita illustratum proponere, sed artis opera, quacunque aetate elaborata, quorum argumenta ex Homero petita viderentur. Idem Anon. etiam Critici istius decretum de etruscis vasis examinat (p. 732. ss.), contenditque, cum illa vasa non, ut paterae aliaque monumenta, etruscis insignita sint titulis, et in Campania atque Sicilia inventa, non ea essse Etruscis adtribuenda; coniecturam quoque de anaglyphis Etr. inauratis in dubitationem vocat. Et de fide quidem Tischb. in delineandis operibus antiquis religiosa, etiam alius auctoris locupletissimi legimus testimonium non cupidum 5), neque displicuerunt Observationes, quas de prima particula operis laudati proposuit alius quidam iudex in Berolinensi quodam libro 6). Illud vero aegerrime tulimus, quod non uno hoc exemplo cognovimus, si quod inter nostros exactum fuerit magni ingenii et laboris opus, de quo Germanica natio, si quae dici potest, gloriaretur, existere facile, qui obtrectent atque calumnientur, neque errores humaniter corrigere, sed acerbe notare, et vel

4) *Allg. Litt. Anzeiger* J. 1801. n. 75. p. 721. ss. n. 76. p. 729. ss.

5) Neuer Teutsch. Mercur. J. 1801. partic. 3. p. 218. ss.

6) Eunomia, eine Zeitschrift des 19. Jahrh. herausg. von *Feßler* und *Rhode*, 1801. Partic. 4. s. mense April. p. 289. ss. Add. *Hennings* Genius des 19. Jahrhunderts. 1801. Vol. II. p. 10.

absoluti operis laudes opprimere, vel coepti progressum impedire, si modo possint, conentur.

Caeterum iis, quae de Troadis topographia et Troiano bello allata sunt Partic. I. p. 123. ss. addimus 1. auctorem observatt. in nonnulla loca libri Bryantii de bello Troiano non Vincentium, sed *Thomam Falconerium* esse (v. *Brüggemann* supplement to the View of the English Translations etc. of the antient authors p. 12.). 2. Bryantii opiniones impugnatas etiam esse a *Dallawaeo* singulari comm. On the controverted subiect of the siege of Troy, by *Iames Dallaway* (M. B. F. G. A. late Chaptain and physician of the British Embassy to the Porte), quae inserta est eius Constantinopoli antiquae et hodiernae; 3. *Lechevalerium* nuper in litteris ad Lenzium missis 7) promisisse novas observatt. in Akerbladii, Swartii, et Helvigii censuras sui operis. Quod ad Achillis sepulcrum adtinet, multo certius ille confisus est testimonio Iumelini medici, quam Fauvelii artificis, de quo recentius saepe laudato homine his verbis iudicat: „qui est un charmant artiste, mais qui n'a fait iamais d'etude, ni dans les Lettres, ni dans les Sciences.“ Lenzius autem Francogallum auctorem defendit aduersus censorem doctissimum Ienensem (Allgem. Litter. Zeitung 1801, n. 70. p. 557.) 4. *Bryantum* etiam Angli Critici observationibus respondisse: An expostulation to the British Critic. By *Iac. Bryant.* Lond. 1799. 4.

7) Allgem. Litter. Anzeiger, 1801, n. 81. p. 779.

XIII.

Exponitur de libris nonnullis ad artis antiquae historiam et opera pertinentibus.

Vt aliae litterae, quae ad philologiam omnem pertinent, exeunte superiore saeculo inter nos et diligentius et utilius sunt excultae, ita contigisse hoc tum archaeologiae, tum historiae atque geographiae antiquae, summopere laetamur. Et de illa quidem nunc dicetur. Nam primum omnium non modo studiosius nostri tractarunt et interpretati sunt atque illustrarunt exterorum libros, qui de antiquitatis disciplina et de archaeographia agunt, omninoque effecerunt, ut facilius emerentur, verum etiam, quod grauius est, ipsi artem opera antiqua explicandi rectius et subtilius iudicandi melius instituerunt, de artibus veterum et artificiis prudentius disputarunt, ad genera sua et rationes ea probabilius revocarunt, denique iis vel ad veterum scriptorum interpretationem iuuandam, vel ad rituum et morum antiquorum cognitionem augendam, vel ad pulcritudinis sensum acuendum, et fructuosius et sapientius usi sunt. Numorum antiquorum artem et scientiam ad iustam subtilitatem adduxit *Josephi Eckhelii* [1]) eximia diligentia et critica facultas, neque

[1]) Edito immortali opere: Doctrina numorum veterum, Vindobonae 1792—98. VIII. voll. in 4. Neque vero minoris est faciendus eius Delectus gemmarum Musei Vindobon. francogall. editus. De meritis eius viri (nati Enzesfeldii d. 13. Ian. 1737. mortui Vindob. 16. Mai. 1798.) exposuerunt

ignota sunt *Heynii*, *Böttigeri*, *Gurlitti* [2]), aliorumque [3]), in hoc litterarum genus singularia merita. Quo-

Böttigerus (Nachrichten über Ioseph Eckhel, im Neuen teutsch. Merkur 1798. Partic. 9. s. Sept. p. 66. ss.) et *Millinus* (Notice historique sur Ioseph-Hilaire Eckhel, Garde du Cab. d'Antiq. à Vienne, lue à la Séance publ. de la Soc. philomat. An VII. 15. pp. quae etiam Promtuario encyclopaedico est inserta.)

2) Eius hae inde ab aliquot annis prodierunt commentationes: Ueber die Gemmenkunde — Magdeburg bei Keil. 1798. 46. pp. 4. Ueber die Mosaik, ib. eod. 18. pp. in 4. Allgemeine Einleitung in das Studium der schönen Kunst des Alterthums, ibid. 1799. 50. pp. 4. — Versuch über die Büstenkunde, ib. 1800. 91. pp. in 4. Idem in Vita Vuinkelmanni (Biograph. und litterarische Notiz von Ioh. Winkelmann — Magdeb. 1797. 38. pp. 4.) quae ad artem pertinent antiquam eiusque studium, non pauca egregie observavit.

3) Ita *Io. Phil. Siebenkesii* Enchiridion archaeologiae post mortem auctoris prodiit, quod, si auctor ipse expolire potuisset, speramus multo perfectius futurum fuisse. (*I. P. Siebenkees* Handbuch der Archaeologie oder Anleitung zur Kenntniſs der Kunstwerke des Alterthums und zur Geschichte der Kunst der alten Völker. I. Abtheilung. Nürnb. 1799. II. Abtheilung, 1800. 496. pp. 8.) Certe multum illud praestat *Martinii* acroasibus archaeologicis, quas nescio quis, invitis manibus Martinii, ediderat (*G. H. Martini* akadem. Vorlesungen über die Litterair-Archäologie nach Anleitung des Ernestischen Lehrbuchs durchgesehen und mit Anm. begleitet, Altenb. 1796. 8. 549. pp.). — Utiliter alii opera huius generis utilissima repeti iusserunt, quo melius possent coëmi ab harum litterarum amicis. Vt enim in Francogallia *Winkelmanni* opera, gallice conversa edi coeperunt (duo volumina, quae historiam artis antiquae continent, cum animaduerss. Italorum edd. et tabulis aeneis omnibus adhuc prodierunt, atque spes facta est, fore ut propediem tertium volumen exeat); ita Berolini Monumenta inedita *Vuinkelmanni* germ. versa, cum tabb. aen. omnibus, sunt edita, quibus superiori demum anno additi sunt Indi-

rum quidem tanto maiores sunt laudes, quanto rectius multi eorum, qui ipsa artis antiquae opera pauca vi-

---

ces utilissimi. Praestantior etiam repetitio operis rarioris: *Mahlereyen der Alten. Nach der seltnen Originalausgabe des Grafen Caylus, nebst Beschreibung von A. Rode.* Dessaviae sumtibus Societ. chalcograph. 1797. 98. III. Particc. fol. quibus picturae pyramidis Cestii, sepulcrorum Titi atque Constantini insunt. Insignis vero fuit opera, quam *Schlichtegrollius* in explicandis praecipuis Stoschiani musei gemmis, artifices in tabulis aeneis, quibus illae exhibentur, posuerunt. Vtinam vero Germani patrium operis redemtorem non destituissent! Hactenus enim non nisi primum prodiit, atque pretio non magno venditur, volumen, et francogallica lingua, et germanica, qua ita inscribitur: *Auswahl vorzüglicher Gemmen aus derjenigen Sammlung, die ehemals der Baron Phil. von Stosch besafs, die sich jetzt aber in dem königl. preuss. Cabinette befindet. Mit mythologischen und artistischen Erläuterungen begleitet von Friedrich Schlichtegroll. Erster Band.* *Nürnberg*, bey I. T. Frauenholz, 1797. 179. pp. 4. 48. tabb. aen. adiectis. — In alio genere praeclare meruerunt, qui de arte antiqua eiusque operibus in variam partem disputarunt. Quo pertinent *Propylaea* a Göthio, inde ab a. 1800. tribus voll. edita, in quibus Commentatt. de Laocoonte, de Etruscorum Monumentis, de argumentis artis fingentis, de Niobes symplegmate, de restauratione operum antiquorum, de Venere Capitolina, aliaeque leguntur multo cum fructu. — Fuerunt nuper etiam, qui nimiam vett. operum artis venerationem vituperarent, in qua tamen tutius peccari putamus, quam in earum contemtione. Ita *Rhodius* disputauit contra eos, qui veteres artifices omnia exhausisse et solos pulcras formas expressisse censerent (Prof. *Rhode* Bemerkungen über einige Behauptungen neuerer Schriftsteller die Kunst betreffend, in: *Eunomia*, eine Zeitschrift des 19. Jahrh. herausgeg. von *Feſsler* und *Rhode*, Berlin 1801. 4. part. p. 389. ss.) *Schadowius* autem accuratius docuit, cur reliquiae antiquorum operum etiamnum praestantissima sint artificibus exempla (Prof. *Schadow* über einige in den Propyläen abgedruckte

derant, de interpretatione eorum [4]) et crisi disputarunt, reiectis eorum nugis, quibus contigerat plurima videre artificia vetusta. Accesserunt ubique non modo maius eruendi, colligendi, et adservandi [5]) opera antiqua studium, sed imitandi etiam ea et variis formis exprimendi nouae artes [6]). Vt vero ad artifices formandos praestantissimorum antiquitatis signorum species diligentius propositae sunt [7]): ita, quo certius intel-

---

Sätze, die Ausübung der Kunst in Berlin betreffend, in Eunomia 6. part. p. 487. ss.).

4) Vid. *Lud. de Baczko* Regiomontani disputatio de causis cur interpretatio vett. operum saepe minus satisfaciat (Beytrag zur Erklärung alter Kunstwerke, N. teutsch. Merc. 1800. Partic. 8. m. Aug. p. 310. ss. cum *Böttigeri* Supplementis p. 316. ss.) Add. quae paullo inferius de *Levezowii* consilio monebuntur.

5) Ita prope Velitras nuperrime egregia eruta sunt simulacra, ut Minervae, de qua *Fernovius* monuit, Neuer teutsch. Merc. 1798. partic. 3. p. 299. ss. add. ib. 1799. partic. 1. p. 52. s. Et de iis quae Lutetiam abierunt artis operibus alibi monebitur.

6) Numos enim musei Parisini in sulphure egregie *Miennetus* nuper exprimere coepit. v. Catalogue d'une Collection d'Empreintes en soufre de Médailles Grecques et Romaines, à Paris 1799. 8. Add. quae de eo invento narravit *Büttigerus*, in: London und Paris, Ann. I. partic. 3. p. 261. s. Neuer teutsch. Merc. 1799. Partic. 6. p. 170. ss. 1800. p. 44. ss. partic. 1. et part. 6. p. 148. ss. Neque minus memoranda est *felloplastice* Meyi, Erfurtensis. v. *Dominikus* über Hrn. Mey's Felloplastik, im Neuen teutsch. Merc. part. 4. p. 325. ss. add. part. 12. p. 312. ss.

7) Eo nomine inprimis commendamus librum nuper (1801.) absolutum Norimb. ap. Frauenholz. Principes du Dessein d'après les gravures, qui ont été publiées sur les statues antiques par *Jean Volpato*, et *Raph. Morghen*, contenant 36. planches, fol. mai. Quem enim nuper *Grohmannus* apud nos repetiit Davidis librum (*Die Verhältnisse der schönsten*

lectum est, mature a quibusuis litterarum antiquarum, humanitatisque omnis cultoribus esse etiam priscae artis opera cognoscenda, eo magis elaboratum est, ut ea ad scholarum quoque usum et disciplinam transferrentur. Cuius rei aliquot pericula cum non satis bene cessissent [8]), nuper eodem fere tempore duo instituí coeperunt eius generis et consilii, opera, quorum quod prius memorabimus, tantum alteri cedit, quantum huius editores superant exquisitis artium et litterarum copiis. Neque tamen illud prorsus inutile iudicabitur, si, cui tabularum conficiendarum cura est commissa, et optima deligit ubique monumenta, et fidelius elegantiusque reddit, interpres autem brevitatis perspicuitatisque in dicendo studiosior est. Latissime enim patet, in quo versatur, campus, cuius ambitum omnem ne ipse quidem satis circumspexisse visus est, multo minus autem librarius, cui inscriptio amplissima deberi videtur. Ea ita se habet:

Encyclopädie der Alterthümer Griechenlands, Etruriens und Roms. Für Humanisten, Künstler und Kunstliebhaber, zum grösten Theile aus den übriggebliebenen Kunstdenkmählern jener Nationen entwickelt von Dr. *I. G. Gruber.* Mit Kupfern (h. e. *I. G. Gruberi* Encyclopaedia antiquitatum Graeciae, Etruriae, et Romae, in usum philologorum, artificum et

---

Statuen des Alterthums zum Gebrauch derer, die sich den bildenden Künsten widmen, mit 20. Kupfern — von *F. A. David* in Paris — herausgegeben von *Ioh. Gottfr. Grohmann* — Leipz. in der Baumgärt. Buchh. 1800. 4.), is ad retundendum pulcritudinis sensum comparatus nobis esse videtur.

8) Nam delectus prudens, diligentia constans, eruditio et iudicium subtile in eo quaeritur, qui tali opere prodesse velit. Neque redemtorem eius nimis parcere sumtibus decet.

archaeophilorum maximam partem ex monumentis illorum populorum congesta). Particula I. 62. pp. 4. mai. cum 5. tabb. aen.

Complectitur enim vocabulo *antiquitatum* auctor sinelibrarius, qui indicem operis saepius mutauit illius editionem nuncians, non modo quae ad ritus et mores populorum, verum etiam quae ad historicum et poëticum cyclum pertinent, continebitque se potissimum intra Graeciae et Romae fines. Promisit se quotannis sex Particulas editurum esse (cui promisso speramus editorem non staturum esse) quarum quaeque habitura sit 5. tabulas aeneas, duas spectantes ad ritus priuatae publicaeque vitae, duas ad cyclum myth. et historicum, unam quae antiqua opera exhibeat analytica methodo, easque a *Grohmanno*, Prof. Lips. extraord., delineatas aerique incisas. Quod etiam ex Lensii, Bardoni aut similibus libris levissimis hausturum se nonnulla profitetur, docet, de his nondum satis recte iudicare editorem. Praemissa est primae particulae Introductio p. 1—40. in qua de notione antiquitatis, de monumentis et operibus antiquis eorumque notitia, de discrimine antiquitatis et archaeologiae, de angustissimo archaeologiae significatu, atque eius partibus, in quas describitur, de studio archaeologiae et praecipuis museis, de praesidiis huius studii et de encyclopaedia antiquitatum atque eius variis methodis et rationibus, agitur, ita ut, quamquam multa bene observata atque dicta, utiliter ex Heynio aliisque repetita viderimus, tamen ordinem iustum, definitas rerum notiones, et iudicia severa, interdum desideraverimus. Tabularum autem argumenta haec sunt: 1. Ritus nuptiales veterum (quorumnam?), ex duobus vasis pictis in Dancarvillii Antiqq. Etr. Graec. et Rom. (ex Davidis Francogalli repetitione), T. I. tab. 9. et 22. cum eiusdem

Archaeologi interpretatione et iudicio; altero censet nuptias Paridis et Helenae Troiae institutas, altero sponsam cum pronubo et pronuba exhiberi; de hoc etiam Böttigeri sententia affertur. 2. Lorica Pyrrhi vulgo dicta, e Museo Capitolino, et duae galeae, altera e Mus. Vaticano, altera e Iustinianorum palatio; quae omnia repetita sunt (explicatione non adiecta) ex: Raccolta di 100. Tavole rappresentanti i costumi religiosi, civili e militari, degli antichi Egiziani, Etruschi, Grechi, e Romani - incise da Lor. Roccheggiani, Rom. 3. 4. Historia familiae Agamemnonis et singulatim Orestis. Tab. tertia habet primum anaglyphum sarcophagi in pal. Barberini a *Vuinkelmanno* (Monum. ined. N. 148.), deinde gemmam Mus. Vindob. ab *Eckhelio* (Choix d. pierr. grav. du Cab. Imper. des Antiques n. 20.) illustratam, quae idem argumentum, easdem, quas anaglyphum habet, imagines, exhibet. Innotuerunt etiam alia simillima monumenta. Et Winkelm. quidem de Agamemnonis caede, Eckhelius et Göthius in Propylaeis de Aegisthi caede ab Oreste patrata interpretantur, Gruberus autem censuit, artificem ex Sophoclis Electra hausisse imagines suas. Tab. 4. repetit anaglyphum musei Rondanini ex Vuinkelm. Monum. ined. N. 150., Oresten et Pyladen sistens. Tab. 5. Amphitheatrum Flavium (Colosseum) delineatum est, de quo Heinsii iudicium laudatur. Itaque ne architectonica quidem monumenta sunt exclusa. Optandum vero est, ut, quae saepius iam proposita sunt et in notissimis libris iisque facile emendis reperiuntur, non repetantur, sed exquisitiora et ex libris, ubi diligentius expressa sunt, reddantur.

Hoc etiam nomine alterum opus commendatur, cuius duae sunt partes:

Archaeologische Hefte oder Abbildungen zur Er-

läuterung des classischen Alterthums, aus alten zum Theil noch unbekannten Denkmählern, für Studirende und Kunstfreunde. Herausgegeben von C. A. Böttiger und H. Meyer. 1. Heft. Weimar, im Verlage des Industrie Comtoirs. (h. e. Fasciculi archaeologici s. Icones ad illustrandam classicam antiquitatem ex monumentis partim adhuc ignotis, ediderunt, in usum eorum qui litteris operam dant atque artes amant, *Böttigerus* et *Meyerus*. Fascic. I. Vimariae 1801.) 1. plagg. 5. tabb. aen. 4. min..

Archaeologisches Museum zur Erläuterung der Abbildungen aus dem classischen Alterthume für Studirende und Kunsfreunde von C. A. Böttiger. Weimar im Verl. d. Ind. Comt. 1801. XVI. 102. pp. 8. (h. e. *Böttigeri* Museum archaeologicum s. Commentarius in iconas classicae antiquitatis —)

Scilicet editores pluribus et hominibus et consiliis satisfacere constituerunt. Primum enim iis, qui, quamquam a litterarum vett. studiis alieni, tamen artis antiquae classica opera ad formandum ingenium et elegantiae sensum et ad imitationem regendam cognoscere cupiunt, praestantissima quaevis artificia proponere, brevi explicatione addita, quae ad intelligendum opus sufficeret, placuit. His igitur inserviunt fasciculi cum iconibus, qui et soli, sine Mus. archaeol. emi possunt. Verum ratio etiam habita est et iuniorum et provectiorum philologorum, ita, ut, quae quouis opere continentur, copiose et subtiliter illustrarentur, adhibitis eam in rem et aliorum et editoris ipsius laboribus atque inuentis, notatis aliorum interpretum erroribus, mytho quouis ad suas origines deducto et varietate eius exposita; tum archaeologis ita consultum est, ut cuiusque operis historia et fata enarrarentur; denique criticis prospectum accurato iudicio de operis virtutibus et

et vitiis. Neque vero repetentur centies iam proposita et vulgaria, sed excellentissima, partim noua, partim correcta a Meyero; qui ipse illa vidit sibique delineavit antiquitatis miracula, proponentur; neque temere quaeuis, nullo ordine servato, colligentur, sed, quae ad certos quosdam mythos pertinent, coniungentur. Et primus quidem fasciculus *Ariadnes* fata complectitur. I. tabula habet *Ariadnen* expergefactam Naxi (quae insula tum *Dia* est dicta), cum Theseus eam reliquisset, ex tab. pariet. Herculanensi, (Pitture d'Ercol. T. II. tav. XV.) et suis quidem coloribus distincta. Exempla operis Hercul. coloribus picti sunt rarissima. Ariadne modo expergefacta, superiore corpore, quod nudum est, (inferiore parte obtecta) de molli puluinari, nobilem eius locum significante, erexit se, prospiciens navem, quae procul in mari, expanso velo, cernitur, vultu prodens muliebrem dolorem, non desperationem. A tergo stat femina alata, dextram protendens versus navem aufugientem, sinistra humero Ariadnes innixa. Ad pedes stat Amor cum arcu et sagitta, alteram manum oculis obtendens, lacrymarum sive occultandarum sive abstergendarum causa. Aliquanto remotius gubernaculum saxo, ut videtur, appositum est, quod Theseus reliquerat. In navis prora cheniscus (collo anseris similis figura), in puppi aplustre pennas referens conspicitur. Minois, Thesei, et Ariadnes historiam Bött. p. 2. ss. Mus. Arch. exponit. Fabulam de 7. pueris totidemque puellis Athenn. Minotauro destinatis explicat de templo in Gnossio quodam antro, cui illi sacri servi fuerint addicti, et Minotaurum ex hieroglyphica ratione repetit. Ariadnam Naxi ex puerperio mortuam esse censet ex Odyss. XI, 321. ss., et quidem in antro Bacchi sacro, ex Pherecydis fragm. Quod eius fatum deinde magis poëtice, et varie, ornatum est. Inde varii mythi. Non tamen narratur

uspiam Ariadnen ipsam se in mare praecipitasse. Nuptias eius cum Baccho probabile est mysticum sensum in Bacchicis sacris habuisse. Liber Bacchus cum Libera coniungebatur, quam Liberam Bött. nunc non, ut olim, Cererem, sed sororem parui Iacchi, filiam Cereris, h. e. Proserpinam, interpretatur. Pro Libera poëtae Ariadnen posuerunt (p. 21.). Corona Ariadnes est illa astrifera, multis fabulis ornata, similis ei coronae, quam initiati mysteriis gestabant. In arca Cypseli Olympiae propositam Ariadnam Pausanias vidit. In artis operibus Ariadne nunc cernitur 1. expergefacta, solatii expers, 2. dormiens, vel sola vel a Baccho eiusque comitibus oppressa, 3. triumphans et Baccho iuncta. Etsi enim a dramaticis poëtis non tractatam Ariadnes fabulam cognovimus (nisi Aeschyli Κρῆσσαι et Sophoclis Σάτυροι ἰχνευταὶ huc pertinent — recentis autem poëtae *Brandesii* Melodrama, Ariadne Naxia, improbatur, p. 21. s.), artifices tamen e somno excitatam et saxo, aut toro, insidentem exhibuerunt (v. Pitt. d'Ercol. T. II. tav. XIV. et T. VII. tav. 26. coll. Catull. LXIV, 52. ss.) In ea quae hic proposita est tabula, Ariadnes corpus inferius tegitur tunica s. vestimento interiori, quod ne dormientes quidem deponebant, et armillae brachium nobilis feminae ornant (p. 22.). Perite allegorica (Amoris plorantis, qui saepe occurrit) imago adiuncta est, cuius coniunctionis historicarum et allegoricarum imaginum alia quoque sunt exempla (p. 22. not. 18.) Relictum gubernaculum Thesei festinationem significat. Alatam feminam Carcanius Nemesin, incerta coniectura, interpretatur. Nam potest etiam Iris esse aut alia dea. Neque galeam gestat, sed ἄμπυκα (vittam latam, a qua μίτρα diversa est, p. 23.) s. reticulum (κεκρύφαλον). De chenisco et aplustri (ἄφλαστον) nauis p. 23. monetur. Nauis illa, qua The-

seus redierat, Athenis sacra erat, eaque quotannis Delum mittebatur, θεωρὶς, Δηλιὰς, ἱερὰ τριήρης dicta; conservabatur autem, reparatis sensim partibus. Niger s. ferrugineus (nam is erat veteribus μέλας s. niger) color consulto datus est velo, ratione habita mythi de Aegeo (qui non de arce Athen. sed de promont. Sunio se praecipitasse videtur, p. 24. s.) primum a Simonide in Threnis tractati. Picturam hanc reliquis duabus Hercull. praefert Meyerus p. 17. ss.

II. Ariadne dormiens, statua marmor. coloss. iacentis Ariadnes, olim in palatio Vatic. tum in Museo Pio-Clement. nunc in Museo Art. Paris., vulgo (propter armillas cum serpente) *Cleopatra* appellata, quam primus Viscontius recte Ariadnen nominavit, et cuius exempla duo sunt, alterum Florentiae, alterum a Mengsio laudatum in palatio regis Hispan. Sti Ildephonsi. Accuratius autem ea h. l. delineata est, quam in Mus. Pio-Clem. II. t. XLIV. ubi tamen verius ea, quam in aliis tabulis exhibetur. Atque opus Meyerus (p. 41. ss. Mus. arch.) indicat praestantissimum cum formis suis, tum dispositione et vestitu esse, et ad Ptolemaeorum s. Seleucidarum aetatem refert, quia nimiae cuiusdam elegantiae studium animadvertitur, capiti autem priscam deesse venustatem iniuria temporum censet. Tunica eius est dorica antiquissima (v. p. 44.), e duobus pannis, quos fibula super humeris et zona sub pectore nectit. Inferius corpus involutum est stragula, quam perperam nonnulli de pallio acceperunt. Sandalia gestat, de quorum ratione p. 47. monetur. Historia operis eiusque explicationis p. 29. ss. exponitur, ut de Cleopatrae morte p. 31. 45. Non esse nympham s. Naïadum unam posse, p. 33. ostenditur. In anaglypho marmor. a. 1784. Longezzae, quae est Strozziorum villa, eruto, quodque Volpatus possidet, ea-

dem dormiens Ariadne eodem habitu conspicitur, addito Baccho atque Maenade (Mus. Pio Clem. T. II. Supplem. tab. 2. n. 6.) Videtur enim Ariadne dormiens ad Bacchicas fabulas pertinere (cf. Paus. I, 20. Analect. T. III. p. 215. CCCIV. V. Propert. I, 3, 1.) Alia Ariadnes simulacra fuerunt in villa Medic. (nunc Florentiae) et in mus. Odescalchio (nunc in Hispania S. Ildephonsi) Romae, utraque olim Cleopatrae nomine insignia, cui et alia monumenta perperam adscripta sunt (p. 45. s. 48.) Capita Ariadnes in Mus. Capit. et in Dresdensi etiam bacchantium feminarum esse possunt. Caeterum Ariadne dormiens in sarcophagis symbolum feminae iuuenili aetate mortuae interdum esse videtur (p. 35. 48.) Nam et Somnus et Thanatos alati nonnumquam adstant sopitis. In aliis monumentis artis antiquae Ariadne cernitur, quam Bacchus, Satyri et Maenades dormientem opprimunt (Pitt. di Ercol. T. II. t. 16. anaglyph. Ortanum in Mus. Pio-Clem. T. V. t. 8., quae quidem imitando ad alios translata sunt, v. p. 49. s.). Gemma olim Medicea nunc, in Anglia apud Taunleium (Townley) e Mus. Flor. (T. I. tab. XCII, 1.) quae eo pertinet, repetita est tab. IV. n. 2. Sed deductam etiam a Baccho in Olympum Ariadnem, triumphi modo, monumenta vetusta exhibent. (v. p. 50. ubi etiam monetur, ἱερὸν γάμον in aliis quoque cyclis mythicis occurrere, initio a Iovis Iunonisque nuptiis facto). Currus plerumque a centauris trahitur (ut in gemma e Mus. Flor. repetita Tab. IV. n. 3.) qui quidem omnino etiam alibi currui Bacchi iuncti reperiuntur, ex Orientis hieroglyphis ducti. Egregium est anaglyphum Mus. Pio-Clem. T. IV. tab. XXIV. ubi Ariadne cum Hymenaeo vehitur primo, Bacchus cum Venere pronuba secundo curru. Alia etiam, quae ad Bacchi et Ariadnes nuptias pertinent monumenta Bött.

persequitur p. 40. et 51. — Cum in prima tab. nauis Thesei proposita sit, tab. III. triremes ex tribus commentis fratrum Vegarum (in Pict. Hercul. T. V.), Melvilli Angli, et Regis (Le Roy) exhibentur, atque de iis a Bött. p. 52. ss. exponitur ita, ut, quae de triremium origine, usu, modo, remorum ordinibus vel olim vel nuper disputata sunt, breviter recenseantur. Et Franciscus quidem ac Petrus *Vegae* (la Vega) censuerunt, tres illos remorum ordines ad perpendiculum fuisse constructos, unum supra alterum, ita ut supremi ordinis remi essent et longitudinis maximae et ponderis non exigui. *Melvillius* bene vidit, sedilia remigum ita disposita omnem remigationem impeditura fuisse. Ipse igitur (a. 1773.) navium, quae omnino in superficie maris natabant magis, quam undis alte immersae erant, sedilia oblique fuisse posita et in quincuncis modum (V) censuit, quaequidem sententia non fuit noua, *Rex* autem concessit, ita constructas Corinthiorum fuisse triremes, Syracusanos autem existimavit mutasse remorum ordines, cum quadriremes et quinqueremes exstruerent; tum enim uni remo plures additos esse remiges, et in duobus remorum ordinibus fuisse trium, quatuor, quinque remigum sedilia. Sunt cuique sententiae suae quaedam difficultates, minores tamen in duabus postremis. Infimi ordinis remiges *Thalamitae*, medii *Zygitae*, summi *Thranitae* dicti sunt. E quorum variis sedibus iam Vuinkelm. Monum. Ined. p. 278. recte explicuit Schol. Arist. Ran. 1106. Caeterum in quavis navi erat hortator (κελευςής, a κελεύειν, κέλειν, cellere) qui malleolo (portisculo) signum (ἐνδόσιμον) dabat, omninoque remigationis modum praeibat. Erant et remigibus sui quidam modi et cantus. Atque ab hortatore et musico cuiusque nauis repetit Bött. p. 66. s. fabulam de Orpheo Argonautarum comite,

De incursione et transcursione navium aliisque ad rem naualem pertinentibus p. 68. ss. agitur. IV. et V. est tabula maior, qua exhibetur anaglyphum Sarcophagi marm., ap. Ios. Casalium, quod primus delineauit aerique incisum edidit Dom. Cunego, Romae, imaginibus ingeniose inventis, et apte dispositis abundans, de quibus virtutibus Meyerus ap. Bött. p. 90. s. iudicavit. In medio sedet Bacchus pantherae vini pateram porrigens super sacro antro, in monte Prio, ex aduerso Ariadne in sponsae modum velata, dextra carchesium (vas), sinistra tympanum tenens; Baccho adstat Mercurius paranymphus, hunc excipit nympheutria, eam Satyrus pedis digitis insistens, et manum obtendens, qui gestus σκοπὸς dicebatur, tum barbatus sacerdos, veste talari et nebride indutus, cum thyrso, tympano et calatho in capite. Ab altera parte Ariadnae proximus est Satyrus, similiter manum oculis praetendens omnia speculaturus, (parum decore), post eum nympheutria, tum sacerdos similis illi, de quo dictum. *Pastophori* dici possunt; calathus facit *telamonas.* Ad Bacchi et Ariadnae pedes est Silenus cum face, tum Paniscus religatis manibus inter duos Amores, castigatus, quod dormientem Ariadnam retexerat. Bacchica vasa plura sunt adiecta, in his cista mystica (vannus), e qua serpens prominet (symbolum generationis.) Viscontius Mus. P. Cl. T. V. p. 13. et 86. censuit Semelem ex inferis a Baccho reductam exhiberi; *nuptias Bacchi et Ariadnae* verius alii interpretati sunt. Hoc se Böttigero probauit, qui, ut erroris a Viscontio commissi persequitur originem, (ex epigr. Cyziceno Anthol. ined. nunc a Iacobsio edito) et singulas imagines accurate exponit, ita in animaduerss. inprimis de thiaso Bacchi, de charchesio (vase libationibus destinato), tympano (tambourin), hypampelis (ἀναδενδράσι), antris Bacchicis, colum-

barum usu in mythis ex Oriente petitis, de tribus nymphis Bacchi nutricibus, quibus eum Mercurius detulerat, a Medea iuuentuti restitutis, ad quas Naxium monum. refert p. 97., de pronubo et nympheutriis, de mystica cista, de σκοπῷ gestu satyricae saltationis et Pane σκοπιητῇ, de barbato Baccho (Indico), de pastophoris (qui παςάδας h. e. thalamos s. vela νυμφῶνος gestant), egit. Quae sarcophagi operculo insunt, non delineata sunt, sed breuiter a Bött. p. 88. s. exponuntur. Praeterea illa tabula cum duae gemmae continentur, de quibus iam dictum est (ad Tab. II.), tum n. 4. anaglyphum figlinum ex Zophoro parui aedificii Baccho sacri, quod duos Faunos (s. Genios) pantheris insidentes, et in medio diotam (vinarium vas) exhibet; n. 5. herma Fauni senilis s. Sileni, adiecto thyrso et urceo, ex gemma (agathon.) quam Göthius Vinar. possidet; n. 6. persona Bacchica cum thyrso, ex sulphureo gemmae cuiusdam ectypo. Sunt et alia quaedam in Comm. Böttig. V. C. sparsa, quae enotamus. P. 71. ostenditur in Diod. Sic. XIV, 42. p. 675. Wess. τετρήρεις textis excidisse et restituendum esse auctori. P. 96. pro κισσῷ καὶ μίλτῳ in Athen. V, 7. p. 200. C. legi iubetur: κισσῷ καὶ σμίλακι συνηρεφές. Etenim σμίλαξ (i. e. herba coronaria s. Convolvulus sepium Linn.) cum hedera fere iungitur, ubi de Bacchi antris agitur. v. Eurip. Bacch. 108. Diod. S. XX., 41. Icones a Philostrato sen. non ex ingenio describi, sed vere fuisse, multumque prodesse artificibus posse, p. 19. contenditur. Veteres Spem cum flore quem manu gestat, non cum gubernaculo, quod Abundantiam s. Fortunam significat, exhibuisse p. 22. monetur.

Idem, quod hoc opus in ceteris artis monumentis tenuit, consilium, secutus est *Stiglitius*, V. C. ciuitatis Lipsiensis praetor, in *archaeologia architecturae*, quam nuper

edere patrio sermone coepit. Debemus enim eidem iam plures huius argumenti libros *), eosque idoneos, sed recentissimum idemque et uberrimum et diligentissimum est, cuius prior Pars prodiit ita inscripta: *Archaeologie der Baukunst der Griechen und Römer, von C. L. Stieglitz. Erster Theil. Mit* (15.) *Kupfern und Vignetten* (quibus quidem laminis initia capitum ornantur). Weimar, im Verl. des Industrie-Compt. 1801. 331. pp. 8. Introductio de origine et progressu architectonicae artis inter Graecos et Romanos exponit. Descripta est historia eius in quatuor periodos, quarum cuiusque et reliquiae nonnullae, quae supersunt, et inventa atque ingenium enarrantur, ita ut nonnullorum archaeologorum errores, v. c. de Paesti s. Posidoniae aedificiis, de templo Iovis Panhellenii corrigantur, atque coniecturae auctoris proponantur. Sic ex eo, quod Vitruvius *capitulum pulvinatum* Ionicae columnae saepius memorat, colligitur (p. 31. s.), illud a pulvinis scabellorum, quorum forma in vasis graecis antiquis conspicitur, esse repetitum. Vellemus vero ex quauis periodo, quae aut innotuerint per Pausaniam aliosque, aut supersint integra euersaque aedificia, omnia esse breuiter recensita, laudatis iis, qui de reliquiis cuiusque egerunt. Forsitan tamen in altera parte eas recensebit accurate. Descripsit enim St. librum in duas partes, *practicam* atque *historicam*. Et practicae quidem haec capita sunt hoc volumine tractata: 1. p. 61. de materia

*) Geschichte der Baukunst der Alten — L. 1792. 8. (1791.) — Encyclopädie der bürgerlichen Baukunst, in welcher alle Fächer dieser Kunst nach alphabet. Ordnung abgehandelt sind — L. 1792. V. voll. 8. (in quibus plurimi et copiosi loci ex archaeol. archit. tractantur) — Die Baukunst der Alten, ein Handbuch für Freunde der Kunst. Nebst einem architecton. Wörterbuche. Mit 11 Kupfert. L. 1796. 8. mai.

aedificiorum, lignis, lateribus (qui erant vel crudi, *lateres* absolute dicti, et πλίνθοι, vel *cocti*, qui etiam *testae* appellabantur, p. 75.) tegulis (κεραμοῖς), lapidibus, aere; de modo lapides et lateres iungendi, et calce ligandi, de Puteolana terra, gypso, maltha (nostris *Kitt*). 2. p. 93. Murorum et tectorum constructio. Murorum, inprimis fundamentalium, genera fuerunt varia. Postea tria celebria Graecis fuerunt: *isidomum* (ex aequalibus lapidum ordinibus), *pseudisidomum* (e lapidibus diversae magnitudinis) et *emplecton* (lapidibus exterioribus excisis et laevibus, interioribus rudibus). Romanis duo fuerunt genera, *incertum* s. antiquum (e lapidibus variae magnitudinis et formae) et *reticulatum* (e lapidibus quadratis, ex diagonali linea coniunctis). Signinum opus in puteis adhibitum. Lutei quoque fuerunt et alii muri. Tectorum varii modi. Asseres (Dachlatten) aliter quam apud nos, formabantur. 3. p. 121. Interior aedium constructio. Laquearia et testudines aedificiorum. Pauimenta. *Tectorium* opus (Mörtel) et *albarium* s. album (Stucco), priorisque genus, *marmoratum*. De scalis, quibus in superiores contignationes adscendebatur. Non fuisse veteribus fumi euehendi canales, qui nobis, p. 124. ss. docetur. Hinc de camino et hypocausto agitur. De ianuis, foribus, (quae extrinsecus aperiuntur), valuis, cardine, de modis claudendarum forium, seris, pessulis, claustris, de fenestris. 4. p. 139. Columnarum varia genera, partes, et ornamenta perspicue enarrantur, eodemque pleraeque tabulae aeneae adiectae pertinent. In Vitruuii loco IV. 7. et Galiani emendatio, et Hirtii interpretatio (Ueber die toskan. Bauart nach Vitruv, in der Berlin. Samml. nützl. Aufsätze und Nachrichten die Baukunst betreffend, I. p. 16.) reiicitur p. 204. Eiusdem Vitruvii narratio de

quinque rationibus columnas disponendi (III, 2. Pyknostylos, Systylos, Diastylos, Araeostylos, Eustylos) p. 221. ss. recte illustratur. Sententia Hirtii de discrimine, quod inter *antas* et *parastatas* intercedat, p. 235. s. impugnatur. Neque tamen auctor ipse satis clare de eo dixisse videtur. 5. p. 258. Ornamenta aedificiorum, primum externa, quo pertinent acanthi, hedera, Maeandri, oua et serpentum linguae; tum interna, ut lithostroton, opus sectile, tessellatum, vermiculatum, asaroton, in pauimentis (hinc et de musiuo opere); picturae parietinae (ubi et de mire compositis figuris, quae nunc Arabesques dicuntur); camerae et lacunaria, utrumque genus variis ornamentis, picturis, etiam auro, distinctum. 6. p. 297. Domestica supellex, eiusque ornatus breviter recensetur; singulatim de mensis, tricliniis, lampadibus, candelabris, vasis aliis, eorumque picturis, dicitur. Verum ut ea omnis disputatio a consilio operis abfuisse videtur, ita non complexa est omnem suppellectilem. 7. p. 322. Mechanica architecturae praesidia: scansorium (ἀκροβατικὸν, *Leiter*), phalangae s. scutulae, trispastos, pentaspastos, polyspastos, carchesium (nostris *Krahn*), denique Ctesiphontis machinae. Existimauimus etiam de aliis instrumentis, quae in lignis et lapidibus caedendis, laeuigandis, ornandis etc. adhibebantur, moneri utiliter potuisse. Caeterum numi, qui aeri incisi cuique capiti praemissi sunt, ad ipsa capitis argumenta spectant.

Non possumus hac opportunitate data, *Vitruvii* mentionem non facere, quem postquam destituerat *Car. Fea* 10), Romanus, cura sua complexus est *Ro-*

---

10) Ediderat ille iam anno 1788. Progetto per una nuova edizione dell' Architettura di Vitruvio, Romae 23. pp. 8. et

dius, Dessaviensis, V. Ill. et ita ornauit, uti in illis, quae ipsi erant, praesidiis fieri poterat. Nam restant non pauca vel emendanda vel illustranda, quae criticorum architecturae non imperitorum ingenium exerceant. Optaueramus, ut recentissimae editioni commentarius paullo uberior adderetur, qui, quae essent vel a superioribus editoribus et interpretibus, vel ab aliis passim, disputata, in compendium redacta exhiberet, quo nobis non esset ad illas superiores editiones, raras eas neque facile emendas, recurrendum. Et *Rodius* quidem cum primum germanicam versionem probabilem, pluribus etiam animadversionibus et Lexico Vitruviano ornatam, edidisset, Lipsiae 1796. II. voll. 4., superiori anno ipsum scriptorem reddidit:

Marci Vitruvii Pollionis de Architectura Libri decem. Ope codicis Guelferbytani, editionis principis, ceterorumque subsidiorum recensuit, et glossario, in quo vocabula artis propria germ. ital. gall. et angl. explicantur, illustravit Aug. Rode, Dessaviensis. Berolini sumt. Aug. Mylii 1800. 264. 80. pp. 4. (Frontem libri ornat Mausolei delineatio).

Textum ipsum describi iussit ex edit. Iocundi 1511. a qua tamen discessit interdum, usus eam in rem praesidiis codicis Guelferbyt. vetustissimi eiusdemque optimi, Franekerani, de quo Friesemannus in Schlichthorstii Promtuario philologorum exposuit, edit. principis Io. Sulpicii, et Galiani. Inde repetita varietas lectionis scriptori subiecta est, nullis aliis adiectis adnotatt. Ad calcem quaedam emendationes Buttmanni et Wolfii,

---

specimina quaedam tum emendatae lectionis tum commentarii adiecit, sed eum consilium postea abiecisse cognovimus.

hae e codd. Batavis ductae, leguntur. Quantum ex comparatione cap. IX. libri V. intelleximus, non placuit Rodio, V. Ill. ex Feae specimine omnem excerpere varietatem, et ne eas quidem repetiit coniecturas omnes, quas cum vernac. versione proposuit; uti et commentario illi adiecto non facile carebimus. Nam etsi utilissimum est, quod additur, Lexicon, inprimis propterea, quod aliarum linguarum vocabula technica latinis adiiciuntur; commentarii tamen non sustinet vices.

Magnum vero accessit huic editioni nuper ornamentum, tabulis aeneis propositis, quibus egregie interpretatio scriptoris adiuuatur. Duplici inscriptione, latina et vernacula, atque descriptione argumentorum insignes sunt:

Formae ad explicandos M. Vitruvii Pollionis decem libros de architectura, maximam partem ad ipsa antiqua monumenta delineatae, cum brevibus explicationibus latinis et germanicis. Cura Augusti Rode, Dessav. Berolini sumpt. Mylii 1801.

Kupfer zu Vitruvs zehn Büchern von der Baukunst, mehrentheils nach antiken Denkmälern gezeichnet, mit kurzen lat. und deutsch. Erklärungen, von August Rode (Fürstl. Dessauischen Kabinetsrath) 57. pp. fol. XXVII. tabb.

Et insunt huic Collectioni icones, quibus omnia omnium librorum Vitr. argumenta primaria illustrantur; ad l. I. ichnographia et scenographia murorum atque turrium, ventorum descriptio, amussium, pertinent. L. II. sex formis singula murorum genera delineantur. Ad L. III. et IV. aedium sacrarum genera ex ipsis, quae supersunt, reliquiis proponuntur, ex iisdemque capitulorum quibus columnae ornatae sunt rationes repetuntur. Eodem modo ad seqq. libros aliorum aedificiorum publicorum et privatorum formae sunt propositae; etiam

sambucae, musici instrumenti, machinarum quibus fabri utebantur, icones; tum picturarum in udo specimina. Earum vero tabularum pretio, quo venduntur, consultum est plerorumque philologorum studiis.

De aliis scriptis, quae singula monumenta, atque artes antiquitatis singulas spectant, brevius narrabimus, quantum vel argumenti copia vel consilii ratio permittit. Et primum quidem memoranda est sylloge eximiarum commentationum Illustrissimi Viri, qui has quoque litteras et coluit diligenter et studiose ornauit, nuperrime coelitibus adscripti (d. 11. Sept.):

Sammlung einiger Aufsätze historischen, antiquarischen, mineralogischen und ähnlichen Inhalts, von A. F. Grafen von Veltheim, D. d. W. W. etc. I. Theil. 17½ plagg. II. Theil 18½ plagg. (h. e. *Comitis de Veltheim* Collectio scriptorum historici, archaeologici et mineralogici argumenti. Duae Partes.) Helmstadii, ap. Flekeisen. 1800. 8.

Eas, quae ad nos unice pertinent, commentationes solas laudamus, omnes iam antea notas, multum nunc auctas. *Tomus* igitur primus habet has: p. 1. *Ueber das Feuersetzen der Alten und Hannibals Methode, die Alpen zu sprengen* (de veterum more saxis apponendi ignes, et Hannibalis ratione Alpinas petras emolliendi et secandi), primum 1782. (in Lichtenberg. et Forsteri Götting. Magazin partic. 5.) edita, hic non tam recognita, quam prorsus immutata. — P. 175. *Vermuthungen von der Barberini-jetzt Portland-Vase* (Coniecturae de vase Barberinio) 1791. primum, auctior nunc et correctior edita. — P. 191. *Ueber die Vasa Murrhina* (de vasis murrhinis); editioni primae 1791. multa accesserunt.

Tomo II. insunt: P. 1. *Ueber die Reformen in der Mineralogie; nebst Anmerkungen über die ältere und*

neuere Benennung einiger Steinarten (de mutationibus mineralogiae, et de vett. atque recentt. nominibus nonnullorum lapidum), 1793. iam nouis curis recensita. — P. 63. *Ueber Memnon's Bildsäule, Nero's Smaragd, Toreutic, und die Kunst der Alten in Stein und Glas zu schneiden* (de statua Memnonis Aegypt., Smaragdo Neronis, torevtice et glyphice veterum), 1793. sed nunc denuo elaborata. — P. 165. *Ueber den Hydrophan der Neuern, und den Pantarbas der Alten* (de Hydrophane recentiorum et Pantarba veterum) in Crellii Chem. Annalen 1796. Part. 11.). — P. 203. *Ueber die Onyxgebirge des Ctesias und den Handel der Alten nach Ostindien* (de montibus unde onyches petuntur auctore Ctesia, et de Indico vett. commercio) 1797. nunc auct. — P. 263. *Von den goldgrabenden Ameisen und Greiffen der Alten, eine Vermuthung.* (Coniectura de formicis auriferis et gryphibus veterum) 1799. nonnullis locis correcta.

Singularum Commentationum hae sunt praecipuae: *Die Friedensgöttin der Griechen und Römer*, eine Einladungsschrift von *N. S. Eichhof*, Prorekt. des Gymn. zu Weilburg. (h. e. Pax Dea Graecorum et Romanorum programmate illustrata a *N. S. Eichhofio*) Wetzlar 1801. 19. pagg. 4. Est eiusdem generis Commentatio latine scripta *Nath. Glauber. Schregeri*: Pax Dea ap. Graecos et Romanos, Lips. 1763. 4. Eichhofius subtilius inquirit in causas, cur serius Pax sit culta, atque de locis Corn. Nep. et Plutarchi disputat, quae ad cultum Pacis in Graecia pertinent; tum ex monumentis antiquis docet, Augustum Paci aram erexisse. Inprimis autem exponit de imaginibus Pacis in numis et gemmis Graecorum et Romm., atque de sensu et vi attributorum.

Dissertation sur un disque d'argent du Cabinet des

Antiques, connu sous le nom du *Bouclier de Scipion. Par A. L. Millin*, à Paris. 36 pp. in 8. cum 2. tabb. aen. (h. e. *Millini* diss. de clypeo Scipionis).

Quem olim clypeum esse censuerunt, argenteum discum doctiss. M. verius appellat. In Rhodano inventum esse, certo traditur, sed Celtiberos eum in honorum Scipionis mai. iussisse conflari, et ab hoc in Rhodano, cum fluvium traiiceret, amissum esse, fictum est. M. cum Winkelmanno censet, exhiberi Briseidem Achilli redditam, non sponsam a Scipione restitutam sponso. Nulli homines, nec Agamemnon, nec Phoenix, satis sunt notis quibusdam insignes; praeco (κῆρυξ) Romanus est, non graecus; mensa quae apposita est cum vasis, videtur Agamemnonis continere dona. Opus est serioris aetatis, nec magni artificis, qui et secutus esse alias, quam Homericas, narrationes videri potest. Mill. Septimii Severi aetate factum existimat, censor libelli in ephemm. Gött. (a. 1801. part. 133. p. 1328.) multo serius, propter architectonicas imagines Byzantinis similes, et columnae Theodosianae.

Aduersatus Millino (cuius comm. etiam in Promtuario Commentatt. Magasin encyclop. legitur) nuper est Mulliotus, proposuitque:

Observations sur une dissertation du C. *A. L. Millin* — sur un monument connu sous le nom de *Bouclier de Scipion* inserée dans le Mag. encyclop. en nivose de l'an 9. par le *C. I. Mulliot*, prof. de costume de l'école centrale du départ. de la haute Garonne, membre du Lycée de Toulouse, dans le Mag. encyclop. VII. An. T. I. n. 4. Messidor an 9. p. 505—513.

In dubitationem enim vocavit Vuinkelm. sententiam a Milline defensam, et contendit, omnes imagines cly-

pei convenire optime Scipioni, Allucio sponsam reddenti. At Millinus recte iudicavit, ea, quae Mull. opposuit, non tollere suae sententiae veritatem gravitatemque argumentorum.

De aliis archaeologicis commentationibus, quae in Millini Collectione continentur, alio tempore exponemus.

Coniectures sur *l'Urne Barberini*, appartenant au Duc de Portland. Par *A. F. Comte de Veltheim*, traduit de l'Alemand avec des Notes par *E. C. T. de Vivere*. à Helmstädt, 1801. 42. pp. 8.

In praef. doctiss. interpres historiam vasis intra annos 1623—1644. inventi persecutus est; in animadverss. uberius sententiam Veltheimii explicat, atque confirmat, proponi in primaria parte Agamemnonis et Achillis reconciliationem, eo momento, quo Achilles vult Graecos celerrime invadere Troianos. Patrocli enim mortem et eius vindicandae studium fecisse, ut Achilles in gratiam rediret. Non Alexandri Severi, sed Drusillae, sororis Caligulae, censet sepulcrum fuisse, in quo sarcophagus atque vas illud reperiebantur.

De origine et usu obeliscorum ad Pium VI. autore Georgio Zoëga, Dano. Romae 1797. typis Lazaroni. fol. mai. 700. pp. cum 8. tabb. aen. maior. et pluribus minoribus.

Non ante finem superioris anni hoc opus divulgatum est, quo tum illud, quod primarium est, egregie pertractatur argumentum, tum alia cum eo propius coniuncta, estque classicum habendum. Nec minus fide et diligentia commendantur tabulae aeneae, quibus superstites obelisci delineati proponuntur. I. Sectione collecta sunt loca vett. scriptt. de aegypt. obeliscis, et laudata monumenta antiqua, ut Praenestinum opus musivum, columna Antonini etc. in quibus obelisci cernun-

cernuntur. Plinii locus de obeliscis cum variis lectt. 30. codicum est adlatus. II. Sect. enumerantur, quotquot aut integri, aut fracti supersunt obelisci. III. Sect. agitur de usu, nomine, forma, materia, consilio obeliscorum, atque hieroglyphicis eorum imaginibus. IV. Sect. disputatur de origine monumentorum vetustorum, stelarum, obeliscorum, artis scribendi, atque hieroglyphorum classibus apud Aegyptios. V. Sect. plena et accurata traditur historia obeliscorum, in 4. periodos descripta. Erit vero alia nobis opportunitas ex nobilissimo opere plura adferendi.

Ueber den Raub des Palladiums auf den geschnittenen Steinen des Alterthums, eine archaeologische Abhandlung von Konrad Levezow, öff. Lehr. am kön. Friedr. Wilh. Gymn. zu Berlin. Nebst zwei Kupfertafeln. (h. e. *Conr. Levezouii* Comm. archaeologica de raptu Palladii in antiquis gemmis exhibito). Brunouici, apud Fr. Vieweg, 1801. 79. pp. 4. mai.

Recte indicauit humaniss. Vir, si ita de singulis artificiorum generibus quaesitum fuerit, facilius posse ea ad suas revocari classes, et rectius explicari. Regium Museum Berol., quocum inde a superiori anno coniuncta est Stoschiana gemmarum collectio, multas gemmas vel ectypa earum suppeditauit auctori, quibuscum comparavit, quae ab aliis delineatae sunt. Et fabula quidem de Palladio rapto, quam constat non ab Homero, sed a poëtis illum secutis, esse propositam, artificibus etiam antiquis placuit et ab iis varie tractata est (p. 10. s. ubi etiam locus Iliacae tabulae rectius explicatur), inprimis in gemmis, quas pro argumenti ratione in has descripsit auctor classes: 1. ubi Diomedes iam intra Minervae templum, nondum tamen Palladium aggressus, conspicitur (5. gemmae). 2. Diome-

des iam in eo est, ut abripiat Palladium (6. gemmae s. ectypa). 3. Diomedes, peracto raptu, Palladium manu tenens, intra templum Min., vel sine Vlysse (quo pertinent: gemma nomine Dioscoridis insignis, ubi singularem gestum Diomedis, cuius alter pes in ara recurvatus est, alter in solo, bene A. explicat ita, ut tacite descendere de ara fingatur; alia cum Polycleti nomine, non statuarii, forsitan ab alia manu adiecto; tertia cum Solonis nomine; quarta cum Cneii nomine; quinta cum nomine Hylli; sexta olim in Flor. Museo, omnes eiusdem modi et habitus quo prima; atque his simillimus aereus numus (Médaillon) nuper in marca Brandeburg. erutus, quem Mathesius possidet, tab. 1. n. 6. delineatus; et aliae plures gemmae, omnino 24.) vel cum Vlysse (10. gemmae, in quibus illa est, cui inscriptum graece, Calpurnii Severi Felix fecit, de qua copiose Auctor disputat, subtiliterque iudicat). 4. Diomedes in eo est, ut cum Palladio ex templo egrediatur (5. et quatuor aliae, coll. Append., in quibus Diomedes nullo gestu insignitur.) 5. Diomedes Vlysse comite revertens. (2. gemm.) P. 69. ss. in causas inquiritur, et cur hoc argumentum tam frequenter a gemmarum scalptoribus fuerit tractatum, et cur eodem fere modo, atque coniicitur, Romae fuisse maius quoddam artis opus, quod imitarentur. Caet. auctor in praef. promisit librum: Hermes archaeologus s. de interpretandis artis antiquae monumentis Commentarius; inscribendum.

De gemmis ipsis nuper brevissime exposuit *Christianus Ramus*, Havniensis, libello ita inscripto: *Von geschnittenen Steinen und der Kunst selbige zu graviren, von Christian Ramus*, Doct. d. Philos. Havniae ap. Brummerum 1800. 35. pp. 8. Videtur auctor iis inservire tironibus voluisse, quibus nihil ea

de re innotuisset. Nam ne ea quidem omnia de scalpturae gemmarum origine et modo, atque de crisi gemmarum, proposuit, quae in archaeologicis scholis academicis, quibus et ipsum interfuisse patet, traduntur.

Multo autem luculentior et utilior est *H. C. E. Köhleri* 11), popularis, qui nunc Petropolitano cum laude praeest Museo, libellus de Sarda, Onyche et Sardonyche, quem, nomine non inscripto, Societati Göttingensi misit, (v. Gött. ephemm. a. 1800. n. 194. p. 1219. ss.), a qua editus nuper est: *Untersuchung über den Sard, den Onyx, und den Sardonyx der Alten.* Götting. ap. Dieterich. 1801. 180. pp. 8. mai. Nam etsi Auctor doctiss. non constituerat lapidum illorum historiam et naturam omnem exponere, tamen de indole et discrimine onychis atque sardonychi ita exposuit, ut et emendaret aliorum (Brükmanni maxime, et, qui eum sequitur, Martinii, tum Wallerii, Leskii aliorumque Mineralogorum) opiniones, et accuratius omnia partim e veterum scriptis partim ex ipsis, quas plurimas tractavit, gemmis constitueret. Commentationis haec sunt praecipua capita. *De Sarda.* 1. Genera eius duo distinguunt veteres (quae apud nos *Carneol* et *Sard* — v. Theophr. Plin. H. N. 37, 31. ubi K. legit *ad haec*, non cum Hard. *ad hoc*, et paullo post *modo* (post *hocque*) ex vett. edd. restituit;

11) Inclaruit iam scriptis his: *Bemerkungen über die russisch-kaiserl. Sammlung von geschnittenen Steinen* — nebst einer Kupfertafel, 1794. 35. pp. 4. mai. Déscription d'une Améthyste du Cabinet des pierres gravées de s. Mai. l'Empereur de toutes les Russies — à St. Petersbourg 1798. 106. pp. 8. quo libello variae continentur archaeologicae quaestiones.

tum praefert *demium* (*δημιον*, vulgare, vilius Sardae genus) et contra Guettardum docet, Sardibus, non in Sardinia, Plinio auctore, Sardam primum esse repertam. Vtriusque et carniolae gemmariae et Sardae patria fuit India (montes Gautiorum, *Balla-Gauts*); nunc non amplius reperiuntur, multumque nostri lapides eorum nominum antiquis cedunt. Si qui eius generis lapides, nondum scalpti, supersunt, antiqui illi sunt habendi. Orientales Corneolae et Sardae pellucidae sunt, illa ignei, haec fusci coloris aut fulvi. Nonnullae Sardae, crassiores, apud veteres bractea argentea sublinebantur; neque tamen in gemmis, sed in solis laevigatis lapidibus hoc factum esse, K. existimat, iisque non optimis, cum hi, sive scalpti essent, sive non, funda includerentur nulla bractea subiecta (à jour). Sed annulis insertae nunc non nisi Romanae gemmae reperiuntur; graecae in tot rerum conuersionibus videntur aureis fundis exemtae omnes esse. Caet. et topazio cum veterum tum recentiorum artifices antiquos esse in gemmis scalpendis, quamquam raro, usos, contra Millinum ostenditur. Victorii (Vettori) sententia, a Lessingio probata, artifices consulto auersam partem gemmae inaequalem fecisse, p. 31. ss. impugnatur. Veteres enim artifices graeci gemmis caelandis non nisi optimos lapides et aut pellucentes, aut omnino opacos adhibuerunt; et inaequales gemmarum partes Romanum produnt laborem. Ad Sardae indicae maxime opaca genera referuntur ab auct. *morio*, Alexandrinum, Cyprium, Pramnion. Indicae Sardae pulcerrimae etiam ap. vett. rariores fuisse videntur; utroque genere et rubro et fusco delectati sunt Graeci. Scarabaei plerique ex arabica Sarda facti videntur. Effectum igitur auctor contra multos alios censet, veteribus fuisse unum quidem Sardae nomen, sed corneolam

aeque iis ac nobis a Sarda, quae proprie dicitur, diuersam; utriusque gemmae optima esse indica genera; albas s. albicantes non dari corneolas; Sardam a Sardibus, non a σάρξ, carneolam non a carne dictam esse; nam rectius *corneolam* scribi, a cornea lapidis natura. Vt Sardae, ita et Lyncurio Theophrastus duplicem sexum tribuit. Lyncurium femina nostro respondet hyacintho vulgari, mas meliori generi, apud Italos *Giacintho guarnacino* dicto. De *onyche* haec monentur p. 61. Primum a Sardonyche non fuit distincta; postea ita dicebatur lapis, cui primarius erat Sardae color, interpositis albis zonis; si igneus color dominatur, est corneolonyx, si fuscus aut fulvus, Sardonyx. Ab indica arabica onyx differebat, cum haec fere nigra esset. Nomen onychis inde ductum, quod in gemma candor rubedini admixtus fuit unguis humani similitudine. De murrhino p. 76. disputatur contra Veltheimii sententiam. *De sardonyche* p. 79. Olim ita dicta est gemma, ubi rubro colori velut impositus erat candor; deinde gemma pluribus coloribus, radice nigrá aut caeruleum imitante, ungue in minium transeunte. Vt igitur onyx dicta est, si fundus ruber fuscusve variis candidis aut lacteis venis zonisue sine certa lege distinguebatur; ita sardonyx, cum colores lege quadam et certo modo, unus alteri, impositi fuerunt. Duo sardonychis indicae sunt primaria genera. Nam colorum aut rectae sunt lineae, aut circuli. His quam perite artifices fuerint usi, declaratur, et maxime de iis gemmis disputatur, in quibus figurae eminent p. 95. 98. ss. Caecae (h. e. non translucentes) Plinii non sunt nisi arabicae (quibus apud Italos solos est peculiare nomen: Niccolò col velo turchino), Plinii aetate tanti aestimatae, ut solae sardonychum nomen gererent, annulis tamen signatoriis unice inservirent. P. 120.

ss. recensentur aliorum opiniones, qui aut onychem et sardonychem non distinxerunt, aut de utraque gemma male praecepisse videntur, et de aliis etiam nominibus, ut sardachates, agatonyx, perperam usitatis dicitur. In append. autem p. 163—180. integer Plinii locus de onyche (XXXVII, 24. p. 778. ss. Hard.) et de sardonyche (ib. sect. 23. p. 777. s.) uterque animadversionibus auctoris illustratus exhibetur. Comparauit auctor antiquiorem francogall. Pineti et recentiorem Poinsineti de Sivry versionem ita, ut illam huic esse praeferendam ostenderet. Promisit idem p. 35. Animadversiones de gemmis et glyptica veterum, in quibus auctorem speramus a crebra eorumdem dictorum repetitione alieniorem fore, quam in hoc libello. Caeterum recentissimus librorum novorum index nunciavit Brückmannum eiusdem argumenti libellum scripsisse, quo haud dubie Koehlero, censori acerbo, respondit. De eo alio tempore dicetur.

Eidem Koehlero debetur: *Description d'un vase de Sardonyx antique gravé en relief*. St. Petersbourg 1800. 4 mai. (de quo libello in Gött. Ephemm. 1800, n. 196. p. 1953. exponitur). Caylus illud iam exhibuerat (Recueil T. II. pl. 36.) minus tamen accurate. Est ex indica sardonyche; tantae magnitudinis (3¼ poll. angl. alt. 2½ poll. diam.) ut non nisi vasa, Brunovicense, St. Dionysii et Neapolitanum (in Capo di monte), cum eo recte comparentur. In sedecim figuris eminet Apollo cum lyra et plectro, atque omne anaglyphum ad nuptias refertur.

In Göttingg. eph. a. 1800. n. 48. p. 473. ss. excerpta leguntur ex alia Henr. Car. Ernesti Köhleri Comment. de tribus gemmis hactenus ignotis, quibus caelatorum nomina sunt insculpta. 1. topazius orient. cum Sirio usque ad medium corpus, similiter ut in gemma Marl-

borghiana quae non a Nattero scalpta videtur. Recens insculptum nomen *Scylacis.* (Obseruatur obiter, Natteri gemmas non ita esse praestantes ut Pichleri). 2. Sardonyx parua, in qua cernitur gigas gryphum producens. Litteras insculptas K. legit: Σκυλαξ ἐπι aut Σκιδακιος. 3. Achates sardonychinus, exhibens equum cum heroe illum conscensuro. Additum nomen Θαμύρου. Sed hanc gemmam recentis esse laboris K. suspicatur. Praeter primam illam Köhl. in l. de Sarda p. 29. s. mentionem quoque iniecit Chalcedonii, in quo Iupiter, quernis foliis coronatus, cernitur; utramque autem ita scalptam esse docet, ut pateat artificem noluisse gemmas illas ad signandum abhiberi.

In iisdem ephh. Göttingg. a. 1800. n. 181. p. 1801. ss. *Heynius* exposuit de anaglypho aereo, quod *Hawkinsius* Anglus possidet, et cuius exemplum e gypso factum Göttingam misit. Est illud in modum numismatis maximi moduli fictum, ita ut fere 9. poll. diametrum aequaret, egregie elaboratum, inventum in Epiro (in loco *Paramithia* dicto, ubi veterem Dodonam fuisse sitam Hawk. coniicit, et a. 1793. s. 1794. opera antiqua ex aere 16. sunt reperta, quorum pars in Angliam, pars in Russiam abiit). In illo aere duae primariae sunt figurae: iuuenis phrygio habitu, et femina; Paridem cum Helena dicunt; Heynius Anchisen cum Venere interpretatur ex Homerico hymno. Caeterum Hawkinsius vidisse se scripsit portam Mycenarum, cui leo incisus est, de qua Pausanias narrauit, et non longe inde remotum Clytaemnestrae sepulcrum; reliquias murorum Tirynthis et templum in monte Ocha insulae Luboenae pro vetustissimis habet graecis aedificiis. Idem Fourmontium censuit Amyclarum et Spartae antiqua monumenta confinxisse, id quod etiam Fauvelius et Paynius Eques (Payne Knight) affirmarunt;

Fauvelius, portum Piraei detexit. Rudera Olympici templi sunt ablata. In omni Peloponneso templum Appollinis Epicurii iuxta Phigaliam optime est conseruatum.

Ueber die Apotheose auf einer Gemme. Eine Rede gehalten bey Gelegenheit der Todesfeyer des Hw. M. v. St. S. F. Küstner in der Loge zur Einigkeit von Dr. Ehrmann, d. 16. Dec. 5799. (1799. h. e. Oratio Ehrmanni de apotheosi in gemma —) Francofurti ap. Brönner. 3. plagg. 4. cum tab. aen.

Corneola, quae in Museo *Schmidtii de Rossan* seruatur, alatum sistit iuuenem super norma, tenentem dextra malleum quem complectitur aquila, in cuius rostro est corona, per cuius superiorem partem extremitas circuli ducta est. Has imagines de mysteriis liberorum murariorum, qui dicuntur, auctor explicat, quibus quidem initiati soli nonnulla in antiquis monumentis certissime interpretari possint. De apotheosi veterum ita disputatur, ut omnis mythologia continere existimetur pragmaticum catalogum hominum de genere humano praeclare meritorum. Quae refellere nec iuuat, nec necesse est.

In multis, quae Francogallia nuper emisit, vel repetitis vel nouis operibus de architectura antiqua et de eius reliquiis, dignum inprimis est, quod memoretur, hoc opus:

Les ruines de Paestum ou Posidonia, ancienne ville de la grande Grèce, a vingt-deux lieues de Naples dans le golfe de Salerne: levées, mesurées et dessinées sur les lieux, en l' an II. (1793.). Par *C. A. Delagardette*, Architecte, Pensionnaire de la Républ. à l'Ecole des Artes à Rome. A. Paris chez l' Auteur, et chez Barbou — An VII. (1799.) VIII. 76. pp. XIV. tabb. fol. mai.

Plura enim sunt, in quibus agitur de Paesti ruderibus, opera (Vues et Détails de Paestum, publiés par *Dumont*, Prof. d' architect. Par 1764. f. Sei Vedute delle Ruine di Pesto, da *Morghen*, Nap. 1766. f. The Ruins of Paestum — by I. *Miller*, Lond. 1767. f. Les Ruines de Paestum ou de Posidonie, dans la Grande-Grèce, par *Tho. Maior* — trad. de l'Anglois, Londr. 1768. f. Les Ruines de Paestum, autrement Posidonia, ville de l'ancienne Grande-Grèce etc. avec des Observations sur l'ancien ordre Dorique, traduction libre de l' Anglais, imprimé à Londres en 1767. par M*** (Dumont) et à laquelle on a joint des gravures et des détails concernant la ville souterraine d'Herculanum, et autres antiquités, principalement du royaume de Naples, Londres et Paris, 1769. f. Différentes vues de quelques restes de trois grands édifices, qui subsistent encore dans le milieu de Pesto, autrement Posidonia, qui est située dans la Lucanie, par Piranesi, gr. fol. Paesti quod Posidoniam etiam dixere Rudera, seu Paestanae dissertationes, auctore patre Paulo Antonio Paoli. Romae 1784. ital. et lat. fol. — ut alia minora scripta omittamus); verum tamen parum aut accurati fuerunt, aut consentiunt horum operum auctores et in mensuris et in enarratione eorum, quae supersunt. Multum autem eos diligentia et fide, et recto iudicio Delagardettius vicisse videtur, laudatus eam ipsam ob causam etiam Stiglitio in eo, de quo ante dictum est, libro. Adiuuerunt autem eum cum alii amici, tum anglus iuuenis, Geo. Wallisius, et inter ipsa rudera sunt ea, quae cernuntur, accurate delineata, ut eorum, quos nominavimus, librorum atque tabularum quae Delagardettio ad manus fuerunt omnes errores corrigerentur. Et quamquam de noui operis virtutibus ab iis optime iudicari potest, quibus ipsis licuit

un texte redigé par *Laporte du Theil*, *Legrand*, et *Langlès*.

Et primi quidem quinque fasciculi potissimum Palmyrenas continent reliquias delineatas atque Heliopolitanas, quarto etiam obeliscus Matareensis inest; sexto et septimo proponuntur Aegyptia monumenta, in his antrum hieroglyphicis aliisque imaginibus e saxo excisis refertum, e regione piramydis, quae Chephrenis dicitur, tum obeliscus Cleopatrae. Illud autem ipsum antrum, praemissa diss. praelim. uberius describitur, nonnulla etiam de piramydibus, et de urbe Cahirah narrantur; monetur Almacrizium quoque combustionis Alexandrinae bibliothecae mentionem fecisse. Cff. Ephemm. Gött. 1798. p. 1769. 1799. p. 1441. ss. Optandum erat, ut, quemadmodum in aliis factum est huius generis operibus, commentarius certe in patriam verteretur linguam, et tabulae aliquot praestantissimae repeterentur.

Et itineris quidem per Syriam etc. nuperrime XIX. prodiit fasciculus (Voyage pittor. de la Syrie etc. par C. *Cassas* Livraison XIX. an IX.) cuius e sex tabulis hic inprimis memorandae III. IV. et V. quae templum Solis Palmyrenum, porticum atque arcum triumphalem Palmyr. exhibent.

Multa Aegypti monumenta depicta oculis subiiciet *Denonii* promissum saepius opus: Voyage dans la Basse et la Haute-Egypte pendant l'expédition du général Bonaparte, par le C. *Denon* II. voll. fol. De quo opere mox prodituro vid. Millin Mag. encyclop. T. I. 7. An. n. 4. p. 554.

Scilicet ex quo Francogalli Aegyptum occuparunt, illiusque monumenta accuratius cognouerunt, non modo ab iis, qui recentissimae expeditioni interfuerunt, et de omnibus his monumentis, et de singulis quibus-

dam, est disputatum, sed etiam de itineribus dudum ante peractis relatum est. Ita *Sonninius* de itinere suo iam a. 1780. absoluto exposuit [12]; Volneius autem novam itineris per Syriam et Aegyptum facti et auctam curavit editionem [13], ut omittam de quibus monebitur, cum libri ad geographiam veterem spectantes recensebuntur. Inprimis autem plures, quae huc pertineant, disputationes insunt volumini, quod inscribitur:

Mémoires sur l'Egypte, publiés pendant les Campagnes du Gen. Bonaparte dans les années VI. et VII. à Paris, de l'Impr. de Didot an VIII. 411. p. 8.

In his legitur n. 3. *Norry* Comm. de columna Pompeii vulgo dicta, quae germ. conversa legitur in Vniu. Geograph. Ephemm. (Allgemeine geographische Ephemeriden), vol. VI. p. 209 ss. cuius ipsius columnae variae dimensiones sunt propositae in Anglico quodam diario (The Gentleman's Magazine 1800, April. p. 325. ss.). Alia autem *Andreossii* Commentatio, qua lacus

12) Vogaye dans la haute et basse Egypte fait par l'ordre de l'ancien gouvernement, par *C. S. Sonnini* — Avec une collection de 40 planches, gravées par *J. A. Tardieu* — Paris an VII. III. voll. 8 quorum primum de Alexandrinis monumentis, tertium de ruderibus Thebanis et Tentyritanis, atque picturis potissimum agit. Germ. versio prodiit Gerae et Lips.

13) Additamenta novae edit. seperatim germ. versa prodierunt: C. F. (Chasse-Boeuf) *Volney's* Reise nach Syrien in den J. 1783. 84. 85. aus dem Französ. übers. Dritter Theil, welcher die Zusätze der dritten französ. Originalausgabe (an VII.) nebst mehrern von den merkwürdigsten durch die französ. Aegypt. Expedition veranlaßten Beobachtungen enthält, von Prof. Paulus. Ienae 1800. 8. ubi n. 4. collectae Francogallorum topographicae observationes proponuntur.

Tennis (nunc Menzaleh) et *Moeris* potissimum describuntur, ita est in vernaculum sermonem separatim conversa, [14]) ut et aliorum Francogallorum observationes de Aegypto, aliunde petitae adderentur. [15]). De piramydibus autem inprimis nobile est Groberti opus:

Description des Pyramides de Ghizé, de la ville de Kaire et des environs par *I. Grobert.*, Chef de Brigade d'artillerie, membre de l'Institut de Bologne (qui a. 1800. ex Aegypto in patriam redierat). à Paris chez Logerot - Petiet et Rémont libr. An IX. (1800.) 160. pp. in 4. cum 4. tabb. aen. [16])

Ipse enim accurate, de quibus scribit, examinasse videtur. Agit primum (p. 9.) de Saccarensibus, quarum

---

14) Des Divisionsgenerals *Ardreossy's* Untersuchungen über den See Menzaleh, über das Thal der Natronsseen und über den See Möris, nebst einigen andern Aufsätzen über Aegypten von den Bürgern *Carrié*, *Ceresole* und *Malus* — Aus dem Französ. mit Anmerkungen übersetzt. Leipzig und Gera 1801. 150. pp. 8.

15) De architectonica Aegypt. arte nuper etiam Itali opus in nostram conversam est linguam. *Ioseph del Rosso* Untersuchungen über die Baukunst der Aegypter, und das was die Griechen von dieser Nation wahrscheinlich angenommen haben. Aus dem Italienischen von Valentini. Chemnitz bey Tasché. — Omnes recentiorum Francogallorum et Anglorum commentationes complexus est vernaculus interpres quinque voluminibus (quorum ultimum mense Iulio prodiit) inscriptis: *Ausgewählte Reisen, mit Anmerkungen* (addidit enim interpres nonnullas suas observatt.), *Kupfern, und Charten*, Leipz. und Gera. 8. — Praeterea nonnulla habent cum alia diaria tum et *Gaspari* atque *Bertuchii* geographh. ephemm. et *Zachii* (*Fr. de Zach*) Commercium litterarium menstruum (Monatliche Correspondenz) ad astronomiam et geographiam spectans, unde nonnulla maxime de urbe Eleithyade, alio loco proferemus.

16) Versio vernacula prodiit ita inscripta: *I. Grobert's* — Beschreibung der Pyramiden zu Ghizé, der Stadt Kahira

novem maiores, octo numerat minores. Exstructae in colle ad 50. pedes ultra planitiem elato. Maxima est pedum 800. Secundam, cui est fere eadem altitudo, quae magnae Memphitanae (Gizeh), intrauit Petrus Delavallius an 1615., a cuius inde aetate magis illa devastata est. Vna ea est aperta. De Memphitanis (s. Gizetanis) p. 15. ss. agitur, easque spectare quatuor primarias coeli plagas confirmatur. (Les faces de toutes les pyramides de *Ghizé* sont disposées vers les quatre points cardinaux). Herodoti narratio nunc confirmatur, nunc explicatur aut emendatur. De Cheopis et Chephrenis pyramide et de Sphinge (p. 31. ss.) copiosius refertur. Sphingis simulacrum nunc etiam magis est mutilatum, quam cum Nordenius illud a. 1738. viseret. P. 39. ss. auctor chronologicum indicem regum Aegypti a Larchero ex Herod. confectum, nonnullis additis observationibus, repetiit. Idem vero p. 46. ss. reprehendit nimios laudatores pyramidis Cheopis, cui tribuuntur 208. ordines lapidum (variae magnitudinis atque altitudo 448. ped. 2. poll. Vt difficillimum est eam conscendere, ita periculosum circa eam commorari, propter insidias certae cuiusdam Arabicae tribus. Unde non mirandum est, multos auctores in

---

und ihrer umliegenden Gegenden. Aus dem Französischen mit Anmerkungen und einem Anhange übersetzt. Mit fünf Kupfertafeln und einem Plane von Kahira und der umliegenden Gegend (quae tabulae minores sunt, quam in francog. exemplo) Gera und Leipz. 1801. 160. pp. 8. (n. 2. vol. V. Itinerum selectorum). Quantum comparando intelleximus, ita fidelis fuit interpres, ut et nonnullos typographi errores repeteret (ut p. 74. Francog. 68. vers. leguntur 718. ped. loco 728.); alios correctos, alios recens additos vidimus. Adiectae notae non magni sunt momenti. Quae p. 41. interpreti tribuitur, auctoris est.

iis, quae de basi piramydis huius tradunt, discrepare. Grob. eam 728. pedum esse dicit. Quod ad interius, inprimisque conclave, in quo est sarcophagus, adtinet, etsi auctor multo accuratius quam Mailletus et Nordenus dixit, manent tamen nonnulla examinanda ei, cui plus temporis concessum sit ad haec recognoscenda. De sumtibus iusto copiosius dicitur. Chephrenis piramys basin habere dicitur 655. pedum, altitudinem 398. pedum; Mycerini pyr. basin 280. pedum, altitudinem 162. ped. P. 98. ss. (87. vers.) commentatio inserta est de lapidibus ad structuram et externum ornatum piramydum adhibitis, auctoribus Furcroaeo, Hauyo, Gilletto Laumontio, et Lelievrio; tum p. 111. excerpta ex litteris Coraboeufii, in quibus maxime de utroque Zodiaco nuper inter picturas templorum reperto, altero Latopolitano (Esne) altero Tentyritano narratur, de quo etiam Burkhardti nostri epistola p. 117. s. inserta est. De utroque monumento alibi disputabimus. Caeterum p. 116. etiam Noueti observationes situs plurium urbium Aegypti leguntur. Reliqua operis pars ad urbem Cahiram pertinet, et interpres vernaculus additamenta varia ex francogall. diario (Le Moniteur) adiecit, quae partim ad antiquitatem, partim ad recentem Aegypti naturam spectant.

De superioris Aegypti monumentis *Ripaltus* egit pluribus commentationibus, quae in Ephemm. politt. publice editis Le Moniteur N. 300. suivv. An. 8.) legebantur: Déscription abregée des principaux monumens de la Haute Egypte, accompagnée des détails sur les tableaux, qui, en les décorant, servent à faire coniecturer, à quelles divinités les temples étoient consacrés, par le Cit. *Ripault*, bibl. et membre de l'institut d'Egypte. Ea postquam iam fuit in libello vernaculo francogalliae rebus et litteris dicato proposita (*Frankreich*)

reich im I. 1800. partic. 7. p. 267. 8. p. 327. 9. p. 36. etc.): nuper duplex versio prodiit, altera Tom. V. Collectionis antea memoratae n. 2. et separatim: *Ripault's* kurze Beschreibung der vornehmsten Denkmähler in Oberägypten, nebst Erläuterungen über die Gemählde, womit sie verschönert sind, und die zu Vermuthungen Anlaſs geben, welchen Gottheiten die Tempel geweihet waren. Aus dem Französ. mit Anmerkungen vom Uebersetzer, Gera und Leipz. 1801. 108. pp. 8.; altera, eiusdem fere tituli, prodiit Francofurti et Lipsiae ap. Lud. Schellenbergium, cum paucis annotatt. interpretis, 44. et 18. pp. 8.

Auctor primum recensuit eos, qui de Aegypto eiusque monumentis scripserunt, quo in iudicio saepe iniquior esse videtur; tum omnino et de aedificiis, templis, sepulcris, simulacris, anaglyphis, et de picturis Aegg. nonnulla observavit. Inde sequuntur Philae, rudera Thebarum, Memnonium, Apollinopolis parva, Tentyris, Antaeopolis, Lycopolis, Memphis, pyramides, Heliopolis, aliaque loca. Illa, qua auctor utitur, brevitate non multum iuuamur; neque diligentiae eius satis confidendum est. Interpres Lipsiensis alia quaedam addidit aliunde petita.

Neque vero Angli Francogallis cesserunt studio res et monumenta Aegyptt. illustrandi. Nam ut *Brownii* Iter omittamus (cuius enarratio a. 1799. Lond. prodiit, atque bis in patrium sermonem est conversa [17]), *Frank-*

---

17) Altera versio inserta est collectioni antea iam memoratae, altera legitur in Bibliotheca recentissimorum itinerum a Sprengelio curata (Bibliothek der neuesten und wichtigsten Reisebeschreibungen zur Erweiterung der Erdkunde nach einem system. Plane gesammelt, und in Verbindung mit einigen andern Gelehrten bearbeitet und herausgegeben von *M. C. Sprengel*) T. I. Vinar. 1800. 8.

que, ea opportunitate data, etiam de praecipuis viris doctis illius musei, Callimacho, Lycophrone, Timone Phliasio, Philostephano et Conone agitur, atque Callimachi hymni in Cererem pars vernaculis versibus expressa recensetur. Quinta ep. refert, sub Theocriti persona, iudicium de ingenio et natura litterarum Alexandriae cultarum, quo et quae eas adiuuent, et quae obsint, comprehenduntur. Idem Theocritus etiam de suis ipse carminibus ep. 6. exponit. Ep. 7. de oraculo Iovis Ammonis agit, quod amici Fabii adiisse feruntur. T. II. ep. 1. mores Ptolemaei Philadelphi eiusque familiae describit; secunda autem de Dionysiis, et pompa solemni copiose exponit, praeeunte Athenaeo cuius quaedam verba, consulto eam in rem etiam Villebrunio, critice tractantur. Hinc seqq. epistolis de diuitiis Aegypti et de commerciis Alexandrinis agitur. Excursus autem (p. 400. ss.) subtilius in Bacchicae pompae descriptionem ab Athenaeo ex Callixeni opere servatam inquirit, atque coniecturas de eius consilio, tempore et modo proponit dignas, quae examinentur.

Caeterum in iisdem *Scriptis Variis Mansonis* legitur etiam T. II. p. 199—320. commentatio *de fabula Romanensi Graecorum* (*über den griechischen Roman*), cuius prima pars originem eius, genera, atque scriptores praecipuos recenset, et, cur hoc genus scriptionis sero inter Graecos sit excultum, quaerit; altera (p. 263.) uberiores continet observationes de scriptoribus eroticis omnibus, de *Aristide* Milesio, Antonio Diogene, Iamblicho, et utriusque aetate, Heliodoro, Achille Tatio, etc. atque de ingenio librorum ab iis scriptorum. — Reliquae partes horum scriptorum continent (T. I.) Silvas poeticas, carmina partim ex Francogallis et Italis expressa, (T. II.) poemata ex Petrarcha reddita, et nonnulla ex traditione antiqua decerpta, in his Eng-

pedochs. Somnium, de quibus iudicare non huius est loci.

Ex numorum veterum doctrina haec nobis laudanda sunt. De studii eius mutationibus subtiliter, ut solet, exposuit *Heynius* in praef. ad librum utilissimum, inscriptum:

I. G. Lipsii Bibliotheca numaria sive Catalogus auctorum qui usque ad finem seculi XVIII. *de re monetaria aut numis scripserunt.* Rei numariae, Historiae et Artium studiosis, ut et Iureconsultis, Mercatoribus, Argentariis, Monetariis etc. compositus cum Indice rerum et Vocabulario germanico-lat. et gallico-lat. in usum eorum, qui, latinae linguae non satis gnari, hunc librum consulere volunt. Praefatus est brevi commemoratione *de studii rei numismaticae antiquioris vicissitudinibus Christ. Gottl. Heyne*, Eloq. Prof. in Gött. Acad. Regi M. Brit. ab intim. iustit. cons. Lipsiae impensis bibliop. Schaeferiani CIↃIↃCCCI. Tomi duo. XX. 658. pp. 8. mai.

Et Heynii quidem commentatiuncula de studii rei num. antiq. vicissitudinibus primum omnino ostendit, quomodo studium rei antiquariae doctius sit exortum, et primum in titulis antiquis colligendis exarserit, mox processerit ad numos antiquos, inde ad imagines et signa, tum se intra supellectilem antiquariam continuerit, recentius ad gemmas et vasa picta transierit; atque diu vix ultra doctae industriae laudem progressum, nec facile sive ad artis ipsius contemplationem sive ad ingenii elegantiam fingendam sit conversum; tandem liberalius fuerit institutum. Numismaticum studium primum in Romanis numis, maxime imperatorum, ad latinae linguae, grammaticae, historiae, copias augendas, versatum est; inde colligi Sebast. Erizzo (saec.

XVI. medio) auctore numi familiarum Romm. coeperunt; primus ad graecos numos animum advertit Hub. Golzius; Cangius Byzantinorum impp. numos tractavit; numi coloniarum, municipiorum et Latini iuris civitatum recentius diligenter illustrati; in Etruscos numos inquisitum est. Interea plus industriae positum in urbium et populorum graecorum numis atque regum numis graece inscriptis, a quibus studium omnino ad omne *exoticorum* numorum genus processit, ut Punicorum, Samaritanorum, Armeniorum, Cuficorum. Iudicium de numis veris, falsis, adulterinis, perperam acceptis, subtilius institutum. In critica numismatica primus Foy Vaillant nomen habere coepit, principes fuerunt Eckhelius et Neumannus. Exstiterunt multi, qui et numis interpretatione, et antiquitati numis comparandis lucem affunderent. Colligendorum numorum et disponendorum consilia ex ipsa re, usu, et fine accuratius constituta sunt. De libris, quibus res numismatica instituitur, ita p. XV. indicatum est: „Nihil vidi, quod votis iustis, ut plena, systematica, et methodo facili composita sit institutio, satis respondeat. Discernenda sunt inter se alia, quae ad ipsam institutionem proprie dictam spectant; alia quae apparatum notitiarum ad numorum intelligentiam necessariarum et utilium complectuntur; hic potius e libris auxiliaribus est petendus, quorum iustus numerus ad manum esse debet, aut, si nondum talis liber exstat, cum doctrina accurata et iudicio subtili conficiendus est. Est in his quoque geographiae numismaticae magna laus (nam chronologiam ad ipsum historiarum studium referimus) inprimis cum in multis numis multarum urbium obscurarum notitia occurrat." De utilitatibus studii numism. satis declaratis, ita pronunciatur: „Superest una nondum satis perspecta, et iis

qui in hoc studiorum genere versantur, proposita, ut ad artium elegantiam seu sentiendam seu exprimendam tantum, quantum licet, lucrum inde faciamus. Non loquor de illo modo fructu, quo numorum antiquorum typi ad emblemata aut ornamenta transferuntur, aut inter inventa habentur, quibus aetatum recentiorum numi insigniri aut exprimi solent; verum hoc dico: assuefaciendo sensu oculorum et animi ex elegantissimorum, quos magno numero habemus, numorum adspectu et contemplatione, ad elegantiam formari et fingi posse ingenia; esse etiam multa, quae, studii ardore incitato animo, ipsa manus delineatione reddere et variare gestiat. Sunt porro innumera in numis ingeniose inventa et expressa; plurima magna cum arte; sunt multa ad antiquae artis opera, signa, anaglypha, picturas in numis adumbrata: quae pleraque dudum interierunt, ut nec, quali habitu, qua specie, qua arte exhibita fuerint, constet: ea autem quodam modo ex numis, qui ea servarunt, redhiberi possunt." Et paulo post ostenditur non ignobilis operae rem fore, *historiam mythicam numismaticam*, omissis vulgaribus ex librorum auctoritate frequentatis mythis. Tum in votis recte ponitur, ut unus aliquis sit liber, qui omnium, quotquot servati sunt, numorum exhibeat typos (qualem nos comperimus, *Fr. Neumannum*, Vindobonensem celeb. archaeologum iam dudum composuisse), saltem, qui omnium numorum recensum instituat (cui voto magna ex parte satisfecit Raschii diligentia.) Novissimi desiderii loco haberi potuit, ut res litteraria studii numismatici recognosceretur. Explevit illud hoc Lipsii opus, quo Hirschii Bibl. numism. non modo aucta recentibus libris, sed omnino plurimum superata est. Descriptum est in has partes: 1. indicem alphab. librorum veteris et recentioris rei nu-

mism. Duplex eius incommodum est, alterum quod e coniunctione librorum ad vet. et recent. numismat. rem existit, alterum quod ex ordine alphab. oritur, cum libri multi sine auctorum nominibus prodierint. 2. Rerum indicem brevissimum. 3. Vocabularium german. latinum, et 4. francogallicum earum rerum, quae in indice rerum possunt quaeri. In summa etiam et praesidiorum copia et laboris diligentia fieri non potuit, quin aut laterent aut effugerent editorem nonnulla opera (in his etiam primaria, ut *I. Gerrardi* siglarium Romanum s. Explicatio notarum, quae in — numis reperiuntur" Lond. 1792. 4.), sed ea aliquando, si licuerit, in his Comm. addemus.

Quo rarius formae antiquorum numorum (*matrices* fere appellant) reperiuntur [20]) eo gratior archaeophilis fuit libellus, qui inscribitur: *De duabus formis archetypis aeneis ad antiquum numisma maioris moduli pertinentibus disquisitio.* Veronae ex typogr. Giuliari. MDCCIC. 38 pp. 8. mai.

Auctor est *Simon Stratico*, cuius nomen in epist. ad *Steph. Borgiam*, V. eminentiss. editur. Scilicet paucis abhinc annis agricola in agro *Suppliacerque* (h. e. templum dirutum) dicto regni Dalmatiae non longe a Troianopoli reperit duas formas aeneas plumbo involutas, quarum altera caput Lysimachi iuvenile diademate ornatum, altera habet titulum ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ et Minervam sedentem galeatam, quae dextra victo-

20) Aliquot aeneas Caylus attulit T. XIV. Mém. de Litter. (Recueil T. I. tab. CV. 1.), ferreas duas Moulinetus, Cabinet de S. Geneviève p. 117. Tres ferreas descripsit Vir doctus in epist. ad Spiridionem Minotto, edita Venet. 1781. Duae ex argilla sunt in Mus. Borgiano. v. Stratico p. 13. ss.

riolam gestat, cuius ambabus manibus corona oleaginea tenetur, sinistrae cubitus clypeo innititur, ita ut hasta in brachio reclinetur. Ad genua deae avis (aquila an noctua?) advolat; fulcrum sedilis Minervae ad leonini artus figuram accedere monetur. Metallum unde hae formae, ad eumdem numum pertinentes, constant, conflatae sunt ex cupro et aurichalco; ictuum mallei, quo percussae sunt, indicia habentur manifesta. Iam primum docetur, inveniri numos Lysimachi typi similis, non tamen eiusdem omnino (p. 7 — 11.) Scilicet rarissimum est, duos numos ab una eademque matrice profectos invenire. Deinde eas antiquas esse et ad Lysimachi aevum pertinere (p. 14 — 20.) argumentis et externis et internis (maxime ex picturae et sculpturae modo) efficitur, coniiciturque eas matrices torno esse elaboratas. Etsi enim carent ea aerugine (vernicem, patinam, vocant) quae antiquitatis habetur testis, tamen id etiam in alia monumenta vetusta cadit; quo loco etiam Bellovasii (Beauvais) leges authentiae numorum examinantur (p. 22. s.). Tertio colligitur, eas signandis numis inservlisse, et, periculis suis rei institutis, docetur (p. 25 — 31.) ex his formis potuisse, mallei, forcipis et incudis ope, numos antea fusos frigidosque optimos prodire. P. 31 — 34. caput et reliquae imagines formarum explicantur. P. 34 — 38. indicia aliquot Virorum doctorum de his formis adferuntur. Nimirum caput esse Lysimachi, parum certa auctoritate traditur. Potest Alexandri M. vel Agathoclis, filii Lysimachi haberi.

Singularem argenteum numum rariorem Constantini M., qui in Museo Cassellano habetur, *L. Völkelius* 21) nuper illustravit. *Beschreibung einer selte-*

21) Inclaruit ille duobus libellis, altero de templo et simulacro Iovis Olympico, altero de graecis operibus artis a Ro-

nen Silber-Münze von Constantin d. G. im Fürstl. Hessen-Casselischen Cabinet von L. Völkel, F. Hess. Rath, Aufseher der Antikensammlung, Hofarchivar und Bibliothekar. Göttingae, ap. Dieterich, 1801. 48. pp. 8. mai. cum tab. aenea. Numi Constantini M. admodum frequentes sunt (v. *Harscher*. Disquis. de variorum Constantiniani aevi numismatum interpretatione. Bas. 1754.); ille, quem V. hoc libello proposuit, in rarissimis est, et plerisque nummophilis ignotus. Similem, verum spurium, possedit b. *Wackerus* Dresdae, et *Seckendorfius* liber Baro, cui amplissimum est Dresdae museum numism., repudiavit; alium tamen genuinum, eiusdem typi ibidem amicum eius possidere fertur. Simillimus etiam Sperlingio fuit (Thesaurus numismatum antiquorum a b. m. Oth. Sperlingio relictus. Hamb. 1717. 4. p. 78. s. add. Noua litteraria maris Baltici et septemtrionis, m. Mai. MDCC. p. 148. s. Iul. p. 177. ss. ubi numus enarratur.) Casselanus Treviris repertus dicitur, et genuinum esse p. 11. ss. ostenditur. Est tetradrachmon, cuius pars anterior exhibet Constantini caput imberbe, iuvenile, 22) diademate specioso ornatum, idque egregie expressum; titulus capiti non additur (ad exemplum numorum Alexandri M.) In aversa parte conspicitur femina stolata, cum corona turrita in capite, a qua utrimque velum dependet, solio insidens, quae sinistra cornu-

---

manis direptis. Ueber den grofsen Tempel und die Statue des Iupiters zu Olympia. Eine Erläuterung der Beschreibung des Pausanias, von *F. Völkel*. Lips. 1794. 8. Eiusd. Vorlesung über die Wegführung der Kunstwerke aus den eroberten Ländern nach Rom. Lips. 1798. 8.

22) Scilicet monetarii faciem regum et impp. non ex aetate, sed ab exemplo quodam, expresserant; quare aetas numi inde colligi nequit.

copiae tenet, dextra aut ramum, aut aristas aut simile quid; pede dextro prorae triremis innixo. Titulus non in orbis modum scriptus, sed ad utrumque latus, ut in tetradrachmis Alexandri et successorum. Alter versus habet has litteras: D (secunda littera videtur esse N — *Dominus noster*) CONSTANTINVS; in altero est: MAX TRIVMF AVG. Infra: M CONSZ. Femina est Τυχη Constantinopoleos (Romanis *Genius urbis*), de qua Tyche in variis urbibus culta et in numis earum proposita luculenta est disputatio p. 22. ss. In Himerae tamen numis non tam Tychen quam deam diei (ab ἡμέρα, cf. Cic. Verr. II, 35.) agnoscit Völk. Constantinopolin urbem tribus modis expressam esse (imagine feminae turritae cum cornucopiae, insistentis prorae, Victoriae et Deae Romae) ostenditur. Reliquae diss. pars ad sensum symbolorum (cornucopiae et prorae), ad titulos *domini* et *triumphatoris* (ut Constantinus in aliis etiam monumentis appellatur) ad monetarias urbium officinas numero plures, pertinet. Nam ultima tituli verba significant: M (oneta) CONS (tantinop.) Z (septima).

Letttera sui due Monumenti ne' quali e' Memoria d'Antonia Augusta letta nella seduta della classe di filosofia lettere e arti dell' istituto nazionale della republica Romana il dì 13. Pratile Anno VI. In Roma per Antonio Fulgoni. Anno VII. Republicano 1799. 39. pp. 4. mai. c. tab. aen. Auctor est *Ennius Quirinus Viscontius* et epistola ad *Geo. Zoëgam* scripta. Illustraverat ille numum plumbeum Veliternum Lutetiae Paris. in Museo nat. asservatum (Lettera su d'un antico piombo, R. 1796. de quo etiam Domen. Sestinius ad Zoëgam scripserat.) Zoëga Viscontio alium plumbeum numum Velit. Musei Borg. monstrauit, quem his litteris illustrat (in fronte delineatum). In parte

ant. caput est femineum capillorum ornatu Augusteo aevo proprio; titulus: GERANO. CVRA. (Curatori) FELI. (feliciter) In av. parte Mercurius stans nudus cum marsupio in dextra, caduceo in sinistra, petaso in capite. Epigraphe: SODALI. VELITER. FEL. (Sodalibus Veliternis feliciter). Caput esse Antoniae (filiae M. Antonii et Octaviae, neptis Augusti Imp., uxoris Claudii Drusi, matris Germanici Caes. et Tib. Claudii Imp., Mercurium psychopompum, et numum s. potius tesseram hanc a Veliternis occasione ludorum funebrium (Suet. Claud. 11.) censet esse cusam. Numi Antoniae caput exhibentes sunt frequentes; pedestris statua olim in villa Montalto, nunc apud Princ. Stanislaum Poniatowsky ad eam refertur; rarius in gemmis occurrit, ut in egregia sardonyche Equ. Azarae. Ludi funebres non solum Romae, sed et in municipiis atque coloniis instituebantur. Plumba similia e Ficoronio innotuerunt. In exquisito museo numism. *Alexandri Recupero* Rom. (v. p. 7.) sunt duae plumbeae monetae, Mercurium Psychopompum sistentes. Sodalitia aut collegia coloniarum plumbeas tesseras ludorum occasione feriri iussisse exemplis aliis ostenditur. Sodales Veliterni, Tusculani, Lanuvini in his plumbis occurrunt. In Mus. Borg. est plumbeus numus cum capite velato Iunonis Lanuv. et epigr. SODALES LANIVINI, in av. parte cernitur virgo sacro serpenti sacrum offerens, sine epigraphe. Sodalibus Fratribus et Corporatis fere adduntur nomina, vitae genus designantia. In titulo quodam Ostiensi, ante paucos annos cum alia supellectile antiqua, reperto, quem V. p. 9. descripsit, commemorantur *Lenuncularii* et *Pleromarii*, quorum hi ad naves bellicas (πλήρωμα enim est ναῦς ςρατηγική) illi ad minores pertinebant. Vbi nihil additur, nisi gentile nomen, intelli-

ductum est ab ἠϊών (littus) ut nomina similia feminea, *Acte*, *Psamathe*. Illa Eon (ancilla aut liberta) in deliciis (ἄθυρμα) fuit Druso eiusque uxori Antoniae. In epigr. anon. Analect. Brunk. Adespota n. DCCXI. ex marmore ipso V. (p. 25.) legit v. 1. ἥρπαξες, v. 9. ἡδυχρόοισι, v. 10. ἥρπασαν ὡς τερπνὴν Ναΐδες οὐ Θάνατος, rapuerunt tanquam delicatam suam Naiades non Mors. De vocabb. *delicata*, *delicium*, et quod iis non omni ex parte respondet, Ἀβρα p. 26. ss. agitur, ita ut doceatur, cur familiaritatem intimam poëta alio voc. graeco maluerit exprimere. Drusum non iuniorem, Tiberii filium (cuius uxor Livilla fuit) sed seniorem intelligit. Cum v. 5. ΕΙΜΕΡΟΝ pro ΙΜΕΡΟΝ scriptum sit in marm. (alii quoque errores orthogr. notantur), Visc. memorat (p. 28. s.) templi et magnae urbis reliquias ad Lacum Albanum repertas nuper, ubi in basi quadam scriptum fuit: Τεισικρατης (pro Τισικρατης) ἐποιει (opus haud dubie ad exemplum Tisicratis Sicyonii expressum. Edidit *Ioh. Ant. Riccy*: Lettera dell' autore delle Memorie Albane all' autore delle Aricine.' Roma a. 7. in 4. ubi p. 29. s. de illo monumento.) κλισίας (tabernacula, baracche reddit V.) in templis et festis deorum usitatas fuisse e scriptt. (Eurip. Ion. 1132.) et monumentis docetur. Ad exemplum Bacchicarum κλισιῶν factae *calybae* et cannabae s. cannabulae (quod voc. ex calyba ductum, p. 30.) in quibus vinum vendebatur). ὄγκον non cumulum, numerum, sed fastum, spiritum, quem Bacchus excitat, spem Veneris, explicat V. Vltimum distichon indicare consilium Epigrammatis, ut insultentur iter facientes ad usum thermarum et deliciarum Sinuessanarum. Atque simillimam aliam Pompeianam invitationem, Visc. illustrat. Quis fuerit Iunior poëta, quaeritur p. 33. ss. In Anthol. gr. occurrit M. Pompeius Iunior (Νεώτερος), qui videtur esse M.

Pompeius Theophanes Iunior (M. Pomp. Theophanis Mitylenaei nepos, Strab. l. XIII. Tacit. Ann. VI, 18. — In Strab. loco ὑμνοῦ pro υἱοῦ legi vult V.) de quo copiosius monetur. Anthologiarum auctores saepe neglectis optimis antiquis epigrammata recentia praetulerunt, unde et nostrum in Anth. non reperitur. Imitatus tamen illud est Marianus Scholasticus (Analect. T. II. p. 512. s. cf. *Iacobs*. Comm. Vol. II. P. III. p. 400. s.). P. 37. laudatum vidimus libellum anon. V. docti: *De phratriis, primis Graecorum politicis societatibus*. Neap. 1797.

Finem huic sectioni imponendum duximus repetenda breviter anonymi viri docti Enarratione nonnullorum aeneorum monumentorum (de quibus iam Hawkinsius monuerat in Gött. ephemm. 1800. n. 181. p. 1804. s.) in Gött. Ephemm. litter. a. 1801. n. 24. p. 233. ss. Scilicet de XVI. illis operibus aeneis, Paramithiae repotis, decem Petropolin abierunt. Nullum in his est anaglyphum, sed omnia rotunda sunt opera, pleraque egregii laboris, bene conservata (nam nonnullis tantum desunt manus), partim aerugine obducta. Ungues manuum et pedum, atque oculos tegit lamina argentea, in medio oculo excavato olim gemma insita fuisse videtur. Sunt autem haec:

1. femina, vestitu amplo et pulcro atque diademate ornata, altit. fere 2. palm. Iuno esse videtur. Arte cedit reliquis.
2. Pulcherrimum simulacrum muliebre. Tunica tenuis cingulo destituta, dextrum humerum tegit, sinistro nudo; iniectum est pallium. Dextri brachii pars deest; sinistrum est curvatum. In capite columba expansis alis; caput venustum lata ambit vitta, in cervice nodus, utrimque cincinni dependent. Venus est, cui columba addebatur. (Schol. Stat. Theb.

IV,

IV, 226. Ael. V. H. I, 15. XII, 1. Antiph. ap. Athen. X, 11. p. 394. Schol. Aesch. VII. c. Theb. 300.) In seminudo Veneris Vraniae simulacro musei imp. Petrop. columba ei adstat, quod videtur illud esse simulacrum, quod Spencius (Polym. p. 244.) perperam est interpretatus, Winkelm. H. Art. I, 3. p. 90. Dresd. frustra Romae quaesiuit.

3. Satyrus, nudus, caprinis auribus acutis, barba crispa et elegante, pedibus non caprinis, perperam pro Marsya habitus. Est Satyrus e somno expergefactus, corpus extendens, digitis pedum insistens, brachia super caput attollens.

4. Iupiter, stans, nudus, cuius alteri manui haud dubie olim fulmen inditum erat.

5. Iupiter, nudus, stans, antecedenti similis. Vterque in basi non videtur fuisse ulla arte firmatus.

6. Venus e balneo surgens, cui pedes et manuum partes desunt.

7. Iuuenis nudus, capite et capillorum ornatu fere muliebri, forsitan Apollo.

8. Cupido nudus, alatus.

9. Hecate triformis, cuius tamen manibus tribus attributa desunt.

10. Pulcrum viri brachium, fere dimidiae magnitudinis virilis.

N. 2. 4. 5. 7. Anton. Ioseph. de Wiesiolowsky, reliqua opera Comes Golowkin possidet. Tabulis aeneis exhibitum iri auctor ostendit.

XIV.

Breviores relationes.

Ex litteris Cel. *Ahlwardti.*

Holsatiae dux, Lubecensis episcopus, nuper ab *Italo* quodam duo codices Latinos emit, et bibliothecae, quae Oldenburgi est, inferri iussit. Alter continet Achilleidem Statii, et integrum Terentium, chartaceus est, a. 1447. scriptus ab imperitissimo librario. Et in Statio quidem ridicula peccata plurima commissa sunt, inprimis contra metri leges. Continet tamen lib. 1. Achilleidis versiculum, qui in edd. deest. Ita enim v. 216. legitur:

> Vix stetit in ramis, et protinus arbor amatur,
> *Componitque, quibus natos fouet anxia nidos.*

Quem versum Ahlwardt. ad imaginem plenam desiderari censet. Terentio in margine et inter lineas multa adscribuntur glossemata, neque tamen dignus videtur codex, qui cum edd. Ter. diligenter conferatur.

Alter membranaceus, fol. min. diligentissime scriptus, habet omnes Ciceronis orationes, exceptis or. p. Fonteio, Verrinis et Philippicis. Singula folia continent 32. versus, litterae initiales oratt. coeruleo colore et auro distinctae sunt, et raro compendia scribendi adhibentur. Interpunctio a seriori manu addita videtur, quae etiam varias lectt. interdum margini adscripsit. Lectiones habet plerasque optimas, nonnullas etiam a vulgg. discrepantes. Codex nisi ipse admodum vetu-

etus, certe ex antiquo et optimo fonte deriuatus esse videtur.

Nuper *I. W. Thomkins*, Anglus, in epistola (inserta ephemeridibus elegantioribus, *Zeitung für die elegante Welt*, 1801. n. 61. p. 491. 62, p. 499.) exposuit de picturis ab ipso in Aegypto repertis, quas aereis tabulis incisas Londini edet. Scilicet a. 1796. prope Saccaram detexit aedificium arena obrutum, quod haud dubie temporibus Ptolemaeorum exstructum est. Columnae quinque cum parte atrii aliisque reliquiis, ut gradibus, servatae sunt. Introitum duae Sphinges ornant. Intus opus marmoratum est. Ex picturis parietinis subterraneas duas Th. memorat, alteram qua Themis iuvenem quendam regio diademate cingit, alteram quae feminam sedentem, et infantem gremio tenentem, adstante Harpocrate, exhibet.

Typographus orbi erudito.

Cum Reverendissimus ac Perillustris D. D. Franciscus Hassenwein, Eques de Festenberg, Cathedralis Ecclesiae Brunensis Canonicus, Reg. Curat. Archidiaconus et Praelatus secundus, VIII. Calend. Febr. anni huius, supremum vitae diem egisset, in praeclara illius librorum, numismatum, rerumque vel natura vel arte factarum supellectili repertum est opus manu scriptum, quod ante annos bene multos improbo sane labore conscripserat. et quod nos Eruditorum, si qui latinae Poëseos amantes sunt, compendio futurum. nec utilitate cariturum sua arbitramur. Opus istud ab haerede acceptum publicis usibus vulgare cum statuerimus, non moramur orbi erudito nuntiare; ob magnos sumtus ancipiti periculo nostro faciendos haud aliter a ne-

bis typis dari posse, quam aere ante soluto, seu, ut aiunt, praenumerato. Est autem inscriptio operis ista: „Concordantiae Virgilianae seu index universalis in P. Virgilium Maronem. Opus posthumum.“ Adornavit piissimae memoriae Auctor Indicem suum Virgilianum ea prorsus methodo, qua *Concordantiae SS. Bibliorum* sunt adornatae, ita, ut quemadmodum in his ex una solum cognita voce scripturae textus, eiusque locus reperta est facilis, sic et in illo versus omnis, eiusque locus, reminiscenti aut quaerenti obvius esse possit. Consilium suum, operis institutum, et modum lepide in Praefatione enarrat Auctor Reverendissimus. Labore immenso res steterit est necesse; quae autem laboris huius utilitas, noverint Eruditi, qui in lectione Classicorum Auctorum, atque eorum, qui a Seculo XIV. iam inde ab renatis litteris doctissimos commentarios ediderunt, probe sunt versati. Etsi vero hac aetate rari sunt, qui Poësi latina delectari velint, aut multum occupari, tamen vel illis, quibus veteris Latii camoenae in pretio sunt, hoc subsidium adferetur, ut in indice isto e locis Virgilianis apta epitheta, in queis est, quantitates facile possint cognosci. Quidquid sit, optamus felicem votis nostris eventum, atque opus istud tum ob Viri et ortu Brunensis, et in patria sua non inglorii memoriam, tum ob Eruditorum commodum typis nostris vulgare vehementer cupimus, quippe facile adducimur ut credamus, id genus operis etiam Bibliothecae seu publicae seu privatae et subsidio esse posse et ornamento. Quodsi labori nostro typographico manum admovere licuerit, Perillustris Auctoris biographia operi praefigetur, ut gratam etiam rem iis faciamus, qui Moravicos scriptores insigni diligentia (sunt autem, quantum nobis est compertum, eiusmodi viri iam bene multi) in unum quasi fascem colli-

gere student, magno Historiae nostrae literariae emolumento.

Prodibit igitur e Typographeo nostro in lucem, si Superi et Eruditi conatibus faverint, Index ille universalis in Virgilium Voluminibus quatuor, in forma quam dicere consuevimus, octava maiori. Pro primo volumine prius solvendum est Rhenensis 1, Crucif. 30. idemque illo accepto, pro altero, et sic pro caeteris mox solvendum erit. Pridie Calend. Octobr. est terminus Praenumerationis. Volumen primum sub anni finem lucem aspiciet. Si qui non lucro nostro, nam indemnes solum esse iure desideramus, sed orbi erudito velint consulere, atque cura sua et opera decem Praenumeratores conscribere, iis Exemplar undecimum muneris honorarii loco offerimus perlibenter.

Brunae Id. Iunii 1801.

Franc. Car. Siedler
Typographus et Bibliopola.

Primordia huius operis utilissimi Franciscus Hassenwein Eques de Festenberg iam tum auspicatus est, quando Hradistii Iuniores humaniora repetentes litteris bellis cum eminenti progressu, qua Professor Repetentium, per sex continuos annos instruebat. Habuit hoc in labore discipulos suos horis subsecivis adiutores, quorum numero primus accenseri omnino promeretur Iosephus Werschhauser, Bohemus Kuttenbergensis, Philosophiae Doctor, Professor linguae, bohemicae apud Archiduces Serenissimos, in Academia Theresiana, et in militari Academia, vir cognitione linguae Slavicae et quamplurium dialectorum longe clarissimus.

Viennae 2. Sept. 1801.

I. C. Alter.

Frid. Aug. Wolfius, Halensis Prof. cel. quatuor orationes, quas Cicero post reditum in patriam habuis-

se dicitur (post reditum in senatu, ad Quir. post red. pro domo sua ad Pontif., de harusp. resp.) cum Marclandi et Gesneri suisque edidit animadversionibus, atque ipse confirmauit Marclandi iudicium, esse illas orationes spurias. — Cl. *Arn. Herm. Ludov. Heeren,* Gött. Prof., absoluit editionem Eclogarum physicarum et ethicarum Io. Stobaei, emissa altera parte, qua Ethica, Apparatus criticus et Indices continentur. — *Io. Gottlob Schneiderus* V. C. commentarium vernaculo sermone scripsit in Eclogas physicas, quas e variis scriptt., Graecis et Latt., petitas et in ordinem quemdam redactas nuper II. partibus ediderat. — Athenaei Dipnosophistarum editione nova et emendatiore et animadverss. auctiore, curanda, sua in has litteras merita cumulare nuper coepit *Io. Schweighäuserus,* Argentor. Prof. Prodiit et textus primum volumen, et animadverss. Tomus I. in Lib. I. et II. Adhibuit autem cum Paris. codicem, in quo epitomae sunt integriores, et Veneto-Parisinum, omnium Ath. codicum vetustissimum. — Lexicon Xenophonteum, a b. Thimio inceptum, elaborauit absoluitque *Sturzius* Prof. Ger. gymn. eiusque I. volumen edidit. Operum Xenophontis Athen. editionem parabilem iam aliquot abhinc annis, cum adnotationibus in loca exquisita et disputationibus aliis edere coepit *Ben. Weiskius,* cuius IV. volumen complectitur Historiam graecam et Agesilaum. Memorabilia Xenoph. denuo recensuit, et cum Apologia eidem tributa edidit *Schneiderus.* Luciani opera duobus voll. cum variis lectt., in his etiam codd. nondum collatorum edidit *Beni. Schmiederus,* iun. Antonii Musae medici Augusti Imp. fragmenta collegit *Flor. Caldani* atque Bassani a. 1800. edidit; Herodis Attici reliquias *Raph. Fiorillo* annotatt. illustrauit quae cum Heynii epist. 1801. prodierunt. *Iacobsii* Commentarii

in Anthologiam Voluminis secundi pars tertia (Tom. X. Anthologiae) exiit. *Godofr. Hermanni* de emendandae graecae grammaticae ratione pars prima adiunctos habet Herodiani aliosque libellos grammaticos ineditos. Beati *Fischeri* Animadversiones ad Welleri Grammaticam graecam Voluminis tertii parte posteriore cura *Kühnölii* absolutae sunt. In *Fr. Gedikii* Scriptis cum grammaticae nonnullae tum aliae philologg. leguntur commentationes. *Godofr. Hen. Schäferus* et Reizii editionem Herodoti absoluit, et nouam, eamque splendidam, curauit, textu saepius emendato. Diodori Siculi novam editionem inchoauit *Eichstädtius*. Velleii Paterculi editio cum copiosis *Iani* et *Krausii* Commentariis, dudum promissa, prodiit. Plinii epistolas denuo edere coepit *Theoph. Erdm. Gierig*, eadem, qua in Panegyrico, usus ratione. Tacitum Ernestii auxit *Oberlini* cura. Eiusdam historias cum obseruatt. criticis et aliis *Edme Ferlet* edidit. *Morellius* Venetus Analecta e pluribus codd. Venetis editurus est, et *Hermannus* noster in nova Vigeri libelli de idiot. linguae gr. editione versatur. *Ocellus Lucanus* cum amplo *Rudolphii* comm. tandem prodiit.

Anonymus in diario quodam Berol. de ingenio graecae tragoediae [1]) disputavit. Postquam auctor de origine eius, et de natura temporum, quibus exstitit, nonnulla, quae satis nota sunt, narravit, idem contendit, non terrorem aut miserationem Tragicos vett., sed nouae formae rerum ciuilium s. democratiae amorem excitare voluisse atque alere; et fabulas eorum actionem non multam, sed sententias densas continuisse; unde

1) Ueber den Geist der griech. Trauerspiele. An H.... in F... von C. In Eunomia einer Zeitschr. des 19. Iahrh. 1801. März p. 240—253. (Berlin b. Maurer.)

colligitur Athenienses non recte propter levitatem quamdam notari; denique graecas tragoedias esse satyrica carmina, ea tamen ratione, quae inter Iuvenalis est et Horatii Satiras. Quae quidem ut nouitate dictorum eminent, ita de veritate valde dubitabunt, quibuscunque ingenium tragoediae gr. vere innotuit.

Epigrammata nonnulla graeca, ab Huschkio in Analectis nuper laudatis edita, vel latinis vel germanicis versibus expressit V. D. in ephemm. litt. Tubingg. n. 28. (1801.) p. 221. ss. Idem δύνει (p. 60.) in δούπει mutari vult.

Carey Anglus novam instituit typographiam, quae vett. auctores classicos parabili redderet pretio. Anacreontis carminum stereotypica prodiit editio. v. *Englische Miscellen*, 3. B. I. Heft.

Schweighäuserus filius novam paret Suidae Lexici editionem v. *Chardon la-Rochette* in Millin Mag. encycl. T. I. 7me An. n. 2. p. 201.

Philipp. Guil. *van Heysde*, Wyttenbachii discipulus, Ruhnkenii animadverss. in Scholia in Plat., aliaque cum eius scripta inedita, tum plura ex codd. Lugd. Bat. in locem protrahet. Mag. enclycl. T. I. 7me An. n. 2. p. 259.

Franc. Christoph. Frenzelius, Scholae Susat. Rector, singulari prolus. quae Susati (Soëst) ap. Flossium prodiit, 1800. (30. pp. 8. min.) *Specimen observationum criticarum* exhibuit, quibus loca Valerii Flacci et Virgilii varia emendantur et tentantur. In Cic. de Or. 1, 59. pro *munionem* legi iubet *murmurationem*. In cod. quodam legitur *munychionem* (quod accipitur de hymnis munychione mense in Dianae Munychiae hono-

honorem decantatis. Lenzius legi mavult: *Paeanem aut Munychiam* (sc. deam, pro carmine in Mun.) aut, *Paeanem aut Vnig...am* (Dianam). Quam primum illa prolusio in manus nostras inciderit, plura inde excerpemus. Haec nobis suppeditauit Lenzii censura libelli in *Guts-Muths* Biblioth. der pädag. Litt. 1801. II. B. 2. St. p. 231. s. Ibidem etiam laudatur eiusdem *Frenzelii* versio orat. Cic. ad Sen. p. red. cum commentario Speciminis loco edita:

Cicero's Rede an den Senat nach seiner Zurückkehr mit einem Commentar versehen von Franz Christoph Frenzel. Eine Einladungsschrift auf das Frühlingsexamen, Söst, b. Floſs 1801. 61. pp. 8.

Novum etiam specimen vernaculae versionis et comment. in Horatium p. 153. memoratur, eiusque auctor iubetur perficere quod coepit. Specimen ita est inscriptum:

Uebersetzungen und Erläuterungen der Oden des Q. Horatius Flaccus. Von Siegfried Schmid. Frankfurt 19. pp. in 8.

Vir quidam doctus nuper historiam *Aelii Seiani*, qui Tiberii imp. gratia inprimis floruit, coepit popularibus, ex Tacito potissimum probabiliter narrare, in libello menstruo, qui inscribitur: *Neues deutsches Magazin*, 1801. (Altonaviae) m. Iunio, p. 542. ss. — In eodem libro *Febr.* m. p. 120. ss. *Dreierus* primam Satiram Persii germ. vertit., et m. *Maio* p. 385. quartam Iuvenalis Satiram. Ibid. m. *Febr.* p. 131. est *Kellneri* Comm. Die römische Triumviratmünze.

D. *Mich. Weberus*, Theologus Viteberg. Acad. a. 1800. Collectionem latinorum canticorum in usum puerorum edidit, ut illi inde, si placeret, latinum di-

scerent sermonem 2). Ad eundem, nisi fallimur, inter adultiores et maxime litterarum studiosos iuuandum, similiter alia composuit, notissimis modis musicis adcommodata, latina cantica 3). Peterunt ea recte aliis, vulgo usurpatis. substitui; verum ipse lat. linguae usus, veremur, ut multum inde lucretur.

Vt nuper Part. I. p. 184. monuimus, codices et libros e bibll. Salisburgg. a Francis absportatos indicasse Vierthalerum, ita, quos Lecurbius (Lecourbe), Gallorum dux in bibl. Cremomonast. (Kremsmünster) superioris Austriae, et Salisburgensibus nonnullis accepit libros, enumerati sunt in Salisbb. ephemm. 1801. n. CXVI. p. 60. ss. Pauci sunt codices, nullus veteris scriptoris, multa incunabula typographica, de quibus ibi copiose dicitur.

Vir doct. in libello menstruo quo de Londinn. et Pariss. agitur moribus et institutis (*London und Paris. Vierter Iahrgang.* 1801. No. 2.) p. 173. miratur Horat. verba (Od. II, 11.): *oculo irretorto spectat acervos;* a multis, etiam Mitscherlichio nuper, perperam explicari, cum verbum *spectat* ostendat *irret. oc.* esse, ita, ut oculum ab iis non deflectas (*mit unverwandtem Blicke.*)

Christoph. Meinersius, Gött. Prof. celeberrimus, d. 1. Aug. in Gött. Societ. reg. Consessu recitavit

---

2) Lateinisches Gesangbuch für meine Kinder und andre, auch für Erwachsene, die es brauchen können und wollen. 1800.

3) Lateinische Gesänge für studirende Jünglinge zur Belebung ihrer geselligen Freude, von D. *Mich. Weber* — Wittenb. 1800. 32. pagg. in 4.

Comm. qua brevem historiam verborum σοφία, φρόνησις, et σωφροσύνη, inprimis Verbi et notionis φρονήσεως exponit, unde excerpta leguntur in Gött. ephemm. litt. part. 132. p. 1313. ss.

Ex Hemsterhusii atque Ruhnkenii vitis (quarum repetitionem Lipsiensem, operarum erroribus, ut amicus nos monuit, saepe foedatam Part. I. p. 89. s. indicavimus) *Rinkius*, Regiomontanus Theologus atque philologus, nuperrime patrio sermone pleraque nostratibus reddidit, ut, qui parum essent a facultate latinae linguae instructi, tamen inde utilitatem perciperent. Quorum quidem sortem uti ex animo dolemus, ita veremur, ne omnis libellus istius generis tironibus, (nam litterati dici nequeunt) ne scriptus quidem videatur. Inscriptum est:

Tiberius Hemsterhuys und David Ruhnken. Biographischer Abriss ihres Lebens. Für Freunde der Humanität und des Studirens der Alten insbesondere bearbeitet von Friedr. Theodor Rink, D. d. Theol. und Philos. beider Professor. Königsberg. b. Göbbels und Unzer. 1801. XVI. 303. pp. 8. mai.

Liberius autem conuertit latina R. et in animadversionibus adiecit nonnulla de vita et libris eorum, qui interdum laudantur, VV. DD., indicem librorum Hemsterh., et in Ruhnk. vita, partim quaedam ex eo tempore, quod interpres Lugduni Bat. et cum Ruhnkenio transegit (a. 1789.), partim de familiaritate, quae inter Ruhnk. atque Kantium intercessit, addidit, cognitu non iniucunda.

Francogallus quidam, qui Ienae nunc vivit, *Klopstokii* carmen epicum de Messia, iam inde a quinque annis coepit latinis versibus heroicis reddere, cuius

Specimen nuper edidit; *Messiae Klopstokii Cantus* X'' us (edition de 1775.) 76. pp. 8. Non male labor auctori cessit, sunt tamen loca in quibus nec metricarum nec grammaticarum legum satis memor videtur fuisse. v. Ephemm. litt. Gothh. 1801. n. 59. p. 479. Vellemus etiam recentissimam Klopst. edit. esse expressam.

Carmen Horatii secundum Epod. (Beatus ille etc.) germanice conversum a *Vuilando* legitur in Henningsii Genio XIX. saeculi (Genius des 19. Iahrh., 1801. August. m. s. T. II. p. 315. s.) Et Vuilandus quidem censet, poëtam ostendere voluisse, vitae rusticae suauitatem vel diuiti, qui quaestum facit, placere, eum tamen mox ad sua negotia redire; non vitae rusticae commoda, sed negotiatorem, qui iis utatur, describi.

De noua, critica et compendiaria editione N. Testamenti Graeci.

Christianus Fridericus Matthaei, qui inde ab anno 1772. ad hunc diem summo studio et maxima diligentia tot diuersarum bibliothecarum codices scriptos N. Testamenti Graeci tractauit, et inde ab anno 1782. ad 1788. criticam editionem duodecim voluminibus Rigae diuulgauit, postquam ex Rossia in patriam reuersus est, ante annos sedecim consilium cepit parandae nouae editionis N. Testamenti Graeci, quae quidem minoris esset molis, quam prima ista, nonnullas tamen ista haberet praecipuas ac sibi prae reliquis etiam editionibus omnibus proprias commendationes, propriosque usus criticos. Cum enim intellexisset, editores ante et post se omnes vnum de tribus generibus codicum scriptorum genus, euangeliaria nimirum et praxapostolos, negligentius tractasse, ei non satis fuit, multoties ea de re in editione sua lectores monuisse, sed decreuit etiam, eiusmodi curare editionem, cuius ope quilibet suis oculis diiudicare posset, quid in vniuersum et in locis singulis de istiusmodi codicibus statuendum esset. Reliquorum autem editorum negligentia in eo cernitur, quod nemo ante *Matthaei* editionem no-

tauit, quae in singulis euangeliariis et praxapostolis, a se examinatis, lectiones occurrant, quoties eaedem vel totae, vel ex parte repetantur, vbi incipiant, desinant, quo transeant, quo reuertantur, quid addant, quid omittant, et alia eiusmodi. Ergo tertia pars codicum incuria editorum ad primam *Matthaei* editionem fuit sine vllo vsu critico, cum lectores atque adeo ipsi editores, codicibus ex manibus dimissis et in bibliothecas relatis, ignorarent, quae in singulis loca legerentur. In promtu foret, singula haec multis atque idoneis exemplis demonstrare, nisi opus esset oratione longiori. Alterum, in quo caeteri editores peccauerunt, non tam ipsorum negligentia, quam codicum inopia et casu accidit. Nemo enim ante *Matthaei* editionem ne vnum quidem integrum praxapostolum seu apostolum, h. e. lectionarium ex actibus et epistolis apostolicis, ad manus habuit. *Matthaei* vero Mosquae non solum duobus vetustissimis vsus est, ac diligenter, additis adeo foliorum numeris, lectiones singulas ex eis notauit, verum etiam pluribus codicibus actuum et epistolarum Mosquensibus instructus fuit, in quibus non solum in medio contextu indices lectionum ecclesiasticarum, verum etiam modo in principio, modo in fine synaxaria praxapostoli reperirentur. Quinimmo Goettinga etiam *Heynii* beneficio codicem *Caesaris de Missy*, sed eum tamen mutilum, nuperrime vero Guelpherbytanum integrum *Langeri* humanitate et fauore accepit, quem nec *Knittelius*, accuratissimus criticus, quod lectiones praxapostoli attinet, satis accurate examinaverat, contentus indicasse lectiones solis his notis, *Lect. Init. Fin.* Quot vero vana, quot mirabilia, non dicam, iudicia, sed decreta temeraria ex hac negligentia et ignorantia apud editores N. Testamenti orta sint, sua sponte licet intelligere. Etenim alia, ex lectionariis, vt credebant, illata, temere repudiabantur, alia, ex lectionariis absque vllo dubio inculcata, tanquam verba textus perpetui per inscitiam probabantur. Vt ergo huic confusioni mederetur *Matthaei*, in hac noua editione non solum synaxaria euangeliarii et praxapostoli a principio ad finem, h. e. a die festo paschatis per septimanas deinceps omnes, per totum menologium, a primo die septembris ad vltimum augusti, vsque ad vltimum ἀνάγνωσμα eorum, quae inscribuntur, εἰς διαφόρους μνήμας, cum singulorum numeris exhibuit, sed et partim in contextu ipso, partim ad margines, praeter istos numeros, lectionum omnium ἐπιγραφὰς

ἀρχὰς, συναφὰς, ὑπερβάσεις, ὑπαντήσεις, προσθήκας, ἐλλείμματα, τέλη et ἐπιφωνήματα accuratissime notauit. Praeter vsum criticum habebit quoque ea res hoc commodum, vt quilibet, hac editione instructus, in quamcunque bibliothecam venerit et quemcunque codicem N. Testamenti in manus sumserit, continuo sciat, vbi quamlibet cuiuslibet euangeliarii et praxapostoli lectionem in textu perpetuo reperire possit. Vt vero etiam quilibet sine vlla mora in quouis textus perpetui codice singula loca euoluere possit, omnis generis indices capitum et sectionum minorum, quae adhuc in codicibus repertae sunt, quaeque in vllo codice occurrere possunt, in hac editione signabuntur in marginibus, atque ita quidem dilucide et distincte, vt nec apud lectorem harum rerum prorsus imperitum confusio vel obscuritas oriri possit. Contextus, vt vocant, seu, oratio perpetua euangelistarum et apostolorum, denuo tota examinata est ad fidem codicum, adhibitis editionibus criticis omnibus, a Milliana ad Griesbachianam nouissimam, nec non animaduersionibus et variarum lectionum copiis caeterorum doctorum virorum ad *Alterum* et *Birchium*. Veruntamen ex hac infinita variarum lectionum multitudine non nisi maxime notabiles in ima parte paginarum post lectionem vulgatam, seu receptam, vt vocant, memorabuntur et signis criticis diiudicabuntur. Quaeuis autem textus mutatio, stellula signata, ex textu vulgato, ante varias lectiones repetito, dignoscetur. Curam correctionis errorum typographicorum, quod in prima editione longo interuallo absente editore fieri non potuit, editor ipse in se recipiet. Totum opus autem prodibit in mercatu Lipsiensi paschatis anni 1802. Complebit autem folia circiter quadraginta octo aut quinquaginta in 8. mai. Futuri emtores qui numos ante soluerint (soluent autem aut Editori, aut Grauio bibl. Cur. aut Wimmero, Rect. Lyc. Plau.), singula exempla rediment vno et dimidio Thalero monetae Saxonicae aut pecuniae pretii aequalis. Qui post emturi sunt, eis soluendi erunt Thaleri tres. Index huius editionis hic est: *Nouum Testamentum Graece. Iterum denuo recensuit, ex immensa variarum lectionum copia notabiliores selegit, certisque signis diiudicauit, capita et sectiones minores Eusebii, Euthalii et Andreae Caesariensis notauit, ac nunc primum* ἀναγνώσματα *ecclesiae Graecae, numeris et capitibus distincta, designauit et synaxarium euangeliarii et praxapostoli adiecit Christianus Fridericus Matthaei.*

COMMENTARII

SOCIETATIS PHILOLOGICAE

LIPSIENSIS

EDI CURAVIT

CHRISTIANUS DANIEL BECKIUS

VOLUMEN SECUNDUM.

LIPSIAE ET PLAVIAE

IN COMM. GRAU, BIBL. CUR. ET MAURER BIBL. BEROL.

cIↄIↄcccII.

COMMENTARII

SOCIETATIS PHILOLOGICAE

LIPSIENSIS

EDI CURAVIT

CHRISTIANUS DANIEL BECKIUS

VOL. SECUNDI PARTICULA I

LIPSIAE ET PLAVIAE

IN COMM. GRAU, BIBL. CUR. ET MAURER BIBL. BEROL

cIↄIↄCCCII

COMMENTARII

SOCIETATIS PHILOLOGICAE

LIPSIENSIS

EDI CURAVIT

CHRISTIANUS DANIEL BECKIUS

VOLUMEN SECUNDUM.

LIPSIAE ET PLAVIAE

IN COMM. GRAU, BIBL. CUR. ET MAURER BIBL. BEROL.

cIɔIɔcccII.

COMMENTARII
SOCIETATIS PHILOLOGICAE
LIPSIENSIS

EDI CURAVIT

CHRISTIANUS DANIEL BECKIUS

VOL. SECUNDI PARTICULA I

LIPSIAE ET PLAVIAE
IN COMM. GRAU, BIBL. CUR. ET MAURER BIBL. BEROL
cIↃIↃCCCII

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

COMMENTARIORUM SOCIETATIS PHILOL.

VOL. II. PARTICULA I.

I.

Friderici Astii Observationes et coniecturae in Pindari Olympiaca.

Specimen primum.

Carm. I, v. 13. Ὅθεν ὁ πολύφατος
Ὕμνος ἀμφιβάλλεται
Σοφῶν μητίεσσι κελαδεῖν
Κρόνου παῖδ' ἐς ἀφνεὰν ἱκόμενοι
Μάκαιραν Ἱέρωνος ἑςίαν κ. τ. λ.

Ὅθεν est ex quo, s. quo (Olympico certamine) auctore — σοφῶν μητιέσσι mera est circumlocutio pro: σοφοῖς, i. e. poëtis; μήτιες enim eleganti periphrasi inservit, ut ap. Aeschyl. Supplic. 62. Creberrimae autem sunt in Pindaro eiusmodi circumlocutiones, quae rei et personae naturam vel virtutem aliquam declarant; sic in hoc carmine v. 78. ἀκμὰν ὕδατος ζέοισαν posuit pro: ὕδωρ ζέον; v. 142. 170. 178. Olymp. II, 33. VII, 125. 22. 162. VIII, 33. 90. IX, 77. Pyth. II, 102. alia. — Ἀμφιβάλλεσθαι carmen, ut βάλλεσθαι in Hymn. Homeric. I, 20: Πάντῃ γάρ τοι, Φοῖβε, νόμοι βεβλήαται ᾠδῆς, equidem de strepitu intellexerim, qui in cantu excitatur, voce repercussa. Sic Horat. Carm. IV, 3, 18: O, testudinis aureae Dul-

cem quae *strepitum*, Pieri, temperas. Simili modo ἀράσσειν, quod proprie de vento rapido adhibetur, qui cum strepitu et clamore pulsat, de cantu usurpatum legimus in Orph. Argonaut. 380. 396. Nonn. Dionys. I. p. 34. 38. Pindarus autem saepissime verbis utitur, quae strepitum in cantu significant; cf. v. 15. Olymp. II, 3. V, 150. IX, 3. X. 96. Pyth. I, 112. II, 25. εὐαχέα ὕμνον. 27. X, 60. λυρᾶν τε βοαὶ καναχαί τ' αὐλῶν. III. 200. XI, 17. Isthm. V, 60. Nem. III, 117. IX, 128. XI, 8. Huc pertinet Hesychii glossa ad vocem κελαδῶν: ἠχῶν, μέλπων. v. Dorv. ad Charit. p. 516. Miscell. Observ. Nov. T. I. p. 74. Simile est illud Dionysii Halicarn. VI. p. 1041: νᾶμα πλούσιον καὶ τὰς μεγάλας κατασκευὰς καχλάζον (v. de hac voce Valken. ad Eurip. Hippol. p. 293.) — Ἀμφιβάλλεται ὕμνος σοφοῖς dictum est pro: ἀμφιβάλλουσι ὕμνον σοφοί. Proprie enim res dicuntur percuti, feriri voce, cantu, clamore (v. Drakenb. ad Sil. Italic. VI, 7. Burm. ad Valer. Flacc. I, 743. II, 91. V, 273. ad Ovid. Fast. III, 741.; ex quo ἠχεῖν, ἐναχίζειν, vel ἀγνύσθαι, ut in Hercul. Scut. 203., apud Latinos *rumpi* (Virgil. Georg. III, 328), *solvi* (Horat. Satir. II, 1, 86.) et *frangi* (Iuvenal. Satir. VII, 82., qui quidem locus Horatiano laudato commentarii instar habendus est; Sil. Italic. V, 189.) dicuntur); tunc ad cantum ipsum illud transfertur. — Potest quoque dativus ille: σοφῶν μητίεσσι pro genitivo accipi (uti Olymp. I, 90. Pyth. I, 179. III, 131. IV, 84. 481. XII, 10. Nem. VII, 32. Homer. Il. δ, 219. ο, 178. ρ, 324. cf. Fischeri Animadv. ad Welleri Gramm. graec. Specim. III. P. I. p. 320 sq.) et ἀμφιβάλλεται pro verbo neutro haberi. Quodsi tamen (id quod propter insolitum, quamvis in Pindaro fortasse defendendum, verbi ἀμφιβάλλεσθαι usum facile poterit fieri) haec

verborum explicatio minus tibi se probaverit, en aliam eamque priori ex Pindari loquendi resque efferendi ratione haud minus commendabilem! Etenim Pindarus cum in aliis locis (v. c. Olymp. II. 149. sq.) armatum et telis instructum sese fingat, cantusque suos telis comparet (v. Heyn. ad Olymp. I, 179.) quid impedit, quominus huic quoque loquendi modo similem credamus subiectam imaginem esse, eamque hymni, quem, quasi armaturam, induat poeta iis, quos celebrare hymno in animum induxerit, quasi iniiciendum? Ex quo quidem βάλλειν τινὰ dicitur pro: celebrare, v. c. Olymp. II, 161. ὕμνος ipse βάλλει Nem. III, 115. De verbi ἀμφιβάλλειν (i. e. περιβάλλειν, induere) vi vix est, ut moneam. Aliam proposuit eius verbi explicationem cl. *Süvern* in Commentarii Specim. in Pindar. Carm. prim. in Psaumid. p. 39. Ὅθεν ἀμφιβάλλεται ὕμνος interpretatur vir doctus verbis: *unde hymni divulgantur, disseminantur, poetarum ingeniis* et citat Olymp. III, 18. νίσσοντ' ἐπ' ἀνθρώπους ἀοιδαί. Alium locum addere poteris e fragment. Pindaric. p. 68. T. III. ed. Heyn. βάλλεται ἐρατά τ' ἰῶν φόβα: *spargitur amabilis violarum crinis.* Quarum quidem et a me et ab aliis viris doctis propositarum huius loci explicationum probabilitatem et praestantiam diiudicandam et aestimandam aliorum me, ut doctiorum, ita ad sensum poeticum elegantiorum lubenter relinquo iudicio.

Vers. 80. Τραπέζαισί τ' ἀμφὶ δεύτατα κρεῶν
Σέθεν διεδάσαντο καὶ φάγον.

Ἀμφὶ τραπέζαις διεδάσαντο δεύτατα κρεῶν σέθεν explico: distribuebant s. dispertiebantur circa mensas minores carnis tuae partes, h. e., carnem tuam in minores partes, in frusta vel portiones divisam. Δεύτατα sunt ἔσχατα, extrema, minutissima, μικρότατα, quod Scholiastes habet; at in divisione

sunt minores partes vel portiones. Antea enim Pelopis corpus in singula membra dividebatur, ut coqueretur (τάμον κάτα μέλη ἀμφ' ἀκμὰν ὕδατος πυρὶ ζέοισαν); at in mensa caro in portiones vel singulas partes distribuebatur. Δεύτατα κρεῶν significare non potest humeros, quippe cum non appareat, cur humeri tantum in frusta divisi ac secati fuerint. Multo minus mihi eorum ratio placet, qui δεύτατα pro δευτοῖς, i. e., coctis accipiunt, quippe quod in prioribus iam lateat. Athenaei autem illud, ut de secundis mensis accipias, omnium minime arridet; causam enim non video, cur carnem secundo loco apposuerint.

Vers. 90. Κόρῳ δ' ἕλεν
Ἄταν ὑπέροπλον,
Τάν οἱ πατὴρ ὑπερκρέμασε, καρτερὸν αὐτῷ λίθον,
Τὸν αἰεὶ μενοινῶν κεφαλᾶς βαλεῖν,
Εὐφροσύνας ἀλᾶται.

Κόρος dictum esse videtur pro ὕβρει, insolentia, superbia, dementia e satietate prognata. v. Olymp. II, 173. Ἕλεν κόρον autem est: dementiam, superbiam sibi arcessivit, ut Pyth. II. 54. vel: accepit, particeps quasi eius factus est, ut Pyth. II, 47. vel etiam, quod equidem malim: cepit s. comprehendit eum damnum vel malum ingens. Ἄτη enim est damnum, noxa a diis immissa. v. Valken. ad Eurip. Hippol. 276. pernicies, calamitas, v. Pyth. III, 42. XI, 84. Nem. IX, 49. Herodot. I, 32. Sophocl. Philoct. 708. et Oedip. Colon. 531. Eurip. Hecub. 684. Orest. 987. al. — Ἕλεν ἄταν vero positum est pro: ἄτη αὐτὸν ἕλε ex Pindaro inprimis familiarissima inversione; cf. v. 84: λέλογχεν ἀκέρδεια κακαγόρως, ubi cf. Heynii not. 145: ἀρεταῖσι μεμαλότας pro: quibus cordi sunt virtutes, qui colunt virtutes. Olymp. X, 106. Pyth. II,

51. Cui loquendi formae similis est, qua dicitur ap. Anacreont. XLV, 13: ἔλαβεν βέλεμνον Ἄρης, et ap. Musaeum de Herone et Leandro 166: ἐδέξατο κέντρον. v. Interpp. ad Callimach. Ep. XXXIX, 3. — Τάν (sc. ἄταν) πατὴρ οἱ (i. e. αὐτοῦ, ut Nem. VII, 32. vide nos supra) ὑπερκρέμασε καρτερὸν αὐτῷ λίθον: ut vel ipse lapis ingens illa pernicies dicatur — quod tamen et per se et propter duram verborum structuram (κρατερὸν enim λίθον appositio esset τοῦ τάν) molestum est; vel τάν explicandum sit per δι' ἥν, quod in glossem. invenitur. Sed hoc quoque incommodum est. Huc accedit, quod τάν in metrum non quadrat, v. Hermann. T. III. p. 236. ed. Heyn. qui proponit ἄν, id quod metrum quidem restituit, sed ad sensum nil facit. Quid si legatur pro ἄν οἱ, ἄνω, in altum, sursum versus? ut in Eurip. Med. 412: ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί. οἱ ἄνω (θεοί) Eurip. Hecub. 781. Sophocl. Aiac. 239. τόν τ' ὀρθὸν ἄνω κίονι δήσας. Sic sensus optimus isque facillimus existet: in altum (h. e. in coelum vel aëra; quocirca Euripidi in Oreste 6. ἀέρι ποτᾶσθαι Tantalus dicitur; cf. eand. fabul. v. 980. Heyn. not. ad h. l.) super eius caput (αὐτῷ) ponderosum appendit lapidem. Pro τάν vel ἄν legere quoque possis; ᾇ; propter quam ἄτην (ἄτη tunc accipiendum esset de insolentia illa, quae cum amentia quadam et mentis aberratione, ut ita dicam, coniuncta est; Verblendung, Unbesonnenheit; id quod ἄτη proprie denotat), in cuius poenam pater eius (οἱ) ingentem saxi molem super eius caput suspendit. Sed malim priorem amplecti explicationem.

Βάλλειν est ferire, configere, παίειν, de fluctibus proprie; v. Apollon. Rhod. I, 365. Plutarch. in Porphyr. p. 716. Stat. Achill. I, 100. — Pro κεφαλᾶς, legendum puto κεφαλάν, ut sensus evadat:

ctare utramque victoriam et equestrem et curulem. Sensus totius loci tunc erit: Iam carmine te ornare et celebrare iuvat, qui victoriam in certamine equestri reportaveris. At persuasum mihi est, me nullum alium inter hospites laudaturum esse, vel in posterum laudare posse (cf. de hac Futuri vi Graev. ad Hesiod. ἔργ. 185. Abresch. auctar. diluc. Thucyd. p. 331. Fischeri Animadv. ad Well. Gr. gr. Sp. III. P. I. p. 263. sq.) qui in utraque victoria magis excelluerit; praeterea (ἤ, alioqui), qui opibus ac potentia praestantior te sit atque excellentior (haud abs re fuit, id memorare, cum equos aptos quadrigis, ἀθλοφόρους, alere et currus ad certamina instruere, minime fuerit res tenui loco natorum, sed regum et opulentorum). — Ἀμφότερα (κατὰ) καλῶν dictum est, ut δεύτατα κρεῶν v. 80. καλὰ autem est victoria, decus ac gloria inde parta v. Heyn. ad Pyth. XI, 76.; sic v. 134. Olymp. VIII, 17. XI, 18. Olymp. XIII, 64. καλλιςα ἔργα ibid. 54. Pyth. VIII, 46. καλα ἔργα Pyth. I, 63. VII, 20. ἀγαθοὶ, ut καλοὶ, sunt victores Olymp. IX, 41. 142. X, 109. ex quo καλλίνικος quoque nomen invenit; ut καλλίνικον κῦδος Isthm. I, 13. Νίκα vocatur ἀρετά Nem. IX, 128. χάριτες Olymp. II. 90. ἐσλὰ Pyth. VIII, 103. Nem. V, 86. — Ne autem hoc nimis abrupte et obscure dictum putes, impedit, quod vox νίκα saepius a Pindaro omittitur, scilicet in carminibus ἐπινικίοις facile intelligenda; sic Olymp. I, 175. ἔτι γλυκυτέραν; Olymp. VII, 150. εὐτυχέων ἄλλαν ἐπ' ἄλλᾳ. — Ἴδρις est ἔμπειρος (ut ἀπείρατον καλῶν Olymp. XI. 18. σύμπειρος Nem. VII, 15. πεῖραν ἔχοντες Nem. IV, 123.), qui utramque victoriam magis expertus, vel particeps utriusque factus fuerit — Δαιδαλωσέμεν futurum huic explicationi inprimis videtur favere, quamvis probe sciam, futura pro praesentibus

nonnunquam adhiberi. v. E. Scheid, animadv. ad Analog. graec. ling. p. 325.

Tunc pergit poeta: deus, cui cordi sunt studia tua ac res, μήδεται (i. e. μήσεται; praesens pro futuro, v. Wasse et Duker. ad Thucyd. II, 44. Viger. de gr. dict. idiotism. p. 208. ed. Zeun.) τοῦτο κῆδος: habebit hanc curam. Sic ἔχων redundat: sed legendum pro eo est: ἑλὼν: hanc curam in se receptam prospiciet, h. e. in se recipiet tibique prospiciet, ut particeps utriusque fias victoriae, hoc curabit. Sic legisse scholiastes quoque possit videri explicans: ἐπίτροπος ἐὼν, ἤγουν τὴν φροντίδα ἀναδεδεγμένος τῶν σῶν μεριμνῶν κ. τ. λ. — Atque, igitur, quamobrem (δὲ est οὖν, v. c. ap. Palaephat. XXXVIII, 5: ut, quae iam de victoria curuli speciatim dicit poeta, conclusa quasi sint atque effecta ex iis, quae antea generatim et in universum de victoria utraque, suis ipsius ad deos adiunctis precibus, monuisset) spero, fore ut te in certamine curuli victorem adhuc praedicem. — Γλυκύτερον legi non posse puto, quia tunc σὺν ἅρματι θοῷ nil haberet, quocum connecteretur; ea enim verborum structura, quam Heynius praeivit, ut coniungas εὑρὼν ὁδὸν λόγων σὺν ἅρματι: per victoriam quadrigarum nactus materiem opportunam carminum, haud commoda mihi videtur esse cum eam ob causam, quia σὺν ἅρματι *per* victoriam quadrigarum aliquanto durius est, tum propterea, quod σὺν ἅρματι θοῷ ex alio verborum ambitu in alium haud sine vi quadam ac violentia rapitur — Pro κεν v. 175. malim legere τάν, ut ἔτι connectatur cum futuro κλεΐξειν et ex antecedentibus significationem lucretur suam: εἰ δὲ μὴ ταχὺ λίποι (sc. ὁ θεὸς, cf. Olymp. XIII, 148: εἰ δὲ δαίμων γενέθλιος ἕρποι) nisi te (σὲ omissum) deus destituat, h. e. si te adiuvet propitius in praeclaris tuis studiis, spero, fore,

tit adhuc celebrem victoriam dulciorem, excellentiorem quadrigarum — τάν, i. e. αὐτὴν, ταύτην (sic Olymp. II, 98. VI, 126. τοῖς. Pyth. VII, 23. τὰ καὶ τά. Nem. VII, 81. ὁ μὲν τά, τὰ δ' ἄλλοι. v. Reiz. de prosod. gr. accent. inclinat. p. 8. sq. Zeun. ad Xenoph. Cyropaed. I, 3. §. 9. Fischer. Animadv. ad Weller. Sp. III. P. I. p. 339. 340.) respicit νίκαν ex more Pindari omissam quidem sed in prioribus: ἀμφότερα καλῶν latentem.

178. εὑρὼν ὁδὸν λόγων ἐπίκουρον. Haec verba multiplicem admittunt explicationem. Exponi possunt: facilem at expeditam viam nanciscens carminum, i. e. rationem, modum, quasi μέθοδον. v. Budaei Comment. graec. ling. p. 336. Stephani thesaur. graec. ling. T. II. p. 1160; ut Latinorum *iter* et *via* (v. Cicer. de natur. Deor. II, 22.) est ratio, modus, consuetudo interdum (sic ἔσοδοι Pyth. V, 156. quod Schol. explicat per ἔθη. cf. Heyn. ad Pyth. VI, 50. in Var. Lection.) ac regula, ad quam aliquid dirigimus, aliquid facimus; quemadmodum nostrates dicunt: auf diesem Wege, pro: hac ratione. Sic Olymp. III, 8. μοι νεοσίγαλον εὑρόντι τρόπον. X, 93. τὸν ἐγκώμιον ἀμφὶ τρόπον. Namque voce ὁδὸν eo respicere potuit poeta, quod carmina certa lege et modo componuntur, quod laus secta sua et via quasi progreditur; sic est ὕμνου τεθμός, hymni lex, συνήθεια Olymp. VII, 162 — Proprie quoque ὁδὸς sumi potest de carminis via et cursu; carmen enim ire, incedere, currere, dici potest ex eo, quod ipse poeta navigatori sese confert canendique artem navi, v. Olymp. XIII, 69. Pyth. II, 113. Pyth. IV, 5. Nem. VI, 55. Lucret. VI. init. Ex quo Propertii deploratus ille locus Eleg. II, 8, 27: Sic nos, nunc inopes laudis conscendere *carmen*; emendandus et explicandus mihi videtur esse. Pro carmen enim *currum* le-

gendum esse, iam alii viderunt, quamvis exorti sint viri docti (in iis cl. *Huschk.* in praeclaris suis Analectis Criticis p. 158. sq.), qui illud reiicerent. *Currus* autem est *navis*. v. Muret. Var. lect. I, 11. et Gifan. Collect. ad Lucret. Sic ἅρμα et ὄχημα apud Graecos usurpantur. v. Kühn. ad Polluc. I. S. 83. §. 8. Gataker. Observ. Misc. II, 18. et Stanl. ad Aeschyl. Prom. 467. Pindarus Pyth. II, 113: Εὐανθέα δ' ἀναβάσομαι Στόλον ἀμφ' ἀρετᾷ Κελαδέων — Ὁδὸν εὑρεῖν, ut ad Pindarum nostrum redeamus, sumi tunc posset pro ἀναδραμεῖν, ut Olymp. VIII, 72. vel ἀνελθεῖν, carmine percurrere, persequi laudes, ut προβῆναι et ἐπεξιέναι Herodoto I, 5. dicitur. Eodem fere modo similem fere sententiam extulit Pindarus Pyth. IV, 439: Μακρά μοι νεῖσθαι κατ' ἀμαξιτὸν. et Nem. VI, 92: καὶ ταύταν μὲν παλαιότεροι Ὁδὸν ἀμαξιτὸν εὗρον. Nisi malueris ὁδὸν ita accipere, ut periphrasi inserviat, ut ap. Eurip. Orest. 632. μερίμνης ὁδοὺς, Musaeum de Heron. et Leandr. 175. ἐπέων κελεύθους. ὁδός θεσφάτων Eurip. Phoeniss. 922. Eurip. Rhes. 421. cf. Pyth. III, 184. ἀλαθείας ὁδὸν. IV, 347. πόντου κελεύθους. V, 118. ἁλὸς βαθείαν κέλευθον. IX, 34. 81. v. Küster. ad Aristoph. Equit. 1012. Sic ap. Latinos *iter* et *cursus* periphrasi inserviunt, v. c. ap. Propert. III, 8, 32. ubi cf. Broukh. XIII, 4. Ovid. Fast. III, 778. Trist. III, 4, 33. v. quoque Aeschyl. Choëph. 790.

Εὑρεῖν est vel adipisci, nancisci, (v. Olymp. VII, 164. Pyth. II, 118, III, 196. IV, 333. Isthm. I, 60.) vel i. q. ἐπινοεῖν, ἐξευρεῖν, ut Olymp. III, 8, fragment. p. 19. Sic εὑρίσκειν est indagare, quaerere ap. Sophocl. Antigon. 307. Eurip. Orest. 1158. Xenoph. Memor. Socrat. I, 1, 13. Olymp. XIII, 104. Herodot. I, 5. 26. Latinorum *invenire* et *repertre* eodem modo usurpata leguntur ap. Ciceron. de natur. deor, I, 5. al. *invenire*

fallaciam Terent. Heaut. III, 3, 35. V, 4, 21. Cic. Vatin. 9. Dom. 1. *reperire* comoedias Plaut. Captiv. extr. Terent. Heaut. III, 2, 22. Eunuch. III, 3, 6. Phorm. I, 4, 1. II, 1, 4. Andr. IV, 1, 56. — In carminibus autem componendis Pindarus semper de φροντίδι similibusque loquitur, sic Olymp. I, 15. 30. XI, 10. Pyth. I, 117. Nem. III, 15. IV, 13. VI, 93. X, 40. Isthm. V, 36.

Vers. 185. Εἴη σέ τε τοῦτον
'Τψοῦ χρόνον πατεῖν, ἐμέ
Τε τοσσάδε νικαφόροις
Ὁμιλεῖν, πρόφαντον σοφίᾳ καθ' Ἕλ-
λανας ἐόντα παντᾷ.

Χρόνον non satis commodam habet explicationem. Scholiastis autem interpretatio τοῦτον τὸν χρόνον, ὃν ζῶμεν, frigida, nescio quomodo, et inepta est; et Heynii emendatio σε τοιοῦτον per se quidem bona est, sed sensus, qui inde efflorescit: te in hac fortuna constitutum diu incedere vel vivere; mihi non satisfacit. Pindarus enim de re futura, quae ipsi adhuc in votis est, loquitur. Totius vero loci et comparationis poetae cum Hierone rege sensus, qui quidem interpretes latuisse videtur, hic videtur esse: Spero, fore, ut te adhuc quadrigarum victorem aliquando praedicem; ea autem summa tibi futura esset felicitas, qua nil superius cogitari posset. Mihi quidem Musa benigna egregiam ad carmina facienda vim tribuit atque facultatem (καρτερώτατον βέλος ἀλκᾷ τρέφει); sed haec felicitas (quae Pindaro vera est felicitas cf. v. 187.) nil est ad tuam felicitatem. (Hoc communi sententia expressit poeta: ἐπ' ἄλλοισι δ' ἄλλοι μεγάλοι; τὸ δ' ἔσχατον κορυφᾶται βασιλεῦσι: ego quidem magnus sum et in carminibus insignis ad laudem; sed rex est maximus; ei summa et felicitas et gloria paratae sunt). Quam quidem felicitatem (si victoriam quadri-

garum nactus fueris) ut contingas, habeo in optatis; de me autem, qui, utpote poeta, nonnisi carminibus gloriam et felicitatem possim nancisci, equidem opto, ut mihi contingat tam felici esse, ut τοσάδε (tanta, tam praeclara et felicia, quales sunt victoria et gloria) inter victores celebrem, quo conspicuus fiam inter omnes Graeciae poetas: id quo meae felicitatis terminus et finis continetur." — Hac vero cum sententiarum serie aliam poeta lyricus ex more coniunxit: spero, fore, ut te victorem in certamine curuli praedicem; summam eam, quam assequi possum (imagine de iaculatore desumta: βέλος καρτερώτατον), felicitatem Musa propitia mihi reservat, τρέφει. Mihi haec maxima est felicitas; alii aliam habent; sed regis gloria summa est, ut, si victor quadrigarum fueris, maximam inde nancisceris et felicitatem et gloriam, et in fortuna alta incedas. Pro χρόνον enim lego: δρόμον, cui egregie respondet πατεῖν ὑψοῦ: liceat tibi in alto illo gloriae quasi curriculo incedere, ut ad summum pervenias felicitatis gradum. Vitae comparatio cum cursu vel via notissima est, v. Olymp. VI, 123. Τιμῶντες δ' ἀρετὰς ἐς φανερὰν ὁδὸν ἔρχονται. Nem. VI, 10, sq. cf. Broukh. ad Propert. III, 8, 32. Passerat. ad eund. II, 12, 41. Interpp. ad Ovid. Trist. III, 4, 33.

Carm. II. Τῶν δὲ πεπραγμένων

'Εν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν
'Αποίητον οὐδ' ἂν
Χρόνος, ὁ πάντων πατήρ,
Δύναιτο θέμεν ἔργων τέλος.

Τῶν πεπραγμένων ἔργων est συμβάντων, γεγενημένων sive per fas, sive per nefas, mala et infortunia, sive merito, sive immerito evenerint, nullum tempus delere vel infecta reddere potest. Notissima sententia. v. Horat. Carm. III, 29, 46. sq. Camerar. ad Sophocl.

Trachin. 743. Aiac. 377. Plaut. Aulul. IV, 10, 11. Lucret. III, 1008. Virgil. Georg. I, 462. — Significat autem poeta τοῖς πεπραγμένοις ἔργοις mala, quae acciderint Theroni, cum bellum cum Hierone gereret. Sententia vero omissa est: etiam Theronis posteris, sicuti eius maioribus, qui in magna felicitate constituti erant (v. 19. 20. 21.), felix et faustum tribuas imperium; multas enim iam calamitates perpessa est Theronis familia, quas quidem, quamvis nullum tempus infectas poterit reddere, tamen felicitas consequens oblitterabit — Ἐν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν igitur non solum Theronem, sed in universum eius familiam huiusque casus respicit. Sic, v. c. Hieronis culpa, qui Polyzelo fratri, Damaretae, Theronis filiae, marito post Gelonis mortem insidias struxerat, bellum exortum est inter Theronem et Hieronem. Huc accedunt maiorum infortunia et miseriae (V. 15.), quas tamen felix est fortuna insecuta. Verba ἐν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν per παροιμίαν quandam posita sunt, ut ap. Aeschyl. Choëphor. 75. δίκαια καὶ μὴ δίκαια. Eurip. Med. 414. Horat. Epod. V, 87. fas nefasque.

V. 58. Ἤτοι
Βροτῶν κέκριται
Πεῖρας οὔ τι θανάτου,
Οὐδ', ἀσύχιμον ἁμέραν
Ὁπότε, παῖδ' Ἀλίου,
Ἀτειρεῖ σὺν ἀγαθῷ
Τελευτάσομεν

Verborum ordo hic est: Οὐδὲ κέκριται (certo definiri non potest, non constat) ἀσύχιμος ἁμέρα, παῖς Ἀλίου, ἀτειρεῖ σὺν ἀγαθῷ, ὁπότε τελευτάσομεν. Quemadmodum autem πεῖρας θανάτου οὐ κέκριται est: non constat, quando adventura mors sit, num hoc, an illo tempore eventura sit: sic *non liquet dies felicitatis*

est: num felix et serenus fortunae dies adventurus sit s. futurus sit, quando moriemur: num in felicitate et tranquillitate constituti supremum diem obituri simus. Quas quidem duas sententias Pindarus lyrico more ita contraxit ac copulavit, ut vocem ἁμέρα, quae per se accipienda et cum κέκριται coniungenda erat, cum τελευτάσομεν coniungeret. Simili fere modo Nem. VI, 10: Καί περ ἐφαμερίαν οὐκ εἰδότες οὐδὲ μετὰ νύκτας ἄμμε πότμος ἄντιν' ἔγραψε δραμεῖν ποτὶ στάθμαν.

Vers. 65. Οὕτω δὲ Μοῖρ', ἅ τε πατρώϊον
Τῶνδ' ἔχει τὸν εὔφρονα πότμον κ. τ. λ.

Sententia generatim quidem pronuntiata est, ita tamen, ut exemplum simul afferat ex Laii familia, quae, cum antea inter Laii maiores felicissima usa fortuna esset, Oedipi culpa magnam postea cladem acceperit. Sic Pindarus in more habet duas sententias connectere coniunctasque uno eodemque verborum ambitu enuntiare. Τῶν referendum est ad Laii familiam, unde Theron quoque genus ducebat. Certam enim familiam respici, e voce πατρώϊον apparet, idque Laii familiam ex adiecto: ἐξ οὗ περ ἔκτεινε Λάϊον vel Λᾶον, quod Hermannus vult p. 238., satis perspicitur.

Vers. 93. Τὸ δὲ τυχεῖν
Πειρώμενον ἀγωνίας,
Παραλύει δυσφρόνων. κ. τ. λ.

Cuius opes et divitiae ad res praeclaras atque honestas (ἀρετὰν, νίκαν, καλὰ) spectant, qui ad pulchrum tendit (ἀγωνίαν, νίκην), qui opes suas et divitias ad res pulchras adhibet, maxima is fruitur et inter vivos et apud inferos felicitate. Etenim summam sibi inde parat gloriam, eiusque animus nescius est aerumnarum, nescius tristitiae (παραλύεται δυσφρόνων); nullum relinquit locum aliis cogitationibus et conami-

nibus, quae ut sibi ipsi, ita aliis tristitiam possint et miserias afferre, qualia sunt bella, alia. —

Ἀρετά v. 96. ipsa est victoria, ut Olymp. III, 32. V, 1. IV, 17. VII, 163. VIII, 8. ἀρετὴ enim quaevis praestantia, excellentia vocatur, praecipue in certaminibus conspicua. Sic Xenoph. Hier. XI, 5. ἅρματος ἀρετᾷ Olymp. XIII, 19. XI, 6. et ἀριστεύειν Olymp. XIII, 61. Aliquoties est fortitudo animi (Eurip. Supplic. 1063. *ars* Horatio Carm. III, 3, 9.), vigor animi et corporis. cf. Klotz ad Tyrt. III. p. 70.

Vers. 98. dicitur πλοῦτος φέρειν τῶν τε καὶ τῶν καιρὸν (i. e. successum, eventum v. Pyth. I, 111. VIII, 9.) i. e. dives, quem ornant victoriae pulchrique ac gloriae studia, φέρει (i. e. ἀποφέρει) nanciscitur harum et illarum h. e. multarum (v. Nem. I, 43. VII, 80. sq.) rerum felicitatem, h. e., in omnibus felix est atque fortunatus, propterea quod nil molitur, nisi quod pulchrum et honestum est; in quo quidem studio nunquam fieri potest, ut infelici fruatur successu — Ἀγροτέραν ὑπέχων μέριμναν, reconditam habens eamque pulchri quasi venatricem (ἀγροτέραν, i. q. ἀγροτιν, κυνηγὸν, ἀγρευτικὴν. v. Eustath. ad Iliad. XXI, 471. Ex quo Ἄρτεμις dicitur ἀγροτέρη apud eund. v. Aristoph. Equit. 657. Pausan. I, 41. cf. Lennep. ad Coluth. p. 132. sq.) cogitationem h. e. studium, h. e. in pectore id alens. Venatrix autem pulchri dicitur μέριμνα, elegantissima metaphora eaque usitatissima. Eodem enim modo θηρεύειν, Latinorum *venari*, adhibetur, v. Pindar. Pyth. III, 40. Nem. VI, 26. XI, 62. et θηρευτῆς ap. Platon. Lys. p. 242. c. T. V. ed. Bipont. Aristoph. Nub. 357. Aeschyl. ἱκετ. 90. Sophocl. Antigon. 92. Eurip. Hippol. 930. *venator* ap. Ciceron. de natur. Deor. I, 30. cf. Burman. ad Phaedr. III, 4, 4. Simili modo ἰχνεύειν usurpatur Alciphroni Epist. II, 3.

Vers.

Vers. 102. Si quis divitiis suis utitur ad res pulchras et honestas adipiscendas, is immunem se praestat ab iniustitia, superbia, omnibusque iis, ob quae homines apud inferos poenas subeunt. Quod quidem poeta lyrice enuntiavit: se a rebus iniustis atque inhonestis immunem praestabit, quia puniri illa novit apud inferos.

Vers. 162. Ἔτειλαν Διὸς
Ὁδὸν παρὰ Κρόνου τύρ-
σιν.

Eustath. ad Homer. Il. I, 25. p. 22. T. I. ἐπιτέλλειν explicat per προστάσσειν; ἐξ αὐτοῦ, addit, προσθέσει τοῦ σ παρ' Αἰσχύλῳ ἐπιςολὴ ἢ ἐντολή. Ex quo Iliad. β, 643. ἐτέταλτο pro: προσετέτακτο positum est. Etymol. τέλλω exponit: προστάσσω, κελεύω. Quocirca ἔτειλαν sensu, qui dicitur, praegnanti explicaverim: τελλομένην, προστασσομένην s. δεδειγμένην ἤνυσαν s. ἐπορεύθησαν: ut ipsi id facere fingantur, quod ipsorum causa ab alio fit; noto loquendi genere, de quo conferas, quae diximus in libro de *Platonis Phaedro*.

Attamen cum ap. Hesychium τέλλεται explicetur per ἀνύεται, perficitur, cui Scholiastes ad hunc versum assentitur, (v. nos infra ad Olymp. VIII, 10.), non est, ut laboremus in hoc loco exponendo.

Vers. 173. Ἀλλ' αἶνον ἔβα κόρος
Οὐ δίκα συναντόμενος, ἀλ-
λὰ μάργων ὑπ' ἀνδρῶν,
Τὸ λαλαγῆσαι θέλων
Κρύφον τε θέμεν ἐσθλῶν κακοῖς
Ἔργοις.

Κόρος est dementia in dictis factisque e nimia felicitate ac superbia efflorescens; quocirca ματὴρ Κόρου Ὕβρις dicitur Olymp. XIII, 12. Pyth. I, 160. etiam

invidia cum dementia coniuncta, Nem. X, 37. ubi Scholiastes bene monet: οὐχ ἡδέως γὰρ ἀκούουσιν ἀλλοτρίων θαυμάτων οἱ ἄνθρωποι, ἀλλ' εὐθὺς κόρον ἔχουσι τῶν ἐπαίνων διὰ βασκανίαν, et κόρον explicat per φθόνον. Igitur non ipsius Theronis dementia significatur, sed aliorum hominum, qui nimis praedicarent eius felicitatem, haud respicientes deorum numen nimiae hominum felicitati invidens resque humanas vexans, ut sentiant illi, se homines esse, non deos (Herodoti φθόνος, de quo v. Wesseling. ad Herodot. p. 15. 89. Boettiger. prolus. de Herod. histor. p. 7. H. Vales. ad Ammian. Marcell. p. 58. Kreuzer: Herodqt und Thucyd. p. 44. sq.) — Κρύφον θέμεν non ad homines referendum, qui obtrectatione laudes bonorum obscurent, sed ad κόρον ipsum, qui eo, quod homines nimis aliorum laudes praedicant indeque deorum invidiam iis conciliant, res egregie gestas laudesque bonorum obscurare tentat et delere quodammodo. Namque nihil Veteres magis in aliorum laudibus et virtutibus praedicandis metuebant, quam-ne deorum invidiam nimia praedicatione concitarent; quo fiebat, ut homines malos et invidos nimia lande, tanquam fascinationis genere, aliorum bonis ac felicitati nocere putarent. v. Catull. V, 12. VII, 12. Cerd. ad Virgil. Eclog. VII, 27. Sophocl. Electr. 1467. Muret. Var. lectionn. IX, 8. — Ipse vero Pindarus in felicitate magna fortunae invidiam deprecatur. Olymp. VIII, 174. Pyth. VII, 19. X, 31. VI, 124. cf. quoque Pyth. VIII, 43. Nem. VII, 76. sq. X, 37. Τὸ λαλαγῆσαι θέλων κρύφον τε θέμεν cet. per hendiadyn positum est pro: τῷ λαλαγῆσαι κρύφον θέμεν θέλων: nimia laude vel rumoribus ac maledictis malorum invidorumque hominum (κακοῖς ἔργοις; ἔργον enim est i. q. ἔθος; consuetudo, mos. cf. Hoogev. ad Viger. de gr. ling. idiotism. C. III. S. IV.

§. 11.) bonos obscurare cupiens, gestiens. Sic θέλειν adhibetur in significatione studendi, cupiendi, exoptandi, gestiendi. v. Olymp. XI, 9. XIII, 12. ubi cf. Heyn. not. Pyth. IX, 193. Nem. III, 145. IV, 144. Eurip. Iphig. in Aulid. 658. Anacreon. XXIX, 37. Achill. Tat. VI, 3. Heliodor. VIII, 7. al. Aelian. H. Anim. V, 54. Xenoph. Ephes. V, 13. Alciphr. III, 23. cf. quoque Dorv. ab Charit. p. 541.

Carm. II. v. 6. Ὕμνον ὀρθῶσαις, ἀκαμαντοπόδων
Ἵππων ἄωτον.

Legere cum Heynio possis: ἵππων τ' ἄωτον: praestantes, praeclaros equos. Ἄωτος enim est flos, summum ac praestantissimum in suo genere, ut Pyth. IV, 335. cf. Abresch. diluc. Thucyd. p. 489. Barth. ad Grat. Cyneg. 198. ut ἄνθος, v. Salmas. Exercitat. Plin. p. 1082. sq. Rittersh. ad Oppian. p. 136. Klotz. ad Tyrt. I, 29. p. 23—25. *Flos* Latinorum. v. Muret. ad Catull. XXIV, 1. Heins. ad Sil. Italic. III, 84. Ruperti ad eund. I, 376. al. Sed minime necessaria est illa emendatio, quod iam Hermannus p. 239. monuit. Namque ἄωτος est vel κάρπος, ut carmen s. hymnus equorum fructus vocetur, quippe quo fruatur, quem decerpat quasi Theron per equorum praestantiam atque victoriam; (Sic enim Nem. II, 14. dicitur δρέπεσθαι ἄωτον v. Olymp. I, 20. σοφίας καρπὸν δρέπειν Pindar. ap. Stob. Serm. LXXVIII. ed. Gesn. Pindar. fragm. Scol. v. 10. p. 19. ed. Heyn. T. III. ὥρας ἀπὸ καρπὸν δρέπεσθαι. v. Aeschyl. S. adv. Theb. 578. Pyth. I, 95. IV, 231. VI, 48. IX, 193. Nem. II, 13. v. Suid. in v. δρέπομαι. Simili modo Eurip. Med. 827. φέρβεσθαι σοφίαν i. q. καρπίζεσθαι alias dicit. v. Iacobs. Cur. secund. in Eurip. p. 84. Plat. Sympos. 10. φιλοσοφίας τὰ μέγιςα καρποῖτ' ἂν ὀνείδη. Ἄωτος autem ipse est κάρπος, ut Scholiastes recte explicat

ad Olymp. VIII, 99. Pyth. II, 135. IV, 231. Nem. III, 50. Isthm. I, 75. V, 14. VI, 5. Ex quo οἰὸς ἄωτος ap. Homer. Odyss. I, 443. IX, 434. Il. IX, 657. XIII, 599. Oppian. Cyn. 4, 154. est fructus ovis, in quo sensu κάρπος adhibetur in Xenophont. prooem. Cyropaed. Eustath. ad Odyss. I, 443. p. 72. v. 13. ed. Basil. ἄωτον commode explicat per ἀπανθισθὲν, sed minus recte, si quid video, ἀωτεῖν vel ἀωτεύειν (Il. X, 159. Odys. X, 548.) ibid. exponit per ὑφαίνειν; ἀωτεύειν enim de somno est ἀπανθίζεσθαι ὕπνον, carpere somnum. cf. Hesych. et Suid.) — vel decus, gloria: ut Olymp. V, 2. VIII, 97. IX, 30. Pyth. X. 82.

V. 29. Δᾶμον Ὑπερβορέων πείσαις, Ἀπόλ-
λωνος θεράποντα, λόγῳ
Πιςὰ φρονέων, Διὸς αἴτει πανδόκῳ
Ἄλτει σκιαρόν τε φύτευμα
Ξυνὸν ἀνθρώποις, ςέφανόν τ' ἀρετᾶς.

Sic equidem hunc locum constituerim. Λόγῳ invenitur in Codd. Pal. C. et Gotting. et apud Scholiast. Πιςὰ φρονέων latior est explicatio τοῦ: λόγῳ πείσας: non vi Hyperboreis eripuit oleam, sed amicis precibus, πιςὰ (i. q. φίλα. v. Steph. Thesaur. gr. I. T. III. p. 145.) φρονέων (i. q. μαλθακᾷ φρενὶ Olymp. II, 163.) vel pietate erga Iovem patrem commotus; ab iis petiit, αἴτει. Olea dicitur σκιαρὸν φύτευμα ἄλτει (v. Olymp. X, 55. Pausan. V, 10.) Διὸς πανδόκῳ (dativ. commodi), ξυνὸν ἀνθρώποις (quippe in ἄλτει πανδόκῳ), ςέφανόν τ' ἀρετᾶς. — Hermanni ἄλσαι quem aptum sensum praebeat vix assequor.

Carm. V. v. 55. Ὑγί-
εντα δ' εἴ τις ὄλβον
Ἄρδει, ἐξαρκέων κτεάτεσσι, καὶ
Εὐλογίαν προστιθεὶς κ. τ. λ.

Ἄρδει est irrigat, irrigando educat h. e. fovet, alit.

Sic educari flores et arbores dicuntur; ap. Catull. LXII, 41. „Quem mulcent aurae, firmat sol, educat imber;“ ibid. v. 50. „Nunquam se extollit, nunquam mitem educat uvam.“ cf. *Doering.* optimi mei praeceptoris, not. ad Catull. XIX, 14. Imago enim desumta est a floribus vel arboribus; sic Nem. VIII, 27. sq. ὄλβος φυτευθεὶς σὺν θεῷ dicitur. Ἄρδειν igitur idem est, quod alias dicitur ἀέξειν, αὔξειν vel αὐξάνειν: educare, proferre, augere (proprie de floribus, tunc ad alias res transfertur, v. c. ad insulam: Olymp. VII, 114. quoc. conf. v. 127. VI, 180.), fovere; deinde florentem h. e. insignem, illustrem reddere, ut Nem. II, 24. Olymp. VIII, 116. αὔξειν illustrare, honorare, quod θάλλειν, v. Olymp. IX, 27, adiuvare Pyth. IV, 5. VIII, 53. Nem. VII, 47. IX, 115. ut *augere* Latinor. v. c. Sil. Italic. III, 708. cf. indic. Heyn. ad Pindar. et αὐξέσθαι inclarescere, potentiorem fieri, v. Eustath. ad Il. θ, 66. — ὑγιὴς ὄλβος est vel probus, sincerus, rectus, ὀρθός (ut ὑγιὲς ἀνδράποδον Theophr. Char. XVII. §. 2. dicitur servus frugi, bonum mancipium (v. Steph. Thesaur. gr. I. T. III. p. 1721.), et ἄκος ὑγιηρὸν Nem. III, 29. ὑγιὴς λόγος Herodot. I, 8. τὸ ὀρθὸν καὶ ὑγιὲς ap. Plutarch. de Pueror. educat. IX. T. I. p. 20. ed. Wyttenb. Contra ἄνθρωπος μηδὲν ὑγιὴς est homo scelestus ap. Aristophan. Plut. 37. Thesmoph. 401. μηδὲν ὑγιὲς φρονῶν Sophocl. Philoctet. 1006.). — vel sanus, εὐφυὴς (v. Gregor. de dialectis p. 70. sq. Ἀττικῶν δὲ καὶ ἀντὶ τοῦ εὐφυῆ, ὑγιῆ, εὐφυᾶ καὶ ὑγιᾶ λέγειν, ubi v. Koenius), qui morbo quasi non impeditur, quo minus crescat et augeatur. Hoc malim respectu τοῦ ἄρδει amplecti, quam Iacobsii (v. Animadvv. in Eurip. Tragoed. p. 132. sq.) explicationem: divitiae cum corporis sanitate coniunctae. Ἐξαρκέων κτεάτεσσι autem non est, ut Iacobsius vult, divitiis reste utens, sed aliis

opitulans, largiterque praebens ex divitiarum copia iis, qui paupertate laborant, τοῖς νοσοῦσι quasi, cum ipse ὑγίεντα ὄλβον possideat. Ἀρκεῖν enim verbum medicum est et denotat auxiliari, praebere (v. Foesii Oecon. Hippocrat. s. h. v.). Anacreon. LI, 24. Aelian. V. H. XII, 1. Hesych. ἀρκεῖ· προσαρκεῖ· βοηθεῖ. Nem. I, 47. VI, 103.

Carm. VI. v. 75, Τὸν μὲν κνιζομένα
Λεῖπε χαμαί.

Κνιζομένα non ad partus dolores refero, sed eo, quod virgo sollicitudine et timore ob partum editum cruciata fuerit. Anxiae igitur puellae ac trepidanti quidem ad partum iam editum occultandum, sed propter consilii inopiam in terram eum abiicienti, vel, ubi eum ediderat, relinquenti auxilio veniunt a diis missi dracones — κνίζεσθαι proprie est titillare, pungere, sollicitare: Pyth. VIII, 44. X, 94. XI, 36. Nem. V, 59. Isthm. V, 74. tunc de quavis sollicitudine, de quovis ingrato affectu adhibetur, cf. Reines. Var. lect. p. 417. Wesseling. ad Herodot. p. 513.

Carm. VII. v. 64. ἔνθα ποτὲ
Βρέχε θεῶν βασιλεὺς ὁ μέγας
Χρυσαῖς νιφάδεσσι πόλιν.*

Πόλιν est χώραν, insulam v. Hesych. Strab. p. 356. Eurip. Alcest. 480. (ubi male verba corrigere tentant viri docti; τόδε enim Euripides dixit ad definiendum id, quod in θεσσαλῶν πόλιν latius idque indefinite expressum est. Sic Homer. Odyss. θ, 362. ἐς Κύπρον — ἐς Πάφον. Pindar. Nem. IX, 3 et 6.) Eur. Cyclop. 92. quemadmodum χθὼν Euripidi Ion. 74. πόλις est, et χώρα adhibetur pro πόλις ap. Aristoph. Thesmoph. 109. ubi cf. Küster. not. Ex quo πολίτης de re usurpatur in eadem regione orta vel vicina, cf. Valken. ad Eurip. Hippol. 1126.

Vers. 73. Τότε καὶ Φαυσίβροτος
Δαίμων Ὑπεριονίδας
Μέλλον ἔντειλεν φυλάξα-
σθαι χρέος παισὶν φίλοις.

Μέλλον χρέος non est res iamiam futura, sed officium necessarium, quod par est exsequi. Χρέος enim est officium, munus, negotium. Olymp. III, 12. Pyth. IX, 181. Olymp. X, 10. Eurip. Hecub. 882. Iphig. in Aulid. 373. — Μέλλον autem est vel fatale, vel quod par est exsequi. Sic ἔμελλε adhibetur ap. Sophocl. Philoct. 446. Antigon. 465. Oedip. Colon. 1706. Eurip. Ion. 999. Priorem eius significationem id confirmare videtur, quod in fatis erat, ut Minerva, qui primi sacra ipsi fecissent, apud eos maneret.

Vers. 98. Δαέντι δὲ καὶ σοφία
Μείζων ἄδολος τελέθει.

Καὶ vim habet explicandi vel augendi: quippe, utpote perito facultas maxima, nullo illa cum dolo, nullis praestigiis coniuncta, contingere solet; vel: atque adeo artis peritis, iis, qui artem bene callent, peritia vel facultas maxima obtingit. Sic Olymp. VIII, 34. καὶ explicaverim: etenim, scilicet. v. Pyth. I, 21. cf. de hac vocis καὶ vi T. Hemsterh. ad Lucian. somn. 7. T. I. Reitz. ad eund. p. 67. T. II. Fischer. ad Platon. Apolog. Socrat. I, p. 70. Graev. lect. Hesiod. VII, v. 328. — Quibus verbis generaliter positis poeta explicat, unde factum sit, ut tam magnam Rhodii gloriam adepti sint, quippe quia in artibus excelluerint; simulque diluere vult falsas eorum vel opiniones vel obtrectationes, qui dicerent, Rhodios, cum admirandae et paene incredibilis artis opera efficerent, praestigias quasdam et fraudes adhibuisse ad homines artificiosa illa opera spectantes fallendos ac deludendos, adeo ut vivas esse animantium et incedentium imagines illi existimarent. Solet

autem Pindarus aliorum obtrectationes vel falsas narrationes diluere ac refutare, v. Olymp. I, 82. hominumque errores arguere, quasi cum adversario agat, v. Olymp. II, 156. IX, 57. sq. 153. sq. Isthm. II, 10. Pyth. XI, 63.

Vers. 152. Ὅ, τ' ἐν Ἄργει χαλκὸς ἔ-
γνω μὶν· τά τ' ἐν Ἀρκαδίᾳ
Ἔργα καὶ Θήβαις.

Ἔγνω χαλκὸς μὶν ut Olymp. VI, 163. ex inversione dictum est pro: expertus est χαλκὸν, vel: in eo se exercuit; ut nostrum: *kennen* pro: *erfahren haben* adhibetur, Latinorum *nosse*, v. Bentl. ad Horat. Carm. II, 1, 34. *ignara belli*, quae bellum haud experta sunt, *flumina*. Simili modo ἰδεῖν adhibetur pro *experiri* ap. Aeschyl. ἑπ. ἐπ. Θηβ. 884. εἰδέναι ap. Sophocl. Antigon. 301. et ὁρᾶν, προσιδεῖν et κατιδεῖν pro *experiri*, *sentire*, ap. Aeschyl. Prom. 184. ἑπ. ἐπ. Θηβ. 556. Choephor. 302. Sophocl. Philoct. 854. *Noscere* ap. Propert. I, 5, 4. 6, 1. 9, 20. II, 22, 30. III, 13, 39. *discere* I, 5, 20, I, 12, 13. ubi cf. Burm. II, 8, 29. 22, 8. Hinc Propertio I, 1, 12. vetus lectio restituenda est: Ibat et hirsutas ille *videre* feras, pro quo vulgo male legitur *ferire*, id quod propter *fer* in *feras* admitti non potest.

Ἔργα v. 154. sunt ipsa certamina. Olymp. VIII, 82. X, 27, 75. XIII. 54. Pyth. VIII, 116. IX, 163. Nem. I, 9. VIII, 83. Isthm. I, 36.

Carm. VIII. v. 10. Ἄννεται δὲ πρὸς χάριν εὐ-
σεβέων ἀνδρῶν λιταῖς.

Ἄνεται (sic enim legendum) πρὸς χάριν i. e. ἀνύεται εἰς χάριν (sc. ὁδός) est: pervenitur ad decus s. victoriam, comparatur victoria, consequuntur eam Iamidarum, piorum virorum, precibus. Ἀνύειν vel, ut posteriores, hoc est, prosae orationis scripto-

res dicebant (v. Eustath. ad Homer. Il. υ, 450.) ἀνύτειν s. ἀνύττειν εἴς τι, sc. ὁδὸν, de qua ellipsi cf. L. Bos. observat. critic. p. 45. Markl. ad Eurip. Suppl. 1142.) ut κραίνειν et τελεῖν absolute usurpantur (v. Markl. ibid.), est: aliquid consequi, adipisci, vel habere aliquid, ut ap. Aeschin. in dialog. περὶ θανάτου §. 15. obtinere, impetrare; Hesiod. ἔργ. 395. etiam in activa forma, non solum in media, quod Brunckius contendit ad Aristoph. Plut. 196. et Euripid. Bacch. 131. v. Toup. ad Theocrit. XVIII, 17. Tunc omissa praepositione εἰς vel πρὸς cum solo accusativo denotat *lucrari*, *consequi*, ut ap. Eurip. Hecub. 1153. Sophocl. Philoct. 715. v. cl. Iacobs. Animadv. in Eurip. Tragoed. p. 15. — Huius verbi antiquior forma est ἄνω, quae invenitur ap. Homer. Odyss. III. 496. II, 58. Iliad. X, 251. ἄνεσθαι significatione neutrali, quae dicitur, occurrit etiam apud Apollon. Rhod. II. νέον ἤματος ἀνομένοιο, ut ἔτει ἀνομένῳ ap. Herodot. VII, 20. Reperitur quoque κατάνομαι significatione passiva Odyss. II, 58: τὰ δὲ πολλὰ κατάνεται: perficiuntur, conficiuntur h. e. consumuntur. Quocirca ἄνεται a Pindaro, quamvis aliquanto insolentius, passive et impersonaliter esse positum, non dubitaverim.

Vers. 37. Ὁδ' ἐπαντέλλων χρόνος
Τοῦτο πράσσων μὴ κάμοι

Tempus hanc rem ipsis semper ex voto conficiat; votis ipsorum semper eventus respondeat. Sic πράσσειν adhibetur ap. Homer. Odyss. III, 60. Olymp. XIII, 150. Et in reciproca significatione est: sibi felicitatem comparare, v. Pyth. III, 205. IV, 433. VIII, 72.

V. 90. Ἐν τέτρασιν παίδων ἀπεθήκατο γυίοις
Νόστον ἔχθιστον καὶ ἀτιμοτέραν
Γλῶσσαν.

Qui reditum post victoriam ereptam tristem et invisum

a se ipso reponendo s. amovendo (ἀπεθήκατο reciproca, quae dicitur, significatione) in quatuor eorum, quibuscum certavit, puerorum membris collocavit, h. e. quatuor pueris, quibuscum in certamen descenderat, reditum effecit invisum et quaecunque victis contingere solent, ut infamiam, ut alia eiusdem generis. (γλῶσσαν ἀτιμοτέραν equidem sic intelligo, ut γλῶσσα significentur aliorum hominum sermones ac rumores, ut Pyth. IV, 504. κακὰν γλῶσσαν; ἀτιμοτέραν est pro ἄτιμον Comparativo pro Positivo posito, v. Fischer. animadv. in Weller. Gram. graec. Specim. III. P. I. p. 326. sq. Ἄτιμος γλῶσσα, ut ap. Sophocl. Oedip. Tyr. 885. Δίκας ἀφόβητος: iustitiam non timens, et ἄψαυστος ἔγχους: sunt rumores non: inhonorati; sed reprehendentes, increpantes, perstringentes; sic enim nonnunquam adiectiva pro participiis adhibentur, v. Musgrav. ad Eurip. Phoeniss. 219.). Τιθέναι enim est ποιῆσαι, efficere. cf. Potter. ad Lycophr. 1176. Kypk. Observv. in N. T. p. 215. Homer. Il. I, 2: οὐλομένην, ἣ μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε. Igitur ἀπεθήκατο simpliciter explicari potest: reditum invisum illum a se ipse amovendo s. reponendo *effecit* pueris; ut ἐν redundet, quo nil crebrius est apud poetas: v. Sophocl. Antigon. 764. Trachin. 746. 241. Hom. Il. I, 587. cf. Brunck. in Ind. ad Sophocl. et ad Apollon. Rhod. IV, 1619. id quod Latini quoque imitati sunt. cf. Drakenb. ad Liv. I, 52. T. I. p. 220. Vel, si propriam vocis ἀπεθήκατο vim ac potestatem retinere volueris, ut denotet: reposuit a se atque *imposuit* pueris (quemadmodum τίθεσθαι usurpatur, inprimis voci ὄνομα connexum, v. Abresch. Diluc. Thucyd. p. 829.), habes hic quoque, quo ex graecae linguae ingenio hanc confirmes loquendi rationem. Ἐν enim positum est pro εἰς cum accusativo; quod etiam apud

prosae scriptores orationis reperitur. v. Duker. et Hudson, ad Thucyd. VII, 17. et apud Latinos. v. Oort. ad Cicer. Epist. III, 8. 8. Oudendorp. ad Caes. II, 32, 2. Heusing. ad Cicer. Offic. II, 18. §. 3. — Contra παρὰ et πρὸς cum Accusativo sine motus significatione usurpantur. v. Hymn. Homer. in Cerer. 128. Eurip. Ion. 926. cf. Brunk. ad Aeschyl. Prometh. 348. Apollon. Rhod. II, 496. Huc accedit, quod τιθέναι, imagine a rationibus ponendis inque tabulas referendis desumta (v. Interpp. ad Theophr. Charact. C. XVIII. XXIII. ex quo τιθέναι est assignare, tribuere, zuschreiben, anrechnen. v. Budaei Comment. gr. ling. Viger. de gr. dict. idiotism. V. S. XI. §. 8.) v. Sophocl. Philoct. ποῦ χρὴ τίθεσθαι ταῦτα. semper fere cum ἐν et dativo construitur, ut ἐν καλῷ τιθέναι s. τίθεσθαι, ἐν ψόγῳ ἐν αἰσχύνῃ (zum Schimpf anrechnen) ut alia complura.

Malim tamen verba: ἐν τέτρασιν παίδων ἀπεθήκατο γυίοις νόστον ἔχθιστον per inversionem ita intelligere, ut dicta sint pro: ἐκάθιζε τοὺς παῖδας εἰς νόστον ἔχθιστον, h. e., affecit pueros reditu inviso s. tristi. v. ad Carm. X, 46. Compositum pro simplici positum accipio.

Carm. IX. v. 18. Οὔ-
τοι χαμαιπετέων λόγων ἐφάψῃ.

Ἐφάψῃ, attinges haud ignobiles laudes i. e. carmina aggredieris s. facies nobilissima, summae laudis ac gloriae. Ἐφάπτεσθαι latinorum est *attingere, aggredi* (v. Cicer. Clav. Ernest.) ἐπιχειρῆσαι vel ἐπιμελεῖσθαι, studere, studium alicuius rei suscipere. v. Plutarch. de audiend. poet. c. 2. Auct. de educand. puer. XX. §. 7. Aristot. Poetic. XXIII. §. 2. Pyth. III, 53. Homer. Odyss. II, 423. — Fieri potest, ut in vocibus ἐφάψῃ et χαμαιπετέων poeta ὀϊστὸν, quem haud in terram casurum, sed metam vel scopum assecuturum esse augura-

tur, respexerit; quamquam in aliis locis χαμαιπε-τής ita usurpatum reperitur, ut e proverbiali loquendi ratione ductum esse et *irritus*, *vanus* significare videatur, v. Heyn. ad h. l. Attamen etiam ibi potius denotare mihi videtur: *spretus*, *contemtus*; quippe imagine a rebus desumta, quas in terram decidere sinimus, vel quae in terram deciderunt quasque, propter contemtum ibi patimur iacere. Sic *proiicere* et *iacere* etiam apud latinos contemtus habent significationem. Isocrat. in Panath. init. καταβεβλήμενος. Alciphr. Epist. I, 6. ἀπερῥιμμένη. Ex quo *proiecta* dicuntur, quae sine cura; neglectim et cum contemtu iacent. Cicer. de divinat. I, 27. II, 69. Varr. de ling. latin. IV, 5. Plaut. Cist. I, 2, 5.; et vilia, humilia, Liv. II, 27. Tacit. Annal. III, 65.

Vers. 36. Καὶ ναὸς ὑποπτέρου κ. τ. λ.

Ναῦς ὑπόπτερος navis est remis vel velis instructa; utrumque enim πτερὰ significat; (in universum denotat id, quod procurrit ultra reliquum corpus, ut alae in avibus. cf. Salmas. ad Tertull. de pallio p. 58. sq. Hesych. v. πτέρυγες. Markl. ad Eurip. Iphigen. in Aulid. 120.) vel alata, i. e., velox.

Vers. 79. Κείνων δ᾽ ἔσσαν
Χαλκάσπιδες ὑμέτεροι πρόγονοι
Ἀρχᾶθεν Ἰαπετιονίδας
Φύτλας κοῦροι κορᾶν τε Φερ-
τάτων Κρονιδᾶν, ἐγ-
χώριοι βασιλῆες αἰεί,

Ex illis (Deucalione et Pyrrha) prognati sunt maiores vestri, qui primam generis sui originem (ἀρχᾶθεν) ducunt ab Iapeto (φύτλα Ἰαπετιονίς est ipse Iapetus), cuius uxor fuit vel *Themis* secundum nonnullos (v. Munker. ad Hygin. p. 9.); quae quidem, quia plures partus ex Iove edidit, in iis Horas et Parcas, v. He-

siod. Theogon. 135. 901. sq. Pindar. ap. Clem. Alexandr. Strom. 6. et eius πάρεδρος fuit: v. Hesiod. Theogon. 901. recte dici potest κόρα τοῦ Φερτάτου Κρονιδᾶν; lego enim pro κορᾶν τε Φερτάτων Κρονιδᾶν: κόρας τε Φερτάτω Κρονιδᾶν); vel secundum Schol. Aeschyl. Prom. 347. Apollodor. I, 1, 3. *Clymene*, quae Oceani (Φερτάτω κρονιδᾶν, utpote patris deorum hominumque; v. Homer. Iliad. ξ, 302. Sext. Empir. adv. Mathem. X, 314.) fuit filia ex Thetide. v. Hesiod. Theog. 351. et Atlantem, Prometheum et Epimetheum progenuit: v. Hesiod. Theog. 507. κόρα *illa* Φερτάτου Κρονιδῶν esse quoque potest *Asia*, quae, ut *Clymene*, Oceani ex Thetide filia, et mater Promethei, Epimethei, Atlantis ac Menoetii traditur fuisse. v. Hesiod. Theog. 359. Apollodor. I, 2, 3. Tzez. ad Lycophr. 1283. Regum autem ex Iapeti stirpe series ex meo sensu, si quid video in his tenebris, sic videtur constituenda esse:

Iapetus
ux. *Themis* vel *Clymene* vel *Asia*

Prometheus ux. Asia — *Epimetheus* (Hesiod. ϑ. 508.) — Atlas — Menoetius

Deucalion ux. Pyrrha — Pyrrha

Hellen — *Amphictyon*, filius Deucalionis secundum Apollodor. I, 7, 2. III, 14, 6.

Locrus, secundum Scholiast. Amphictyonis filius.
coni. *Protogenia*, Opuntis, Epeorum regis, filia, quae ex Iove gravida facta filium, ex avo Opuntem dictum, peperit.

Igitur Opunte, Deucalionis et Pyrrhae sede, Epharmosti maiores, ab Iapeto et Oceani filia vel Themide

genus ducentes: Prometheus, Deucalion et eius filius Amphictyon regnarunt. Postea autem, post hanc eius generis stirpem, Protogenia, Locri coniux, filium ex Iove concepit Opuntem. Πρὶν igitur recte se habet: priusquam Iupiter Protogeniam gravidam fecerat, h. e. ante Opuntem, Protogeniae ex Iove filium, a quo nova quasi stirps exorta est. Ex quo apparet, recte Pindarum ab Opunte, quem adoptavit Locrus, novam regum Opuntis stirpem vel seriem statuisse. Qua quidem explicatione posita nil est, in quo amplius haerere possimus. In κοῦροι poeta fortasse respexit utrosque Iapeti filios; Prometheum et Epimetheum; in: κεινῶν δ' ἔσσαν autem inprimis Amphictyonem. Apte autem adiectum ἐγχώριοι, indigenae Opuntis reges; erant enim non ἐπείσακτοι, quippe qui uno ordine, ex una gente Iapeti sibi succedentes (αἰεὶ) regnaverint; successione ex gente non interrupta usque ad Opuntem, qui non oriundus e gente Iapeti, filius fuit Iovis et Protogeniae; quem quidem Locrus, ne prole orbus esset, adoptavit. Hic igitur ἐπείσακτος, οὐκ ἐγχώριος fuit. Optime igitur distinxit Pindarus reges illos ἐγχωρίους ab Opuntis stirpe.

Vers. 158. Ἐντὶ γὰρ ἄλλαι
Ὁδῶν ὁδοὶ περαίτεραι.
Μία δ' οὐχ ἅπαντας ἄμμε θρέψει
Μελέτα. σοφίαι μὲν αἰπει-
ναί.

Sensum sic constituo: Sunt quidem (vel sane, profecto) aliae viae, quae ad gloriam nos ducant (περαίτεραι est περαίνουσαι, ἄγουσαι ἡμᾶς (v. nos supra ad Carm. VIII. v. 90.) πρὸς κλέος; id enim colligere licet ex antecedenti: οὐ σεσιγαμένον, et sequentibus: θρέψει, αἰπειναί); minime enim fieri potest, ut nos omnes una res, unum idemque studium illustret

Attamen nil altius est poesi; haec ad summam nos gloriam et laudem ducit. σοφία est poesis, ut σοφοὶ poetae, nota res.

Carm. X. v. 13. Νῦν, ψᾶφον ἑλισσομέναν
"Οπα κῦμα κατα-
κλύσσει ῥέον.

Sensus est: iam vide, quonam cantus undique a rerum, quas canere potes, copia quasi agitatus et propulsus perventurus sit, in quo haerebit, quo consistet. Plurimam enim ipsa urbs, salute et laude bellica poëticaque florentissima illa, canendi tibi suppeditat copiam. Sublimis imago et comparatio carminis cum calculo a fluctibus huc et illuc propulso et agitato.

Vers. 27. "Απονον δ' ἔλαβον χάρμα παῦροί τινες.
"Εργον πρὸ πάντων βιότῳ φάος.

Nil locus impediti habet; sententia plana soleque clarior: „Nil autem est certaminibus superius ac sublimius; certamina vitae sunt lumen ac decus." Hoc more suo poeta ita extulit, ut aliud idque generale enuntiatum praemiserit, quo viam quasi sibi faceret ad primariam sententiam.

V. 46. Βαθὺν εἰς ὀχετὸν ἄτας ἵζοισαν ἑὰν πόλιν.

"Ιζοισαν est καθιζομένην s. καταθεμένην, καθημένην. ἵζειν enim vel καθίζειν, ut διατιθέναι (v. Hemsterh. ad Lucian. Nigrin. T. I. p. 81. Wesseling. ad Diod. Sicul. I. p. 99.) est: alicuius vel corpus, vel animum afficere, statum alicuius commutare: in eine Lage oder Beschaffenheit versetzen; hinc *facere, reddere*. v. Ernest. in Callim. Hymn. in Cerer. 114. Hemsterh. ad Aristoph. Plutum p. 288. b. Sic καθίζειν ap. Xenoph. Cyrop. II, 2, 7. Memor. Socrat. II, 1, 21. Sympos. III, 11. κλαίοντας καθίζειν; idem fere, quod Agesil. XI. §. 6. διατιθέναι. Ex quo Pindarus Pyth. XI, 56. dicit: θῆκέ τ' "Αι-

-γισθον ἐν φοναῖς. h. e. ἐκάθιζε Αἴγισθον εἰς φόνον i. e. θάνατον: Aegisthum morte affecit. Sic quoque intelligendum est Theocriteum illud ἐπὶ ξηροῖσι καθίζειν (Idyll. I, 51.) in sicco deponere h. e. bonis spoliare; cui admodum simile est ἐπ' οὔδει καθίσσαι in Hymn. Homer. in Mercur. III, 284. —

V. 46. βαθὺν εἰς ὀχετὸν ἄτας dictum est ex solemni apud poetas infortunii ac calamitatis cum fluctibus comparatione. v. Aeschyl. Prometh. 87. ἑπ. ἐπὶ Θηβ. 1080. Sophocl. Aia. 353. Eurip. Orest. 342. Nonnus p. 166. Olymp. XIII, 163.

Vers. 98. Ὀρσικτύπου Διός γ' ἐν ἅπαντι κράτει
Αἴθωνα κεραυνὸν ἀραρότα.

Ἀραρότα cum: ἐν ἅπαντι κράτει connectendum est; ἐν redundat; κράτει sc. χειρὸς (id quod facile propter ἀραρότα intelligi potest; usitatissima praeterea vocis χεὶρ ellipsis est. v. Fischer. Animadv. ad Weller. Gr. gr. Sp. III. P. I. p. 264.) est κρατερᾷ χειρὶ vel χερὸς ἀλκᾷ (Olymp. X, 121.) vel σθένει (Nem. X, 99.); sic ὑπὸ κρατερᾶν χερῶν dicitur Pyth. XI, 27. — Ἀραρότα est aptatum fortissimis eius manibus (ἅπαντι enim est μεγίστῳ. v. Hoogev. ad Viger. de gr. dict. idiotism. C. III. S. X. p. 139. et quae adnotavimus ad Pyth. VI, 26.) i. e. fulmen, quod tenet, vibrat summa vi, ut antecedens pro consequenti positum sit, sicuti apud Homerum in similibus loquendi generibus: ἔν τ' ἄρα οἱ φῦ χειρί al. eodem modo consequens pro antecedenti ponitur; et apud Sophocl. Oedip. Colon. 1488: τί δ' ἂν τὸ πιστὸν ἐμφῦναι φρενί τὸ ἐμφῦναι dictum est pro ἐμβάλλειν. Eodem prorsus modo Homerus illam vocem adhibuit, Iliad. III, 338: Εἵλετο δ' ἄλκιμον ἔγχος, ὅ οἱ παλάμηφιν ἀρήρει. et Iliad. XVI, 139: Εἵλετο δ' ἄλκιμα δοῦρα, τὰ οἱ παλάμηφιν ἀρήρει. de hasta, quae mensurae manus congruebat, quae manui eius

aptata

aptata erat, pro consequenti; quam facile vibrabat — Hermanni interpretatio parum probanda mihi videtur.

Carm. XI. v. 4. Εἰ δὲ σὺν πόνῳ τις εὖ πράσσει, μελι-
γάρυες ὕμνοι,
Ὑςέρων ἀρχαὶ λόγων, τέλλεται,
Καὶ πιςὸν ὅρκιον μεγάλαις ἀρεταῖς..

Sic hos versus cum Hermanno distinguo: verbum enim singulare cum pluralibus mascul. et foemininis construi, satis probavit egregius ille vir ad Olymp. VIII, 10. cf. Fischer. animadvv. ad Weller. Gr. graec. Spec. III, P. I. p. 345. sq. —

Hymni τέλλεται i. e. exoriuntur quasi stellae. Sic Pyth. IV, 457: τόθι γὰρ γένος Εὐφάμου φυτευθὲν λοιπὸν αἰεὶ Τέλλετο. Cum stellis enim pulchritudo (v. Platon. Epigr. in Brunck. Analect. T. I. p. 173. Barth. ad Claudian. p. 522.) et quodvis decus vel pulchritudinis vel virtutum comparatur. v. Burm. S. ad Antholog. Lat. T. I. p. 669. Heinrich. ad Musaeum 22. p. 46. Pindar. Olymp. II, 101. ἀςὴρ ἀρίζηλος, ἀλαθινὸν ἀνδρὶ φέγγος. Eodem modo usurpatur φάος. Isthm. II, 25. Ἀκραγαντίνων φάος. Nem. III, 148. δέδορκεν φάος. Pyth. III, 135. Olymp. X, 27. βιότω. IV, 16. sed latiori interdum significatu, ut lucem, voluptatem, salutem ac felicitatem denotet; v. Aeschyl. Agamemn. 22. 23. 94. Pers. 298. sq. Sophocl. Electr. 1224. 1554. Antigon. 600. Trachin. 203. 204. Eurip. Hecub. 831. Orest. 243. Med. 484. Horat. Carm. IV, 5. 5. Etiam αἴγλα in nobilissimo illo loco Pyth. VIII, 136. φεγγος ibid. 138. Nem. III, 112. IV, 21. IX, 100. ἀκτὶς ἀγώνων πολυφάτων Pyth. IV, 71. 352. ἀκτῖνας ὄλβου δέξατο ἆμαρ IV, 454. XI, 72. καλῶν ἐργμάτων Isthm. IV, 71. λάμπειν et ἐπιφλέγειν Pyth. XI, 69. Olymp. IX, 34. Isthm. I, 30. IV, 40. — Quo elegantissimo sensu adhibetur quoque τέλλειν

ap. Eurip. Orest. 842. Aeschyl. Agamemn. 26. et *exoriri* ap. Cicer. de natur. deor. I, 28. in elegantissimis illis versibus: 'Constiteram *exorientem* auroram forte salutans, Cum subito a laeva Roscius *exoritur*. et Plin. Panegyr. VIII, 3. *imperatoris exortum*, ubi cf. Gierigii, egregii interpretis, notam. Simile est illud Sophoclis in Oedip. Tyrann. 474: ἔλαμψε γὰρ τοῦ νιφόεντος ἀρτίως φανεῖσα φάμα Παρνασοῦ. Eodem sensu ἐξικέσθαι usurpavit Pindarus Pyth. III, 136: τηλαυγέστερον κείνῳ φάος ἐξικόμαν βαθὺν πόντον περάσαις: pro ἐφάνην vel ἐτελλόμην, quasi stella e mari progrediens, exoriens; βαθὺν πόντον περάσαις magnifice dictum, quasi de sole!

Vers. 71 sq. Ἀφθόνατος δ' αἶνος Ὀλυμπιονίκαις
Οὗτος ἄγκειται· τὰ μὲν ἁμετέρα
Γλῶσσα ποιμαίνειν ἐθέλει.

Ἀφθόνατος est vel: cui invideri non potest, quem nulla hominum invidia laedere ac diruere potest, v. Schol. (Igitur ἄφθιτος, ἀθάνατος quasi θησαυρός. v. Pyth. VI, 8. sq. vel monumentum Nem. IV, 131. Nem. V. init. Nota veterum sententia, pulchra atque praeclara vel hominum vel fortunae obnoxia invidiae esse. v. Olymp. VI, 124. Pyth. VII, 119. cf. quae notavimus ad Olymp. II, 173.) — vel: χωρὶς φθόνου διδόμενος: largiter tributus, vel etiam, cui nil invidimus, largiter omnibus, quae ornamento ei sunt atque decori, instructus, i. q. *magnificus*, *praeclarus*; ut ἀφθόνατος idem fere sit, quod ἄφθονος: copiosus, largus, ingens, praeclarus, quasi οὐ φθονούμενος, sicuti Olymp. XIII, 35. est οὐ φθονῶν h. e. propitius, placidus, de Iove. Ἄφθονος usitatissimam eam habere significationem, ut largus, copiosus, al. denotet, vix est, ut moneamus. Ἄγκειται est: ponitur, erigitur; ex consequenti enim capiendum est, quem-

admodum dicitur ἀνδριὰς ἀνάκειται. Pindarus autem saepius carmina statuis vel monumentis, quae eriguntur, comparat. v. Olymp. VI, init. VII, 38. III, 5. Isthm. I, 64. Nem. XI, 5. Quod Latini poetae imitati sunt: v. Horat. Carm. III, 30, 1. sq. Propert. III, 1, 56. sq. Ovid. Metam. XV, 871. sq.

Τὰ μὲν indefinitum ad antecedentia, victoriam puta, referendum est. Sensus est: cuius quidem rei (carminum in victorum laudem ac gloriam componendorum) curam habere, quod munus in se recipere lingua nostra cupit (ποιμαίνειν enim est regere, curam habere. v. Abresch. Animadv. ad Aeschyl. III. p. 9.); idque haud sine deorum beneficio ac munere mihi tributum est, quippe qui poeta sim, cuius ingenium non nisi deorum ope excitatur et floret.

Carm. XIII. v. 58. μακρότεραι
Τέρψιες θ' ἕψοντ' ἐρίτι-
μοί τ' ἀοιδαί.

Μακρότεραι, longiores proprie, sunt perenniores vel diuturnae. Herodot. I, 19. Pyth. XI, 79. Eodem modo Latinorum *longus* usurpatur pro: aeternus, perennis, Horat. III, 4, 2. III, 11, 38. I, 24, 5. Epist. I, 3, 8. cf. N. Heins. et Burm. ad Ovid. Amor. I, 6, 25.

Vers. 63. Δηρίομαι πολέσιν
Περὶ πλήθει καλῶν. ὡς μὰν σαφὲς
Οὐκ ἂν εἰδείην λέγειν
Ποντιᾶν ψάφων ἀριθμόν.

Sensus est: contenderim (tanquam pretio proposito) cum multis de victoriarum multitudine, me non magis, quam arenae numerum marinae, enumerare eas posse, h. e. victorias, quas Xenocratis familia reportaverit, omnino recenseri non posse, quippe arenae in littore vel mari copiae (v. Pyth. IX, 84. Olymp. I, fin. Iliad. ι,

385. Herodot. I, 46. in oracul. Virgil. Georg. II, 104. et centena alia) conferendas." — Quae postrema, generaliter enuntianda, more suo ad se transtulit poeta. ὡς μὰν est γάρ; sententia autem intermedia omissa est: victoriae enim arenae vel lapillorum marinorum numero non cedunt: at qui fieri possit, ut quis lapillorum multitudinem certo recenseat s. eloquatur?

Vers. 132. Τὸν δ' ἐν Οὐλύμπῳ φάτναι
Ζηνὸς ἀρχεῖαι δέχονται.

Praesepiae dicuntur ἀρχεῖαι, regiae; num magnificae, splendidae, vel aureae, quandoquidem apud poetas, quaecunque deorum sunt, aurea finguntur? Regius certe animus dicitur a magnificentia et liberalitate, etiam ab altitudine. cf. H. Stephan. Schediasm. IV, 7. et regia felicitas pro summa ponitur, v. Nem. IV, 136: Ὕμνος δὲ τῶν ἀγαθῶν Ἐργμάτων βασιλεῦσιν ἰσοδαίμονα τεύχει φῶτα. Alia lectio comparet apud Scholiast. et in Codd. nonnullis: ἀρχαῖαι: antiquae, vetustae praesepiae; num nobiles, praestantes, antiquo quasi flore splendidae? Quo quidem significatu Latinorum *antiquus* adhibetur. v. Cicer. Offic. I, 39. Virgil. Aen. I, 12. 375. 531. II, 363. v. Ruperti ad Sil. Italic. I, 4. Propert. *vetus* regnum Hippodamiae I, 8, 35. Quoniam autem antiquissima quaeque maxime reveremur atque veneramur (ex quo dicitur πρεσβεύειν: *nihil prius, nihil antiquius habere*, vel maxime colere. v. Pollux II, 12. Interpp. ad Thom. Mag. p. 737. Krebs. ad Plutarch. de aud. poet. c. 12.), *antiqua* sunt saepius praestantissima, eximia. cf. Gierig. not. ad Plin. Panegyr. XCV, 1. p. 280. Ita fit, ut mores *antiqui*, homines *antiqui* vel *prisci* et *antiquum* officium semper in laude ponantur. cf. Lambin. ad Horat. Sermon. II, 7, 23. p. 183. ed. Francof. *Antiqua* autem etiam ea dicuntur, quae deserta iacent, quae non amplius colun-

tur, pristino suo splendore destituta; sic *antiqua* templa Horat. Satir. II, 2, 104. quae antea in more fuerunt (ut deus *antiquo artificio* factus ap. Cicer. Verr. Act. I, 5. duritia tua Terent. Heaut. III, 1, 26. *prisoi*, *antiqui* mores. v. supr.) vel iam praeterita, sine honoris cuiusdam significatione, vormahlig; ut antiquum saxum. Virgil. Aen. XII, 897. hyemes antiquae Ovid. Trist. III, 12, 3. vulnus Ovid. Pont. I, 5, 37. — Haec uberius exposuimus, ut Propertii locum unum omnium pulcherrimum luce illustraremus sua. Elegiar. I, 19, 7. de Protesilao dicitur: Illic (*Sic et* malim) Phylacides iucundae coniugis heros Non potuit coccis immemor esse locis; Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis Thessalis *antiquam* venerat umbra *domum*. *antiqua* domus eleganter ibi dicitur olim culta, frequentata (ut *antiqua* templa ap. Horatium l. l.), iam deserta, pristino suo flore atque splendore destituta, quippe cum Protesilaus perierit, lux et praesidium domus suae atque coniugis: *er kam in die verödete Wohnung. Antiqua* igitur est i. q. ἐρήμη, κενὴ (v. Sophocl. Trachin. 905. Aia. 987. et ἔρωτες ἀνὰ δώματα κενὸι dicuntur Bioni in Adon. Epitaph. 59. quippe destituti Veneris marito) significatione pristini floris ac splendoris adiuncta. Quem quidem pulcherrimum eumque convenientissimum sensum cum vox *antiquam* fundat, quis est, qui emendatione eam aliqua indigere putet? Haec adducunt animum meum, ut etiam ingeniosam illam, quam *Iacobsius* meus, vir in arte critica unus omnium cum laude versatissimus, in epistola *Observationibus* meis *in Propertium* adiecta p. XXIII. proposuit, et more suo, id est, docte atque eleganter illustravit, coniecturam: *affectam*, putem reiiciendam esse.

Vers. 136. Μοίσαις γὰρ ἀγλαοθρόνοις ἑκὼν κ. τ. λ. ἑκὼν est facile obsequens Musis, eorum iussis et hor-

II.

Frid. Aug. Wolfii, Prof. Halens., in locos quosdam Ciceronis, Horatii et Platonis animadversiones, in catall. quibusdam lectt. Halenss. prolusionis loco exhibitae.

Cicero I. de Divinat. c. 9. §. 15. *Videmus haec signa nunquam fere ementientia: nec tamen, cur ita fiat, videmus.* In his Ernest., ejecto voc. *ita*, leg. conjicit, *cur fiat, videmus.* Quod adeo non assentimur Viro D., ut, si id verbum vulgo defuisset, aliquid ad perfectam orationis formam requireremus. Nam quum Latini dicunt, *ita fit*, subaudiri solet *res;* non item, quum nude dicunt *fit.* Hoc autem loco posterior modus eo est minus aptus, quod plurale nomen antecedit. Quodsi in cod. aliquo legitur, *curva videmus*, vitium est simile eius, quo depravatur Tusc. Disp. I, 39. ubi scrib. *pro rata parte, ita longa aut brevia dicuntur;* deletis istis, *a vita*, quae *ita* male repetitum peperit.

C. 17. § 33. idem ille praeteritum verbi perfecti praefert, *negaverant.* Sed haec ad Gracchum prius nunciantem relatio si placuisset scriptori, eam profecto parum perspicue hoc uno huius temporis usu significasse putandus esset. Neque vero hac relatione hoc in loco erat opus. At simpliciter narranti melius convenit aoristus, *negaverunt.* C. 20. § 40. *Dionysii matri interpretes portentorum responderunt (ut ait Philistus,) eum, quem illa peperisset, clarissimum Graeciae diuturna cum fortuna fore.* Haec quoque omnia

recta putamus esse. Etsi enim his extremis continetur responsum, a vatibus *ipsi mulieri* datum, id responsum tamen quum a Cicerone suis verbis referatur, ratio mutatur loquendi; nec ut pro *illa* scribatur *ipsa*, ulla causa est. Cuius generis exemplorum superat copia apud eos scriptores, qui saepius obliquo tenore narrationis utuntur. Paullo mox *Fabulas* intelligimus narrationes, e prisca populorum aetate proditas, non dramata.

C. 9. § 15. *Quis est, qui ranunculos hoc videre suspicari possit? Sed inest in rivis et ranunculis natura quaedam significans etc.* Huius lectionis quae una parata est defensio, ut, quia ranunculi in *rivis* plurimum degant, propterea vis divinandi etiam *loco*, non modo *bestiolis* tribui dicatur; ea defensio nemini, qui pedestris orationis, praesertim Ciceronianae naturam norit, placere ullo mode poterit. In codd. plerisque legitur, *inest mire et ranunculis;* in aliis, *inest in renis;* in uno vulgatum, *inest in rivis.* Ex quibus omnibus exsculpserunt alii, *inest in re vis;* alii, *inest vere;* Ernest. *iuest nimirum;* melius hoc sane et Ciceronis mori aptius, si modo hac in ratione *et* servari posset. Verum exquisitius quiddam in ista varietate librorum latere apparet; ac nobis ne dubitandum quidem videtur, quin vera Ciceronis manus haec sit, *inest in gyrinis et ranunculis.* Nimirum ad hoc vocabulum, librariis minus tritum, quo *partus ranae adhuc imperfectus* significatur, Cicero deductus videri debet ab Arato Diosem. v. 215. quippe cuius poetae versus, isto ipso priores, hucusque Latine expresserat. Is enim, Ἀυτόθεν, inquit, ἐξ ὕδατος πατέρες βοόωσι γυρίνων. Neque haec lectio tautologiae alicuius vitium habet. Nam ranulae non magis a ranis differunt, quam a ranulis gyrini, quos Plinius quoque appellat H. N. IX, 51. Iam

simul particula, quae sequitur, servari propria significatione sua potest, quam non temere migrans, Cicero rarissime *et* pro *etiam* ponit: quod, quamvis iam a Valla notatum, Ciceroniani, qui nunc videri volunt, nondum scire videntur. (Contra illam emend. disputauit Hotting. ad Cic. locum).

C. 28. §. 59. *ad lucem denique arcte et graviter dormitare coepisse. Itaque, quamquam iter instaret, te tamen silentium fieri iussisse, neque esse passum te excitari.* Horum verborum priori parti detractum esse patet pronomen ante voces, *dormitare coepisse.* Tali enim in iunctura omissum pronomen in poeta fortasse ferri potest; in prosaico scriptore, insolentiora quaeque ellipseos genera vitante, non potest. Gravius autem illud, quod sequitur; *Itaque — excitari.* Num ergo aliquid iussisse putemus Ciceronem eo tempore, quo tempore devinctus arcto gravique somno iaceret? — An forte, strepitu nescio quo excitatus, illud iussit? ut nimia lassitudine victi solemus interdum maximarum rerum, quae animum occupabant, oblivisci. Verum si ita res fuisset, male optimus auctor et praeter consuetudinem suam narrasset ambigue, nisi de ea re ne verbo quidem monuisset. An tandem silentium imperavit prius, quam ad dormiendum sese composuisset? — At iter instabat, in quod ille prima luce se daturus erat, et cuius ipsius causa sine dubio noctem vigilaverat. Denique ista videte nobis, *te passum non esse te excitari!* Quis ita loquatur, bonum loquendi usum tenens, *passum non esse*, de domino, qui *imperare, iubere, vetare* possit? Nempe id, quod nunc invitis et sermonis et narrationis et verisimilitudinis legibus tribuitur domino, servo est tribuendum; ut is, illo dormiente, iis, qui adessent, silentium imposuisse

narretur, neque passus esse dominum excitari. Scribendum igitur: *Ad lucem denique arcTE TE et graviter dormitare coepisse. Itaque, quamquam iter instaret, SE tamen silentium fieri iussisse*, etc. Sic demum mollescit etiam transitus, quem vox *itaque* facit, durum sane atque asperum in vulgata lectione, quoque eam trahere lubeat.

I. Or. Catil. In ipso statim initio sine causa displicet Ernestio sonus verborum, *habendi Senatus locus*. Acre quidem et subtile iudicium aurium magnopere laudamus in illo: at istud superbum est et fastidiosum. Scilicet hanc asperitatem nec Graeci nec Latini unquam vitarunt, ut, qui modo digitis legere velit, multa exempla eius rei congerere queat. Nobis unum forte sub manibus est simillimum, Velleji II, 48. Denique quod reponit ille, *habendi Senatum locus*, eam formam Ciceroni minus esse usitatam constat.

C. 2. *Num unum diem postea L. Saturninum Tribuum pl. et C. Servilium Praetorem mors ac reipubl. poena remorata est?* Hic etiam nos offendit aliquid, sed aliud quam quod illum. Nam quin recte dicatur *poena morari aliquem* seu *remorari unum diem vel plures*, minime dubitamus, adeo ut ne quaerenda quidem eiusdem formae exempla, si qua autem casu se offerunt, ut in toto hoc genere, minoris quam communem analogiam aestimanda putemus. Sicut enim *navigatio nos morari* dr. usitate, quum venti faciunt ut *a navigatione impediamur*; sicut porro *et homines et res* drr. *aliquem differre*, in quo verbo mira est cognatio significationis; ut v. c. bene Latine queraris, instrumentorum penuriam te in aliquo opere plures dies sive *moratam esse* sive *distulisse:* quidni eadem ratione dicatur *mors aliquem morari*, si accidit, ut supplicium indi-

ctum cuipiam diutius exspectandum sit? uti Socratem propter festum Apollinis mors ac poena triginta dies remorata est. In illis autem iunctis, *mors ac poena*, pro *poena capitali*, nemo doctus haeserit. Verum vehementer offendit genit. *reipubl.* Quem in hac iunctura usquam addi negamus, dum locus nobis contrarius ostendatur. Atque in his duabus vocibus vel potius siglis vitium latere putamus. Nihil in codd. saepius confundi constat quam notas, R. P. et P. R. Cf. ad Or. nostrae c. 6. Scrib. ergo; L. Saturninum Trib. pl. et C. Servilium Praetorem P. R. h. e. Populi Rom. quae adiectio frequens est in nomine Praetoris. Ernestii coniecturam Latinam esse vix praestem [1]).

Eod. cap. pulchre Ern. vidit necessitatem verbi *gladium*, omissi etiam in cod. nostro: id unum peccat, quod dicit elegantius adeo scribi potuisse, *in tabulis tamquam in vagina reconditum.* Talis confusio similitudinum non est Ciceroniani saporis; est Lyricorum, et qui istos imitantur, poetarum. *Gladium* h. l. Asconius quoque affert in Orat. Pison. Ceterum quo inoffensior haec comparatio esset, dixit paullo ante, *hebescere aciem Senatus auctoritatis.* Nempe in hoc genere praemunitionis elegans artificium latet optimorum scriptorum.

C. 3. propter prosopopoeiam *coniurationis* praefert *vocem*, numero singulari. Quasi non uni homini Latine tribuamus *voces*. Itaque ut *coniurationem* persona indutam agnoscas, quum ea tamen plures homines complectatur, vel sic optime conveniant *voces*. *Vocem*, ni fallimur, prosae orationis modestiam su-

---

[1]) Correctionem meam nunc video praecepisse Muretum in familiari explanatione Orationis, Opp. Ruhnk. edit. T. II. p. 511. De reliqua loci difficultate ille tacet.

pergreditur. Illud vero et cod. noster habet, et haud dubie legit veteris Declam. auctor (*Porcium Latronem vocant*) c. 15. de domo Leccae: Quae VOCES CONIURATIONIS tutissime continere posset.

Eod. cap. male suspecta facit verba: id quod m. m. est admirandum, et peius etiam damnum resarcit. Nec plus tribuendum ceteris obelis eius, in hac Orat. fixis, ut c. 12. §. 30. et ipso nostro loco mox perperam expunxit *meis* ante *praesidiis*. Res aperta est.

C. 6. *Potestne tibi huius vitae haec lux, aut huius coeli spiritus esse iucundus* etc. Recte in his Graevius delevit additamentum alienum, *huius vitae*. Quo semel in ordinem recepto, sane nihil mirum est, si qui librarii proximum pronomen omiserunt. Id vero, in optimis codd. inventum, fraudem satis prodit. At respondent sibi *huius vitae, huius caeli*. Nempe si ita voluit Cicero, quod ipsum nunc dubitamus. Nam ista Latinitas, *huius vitae lux*, fraterculis dignior videtur, quam Cicerone; neminique credimus, sic veteres unquam locutos esse. Altero autem modo locutos, et eodem quidem sensu, quo Graeci poetae frequentant φάος ἡλίου, innumera exempla vincunt. Unum ex optimis est in Tribunitia concione Liv. IV, 3. *LUCIS nobis HUIUS partem, si liceat, adimant: quod spiratis, quod vocem mittitis, quod formas hominum habetis, indignantur.* Iam dum lepida perit concinnitas, oritur ex periodi crescentibus membris alia venustas, si ubique veneres rimari placet. Tenebimus ergo cod. nostri lectionem, *potestne tibi haec lux* etc.

Eod. cap. non debuit sine nota praetermitti illud, *quod mihi latere valeat in tempore.* Quod et soloecum est tribus de causis, et a bonis libris abest, etiam a nostro. Quare iis assentimur: qui haec omnia de-

lenti; *nihil moliris quod — tempore.* Assutus est pannus ex c. 3. §. 8.

C. 8. idem cod. praebet scripturam unice veram, *dubitas si emori, aequo animo non potes:* i. e. Graevio interprete, *si non potes a te impetrare, ut mortem tibi ipse consciscas.* Vulgatam, *si hic morari aequo a. non potes,* defendit Ern., irrito conatu. *Aequo animo* quidem opus est non solum ad moriendum, sed etiam ad vivendum s. ad vitae molestias fortiter perferendas; et pessime vivit, quem animus aequus deficit. Sed hoc plane abhorret ab huius loci totiusque Orat. mente; quin ipsum verbum *morandi* ineptum et debile esset isti sententiae exprimendae, quam nonnulli hic reperire sibi videntur.

C. 13. verissime antea legebatur cum cod. nostro, *vivis reliquis.* Antiqua sordes, *civibus reliquis,* succrevit e vitio, *civis* pro *vivis.* *Etiamsi* (inquit) *Catilina supplicium subierit, ingravescet tamen periculum, si socii eius in civitate remanebunt,* ζώντων τῶν λοιπῶν. Hanc sententiam poscit Oratoris consilium, et omnis tenor loci. Quod quae intemperiae interpretem egerint ut non videret, ut scripturam nobis reduceret omni cassam sensu, mirandum esset, nisi humanum esset errare. Erravisse eundem videmus in eadem sententia c. 13. §. 12. *Residebit in rep. RELIQUA coniuratorum manus.* Paullo hoc ornatius est; illud vulgare, *remanebunt RELIQUI coniurati.* Cur ergo *reliqua* nimis frigere dicat, haud videmus: immo *aliqua,* quod coniicit, vehementer frigeret.

Quam male imponat nobis in vero scriptorum sensu quaerendo sensus quidam pulchritudinis et elegantiae, notum est, praesertim in Bibliorum interpretatione

versatis. Neque vero aliter se res habet in optimo quoque Classicorum, etsi ii non solum rerum, sed etiam ornatus ac venerum orationis studiosissimi fuerunt. Ludit autem interpretem iste sensus partim obscuritate sua, partim eo, quod blanditur nostrarum doctrinarum legibus, moribus nostris atque huic, qui hodie obtinet, cogitandi modo, non ex puris fontibus antiquitatis ducto." Cuius rei exemplum est *Horatii Carm. I, 21*, in quo veterem simplicitatem, ab omnibus olim doctis agnitam, revocabimus, nuper *) invectam elegantiam eiiciemus. Fuerunt nimirum hoc saeculo multi, qui Odam hanc in amoebaeis numerantes, a choris Puerorum et Virginum alternis cantatam vel ita certe compositam putarent. Quae ratio arte novissimi editoris nunc adeo invaluit, ut verendum sit, ne pluribus in posterum fraudem faciat viri illius auctoritas. Sed in quo statim haereas, probata tali ratione, illud est in primis, quod, quid puellae, quid pueri cantaturi sint, nonnisi ex notulis appictis intelligi queat. At notulas scriptis suis non appingebant veteres: est id unum ex novis inventis: illi contra, quo quidque modo intelligendum esset, quid subaudiendum seu ad lectionem aliunde afferendum, vel ex cognitarum rerum orbe promptum, vel orationis habitu indicatum patere volebant. Iam nihil hic est eiusmodi, quod legentem ducere eo possit, quo isti volunt; ipsi vero trahunt nos, non ducunt. Nam unde tandem nisi ex ipsis Intpp. comperias, v. 3, et 4. ab utroque choro, aut v. 13. tria verba a pueris, quinque a puellis, reliqua rursus ab utrisque proferri? Immo hoc non est interpretari, sed mutilare sententias et contaminare, ut musicus modos aptare concinnius possit. Accedit quod ridicula ni-

*) Scripsit haec Celeb. auctor a. 1796.

miumque mollis esset ea comitas et verecundia, qua ita inter se chori certarent, ut *bellum lacrimosum* pueri a dea virgine, *famem pestemque* puellae a deo mare depulsam cuperent. Ac Bentleii quidem coniectura v. 13., quae huic descriptioni partium colorem ascivit, quanquam invito haud dubie auctore, vix ac ne vix quidem sese tueri ipsa, multo minus descriptioni illi patrocinari potest. Praeterea hoc quoque frigidum est et perquam insulsum, coetus duos, qui surrexerint ad canendum, nihil afferre in toto Carmine, nihil agere, nisi ut se invicem cohortentur ad canendum, tum extremis versibus, quasi suo munere defunctos, preces nescio quo tempore adhibendas numina facilia habituras polliceri. Quae omnia longe melius conveniunt sacri vatis personae, choros alloquentis suos, et eos, quorum ipse fortasse in aliqua minori solennitate (non saeculari illa) praeceptor s. διδάσκαλος esset paullo post futurus. Denique aliqüid passim latet in omni tenore et serie sententiarum, quod recenti argutiolae adversatur gravissime: tametsi id quale sit, potius gustu assequi quam ad rationes et calculos vocare licet. Nobis quidem, ne nihil attingamus ex hoc genere, minime videtur poeta v. 10. proprio vocabulo appellaturus fuisse *Mares*, si sub alienis personis agere voluisset. Itaque haud dubie ad priorum Intpp. auctoritatem revertendum est, i. e. ad antiquum, quod in plerisque eiusmodi rebus verissimum est. Idem faciendum putamus etiam in alio postremorum versuum, ubi item errarunt venustiores nonnulli tentata correctione, quae famis pestisque periculum tanquam rem indignissimam principe arceret. Evanuit periculum, aiunt, quum scribimus *principe*, non *et principe*. Quod posterius adeo quam insolens sit, qui non sentiant, esse posse admirantur. Nos illud non sentire inge-

ingenue fatemur, miramurque vicissim, esse potuisse, qui inter sacra hodie non audierint simillimas formularum sollennium preces factas pro salute principum. Nempe id unum fortasse responsum satisfaciat illis, quippe ex nostris moribus petitum; nisi forte venustos nos et politos homines, repente mutato cultu, in sacris agrestes inhumanosque fieri putabunt. Quod ipsum sane satis invenustum esset.

Platon. Apolog. Socratis c. IX. *καὶ φαίνεται τοῦτον λέγειν τὸν Σωκράτην, προσκεχρῆσθαι δὲ τῷ ἐμῷ ὀνόματι, ἐμὲ παράδειγμα ποιούμενος· ὥσπερ ἂν εἴποι, ὅτι οὗτος ὑμῶν, ὦ ἄνθρωποι, σοφώτατός ἐςιν, ὅστις ὥσπερ Σωκράτης ἔγνωκεν, ὅτι οὐδενὸς ἄξιός ἐςι τῇ ἀληθείᾳ πρὸς σοφίαν.* In his quantum obscuritatis premat verba ea, quae literis diductioribus expressimus, quisque videbit, modo interpretationem aggressus. De quibus tamen quod quinque a viris doctis sunt allatae sententiae, (alias *omne trinum perfectum*, ut aiunt:) quum libera cuique optio detur, facile aliquis in eam opinionem adduci possit; ut eorum more, quos Socrates notat, intelligere sibi videatur, quae non intelligat. Habuit vero rationum illarum quaeque, qui eam prae ceteris tueretur. Ac primum Cornarius vertit, *et Socratem hunc dicere videtur*, lectionem reddens τοῦτον, quo pronomen accipiatur δεικτικῶς. Anglus quidam coniecit τοῦτο h. e. διὰ τοῦτο, *propterea*, *seu*, *eo ut sententiam suam deus aperiat.* Nam sic quidem nos viri illius coniecturam interpretamur. Alius quis suspicabatur excidisse ἔμπειρον simileve verbum quodpiam. Alius τούτου satis violenter retrahebat ad vocab. οὐδενὸς, et insuper, nescio quo modo, supplebat ἄξιον

εἶναι. Quam parum in his omnibus sani sit, intelligitis. Sed aliud attulit melius istis Dorvillius, qui, vulgatae omnium librorum lectionis patronus, ad τούτου intelligendum monet ἕνεκα, hoc sensu: *propterea, ut appareat sapientiam humanam esse nullam.* Atque ita locum iam a Ficino acceptum esse, latina eius translatio docet; quem deinde fere secuti sunt, qui aliis linguis Socratem Platonis loquentem fecerunt.

Decepit autem eos, qui in hanc sententiam concesserunt, ellipseos ἕνεκα facilitas atque usus, in aliis loquendi modis satis tritus et frequentatus. At vellemus utique, *eius* generis potius et modi exemplum quaesissent, unde nudum illud τούτου appareret esse *ideo, propterea.* Tale nos exemplum in vetere et probato auctore nullum exstare contendimus. Verum ut ita loqui Platoni licuisset, parum tamen lucis inesset isti, quam extorserunt, sententiae. Nam presse si verteris, (nihili enim est nuperi editoris suffarcinata oratio, quae belle obumbrat vitium:) exoritur hic sensus: *Quamobrem prope est, ut revera deus sapiens sit, atque eo responso illud significet, humanam sapientiam nihili faciendam esse: ac videtur* p r o p t e r e a *nominare Socratem, et meo uti nomine, neque aliis exemplo proponere etc.* In quo quid sibi tandem vult illud *propterea?* An, *ut humana sapientia nihili facienda sit?* an, *ut deus illud melius et clarius significet?* an, *ut id, quod dicit, verum esse appareat?* Tenemus verbum incerta et quasi lima potestate in quamcunque velis partem versatile. Reliqua persequi non vacat. Tantum admonebo, quod novam habet explicationis huius offensionem, particulam δὲ post verbum προσκεχρῆσθαι perperam accipi ut copulativam, quae eius vis nusquam est in lingua Atticorum.

Iam ut iudicium ipsi quoque nostrum expromamus,

insigni hic exemplo videtis factum, quod saepe etiam alias, neque in his tantum literis accidere solet, ut omnes, qui de h. l. cogitarent, fugeret id, quod maxime esset in promptu positum, et semel repertum nemini non repertu facillimum esse videatur. Nimirum dissecueris vocem eam, in qua scrupulum inesse consentiunt omnes, et continuo, ne ulla quidem litera expuncta aut mutata, Platoni integritatem et elegantiam reddes. Scribendum: καὶ φαίνεται τοῦτ' οὐ λέγειν τὸν Σωκράτην, προσκεχρῆσθαι δὲ h. e. ἀλλὰ προσκεχρῆσθαι — — Hinc iam totius periodi hic sensus emergit, quo ipso qui accurate legit tacita cogitatione ducitur: *Revera deus sapiens est, atque eo responso illud significat; humanam sapientiam parvi ac potius nihili ducendam esse: ac videtur is non de Socrate hoc dicere, quod dicit, sed usus tantum esse meo nomine, me aliis exemplo proponens; quasi dicat, Is vestrum, homines, sapientissimus est, quisquis ut Socrates agnovit se plane nihil valere, si ad veram sapientiam exigatur.* Id est, *Oraculum etsi meo nomine usum est, tamen non tam de mea persona loqui voluit, quam alios homines significare, et meo castigare nomine etc.* Sed satis clara iam sunt omnia, recta, sana, venusta. Ceterum duplici accusativo, quem textui restituimus, neminem speramus offensum iri, qui Atticorum sermonem calleat. Ita enim illi saepissime, λέγειν τινά τι, *aliquid dicere de aliquo:* alterum contra, λέγειν τὶ περί τινος, prope insolentiae vitio laborat, in hoc certe sententiae tenore, quo Plato h. l. utitur. Itaque Schol. Villoisoni ad Iliad. VI, 480. recte multoque doctius Eustathio, haec notat: καί ποτέ τις εἴποι ἐκ πολέμου ἀνιόντα· Οὐ λείπει τὸ ἰδών, ἀλλ' ἐςὶ συνηθὴς Ἀττικοῖς ἡ φράσις. Quamquam is locus, ni fallimur, sui generis unicus est apud Homerum. Tan-

to crebrior eiusmodi usus exstat apud Atticos. Aristoph. Acharn. 593. Ταυτὶ λέγεις σὺ τὸν ϛρατηγὸν, πτωχὸς ὤν. Plato Men. p. 77. A. Steph. Πολλὰ ποιῶν ἐκ τοῦ ἑνός, ὅπερ φασὶ τοὺς συντρίβοντάς τι etc. Xenoph. M. S. II, 2, 9. Ὅταν ἀλλήλους τὰ ἔσχατα λέγωσιν. Pertinet huc etiam illud, κακὰ λέγειν τινὰ, cum similibus. Nam satis est exemplorum. Nos ne his quidem, ut in re certa, usi essemus, nisi loquendi genus illud a Grammaticis et Lexicographis esset aut plane praetermissum, aut, quod Dawesio in Misc. crit. p. 149. accidit, perperam explicatum et cum dispari genere confusum.

III.

Obss. ad Cicer. Epp. ad Fam. maiorem partem, criticarum specimen, orationculis latinis in schola Thomana — habendis praemissum ab Rectore caeterisque Magistris, Lips. cIↄIↄcccI. (auctore *Frid. Guil. Ehrenfrido Rostio*, Rect.)

I, 1. *Quod dat, accipimus.* Proverbialis locutio, indicans, contentum esse aliquem eo, quod alter pro arbitrio suo praestare velit. Propria est eorum, qui beneficia ab aliquo expetunt. Cf. de Orat. II, 44. et 18. in Verr. II, 61. 62. Iuven. Sat. VII, 166.

II, 4. *Ut neque ea, quae non sentio, velim scribere,* sic explicat auctor: ut *ne* ea quidem, quae non *probo*, nedum quae probo, velim scribere; nam quae ad remp. attinent, ea nunc omnino non scribenda sunt. II, 8.

II, 6. *Ego, si mea in te essent officia solum, Curio, tanta* etc. *Solum* si cum *tanta* coniungis, videtur Cicero reprehendere Curionem, quod sua in ipsum merita minoris faciat, quam par sit; quod sequentibus repugnet: si vero suspensum est a *mea*, satis inhumaniter arguit et Curionem iactantiae, et se ingrati animi, cum Curionis in se officia, quae ille nimis magna putet, parvi pendeat. Cuius ne reus esset rusticitatis Cicero, interponendum post *Curio* putavit Rostius *ac*.

In ead. ep. *cumulando* aut glossema esse aut mutandum in *cumulate* vel *cumulatissime* existimat, XIII, 4. V, 11.

II, 16. *nam ad bellum quidem qui convenit? praesertim contra eum, ab eo et* q. s. *Contra eum* et *ab eo* nectendum est cum praeced. *bellum.* Gerere enim bellum *ab aliquo*, idem valet, quod *pro aliquo*, *stare ab alicuius partibus*, Or. pro Roscio Amer. c. 36, §. 104.

III, 6. legi vult: *Et nosse locum, quem apud te isTE TEneret.*

In ead. ep. legit *iis alieni hominis*, propterea, quod h. l. pronomen *is* non eundem, quem pronomen relativum, cui respondet, casum habeat.

III, 8. acute et probabiliter coniecit: *sermones habitos cum tua summa laude, et cum magna sollicitudine, significationem nostrae familiaritatis ad te vere potuisse deferre.*

III, 11. *Sed etiam quia magis videbar tibi gratulari.* Schellerus dicit hic deesse *debere*, improbante Rostio propterea, quod animus humanus plus laetatur iis, quae sponte facit, quam quae debet facere, tum quod Cicero ostenderet voluntatem ad gratulandum non admodum proclivem. Addit idem, ubi res ita ferat, ut, quod officii est, lubenter faciamus, non solere eius rei caussam omitti, ne coacti fecisse videamur. Quare hoc potius velle Ciceronem putat, gratulatum se quidem esse iam antea Appio, acceptis autem litteris eius, magis sibi visum esse hoc facere, quia legentes nos alterius litteras quasi cum praesente agimus, ac saepe tam claram absentis imaginem ante oculos habemus, ut imprudentes in verba et voces erumpamus. Cf. sqq.

V, 18. concinnitatis causa legi iubet: *quibus temporibus nos nati sumus.*

VII, 12. *Quis enim est, qui facit nihil, nisi sua causa?* Haec spuria putat, et vel ab indocto homine, qui nesciret, quid esset omnia sua caussa facere, vel a magistro, discipulos udmonituro, ut de Epicureis cogitarent, margini adscripta. Ernest. ad loc. de Nat. Deorr. I, 32. *quid autem est istuc gradatim?*

VII, 18. *Sed miror, quid in illa chartula fuerit, quod delere malueris, quam haec scribere.* Videtur Trebatius crassas litterarum figuras in palimpsesto pinxisse, ut priorum verborum vestigia difficulter agnosci possent. Quod cum esset indicium minoris sui observantiae, Cicero hac Trebatii negligentia offensus est; magis autem eo, quod suspicaretur erasam esse suam aliquam epistolam. Itaque utrumque ei exprobrat, cum litterarum sordes: *sed miror — scribere:* tum suarum epistolarum contemptum: *nisi forte — tuas.* Quibus extremis verbis Cicero par pari refert, Trebatii formulas potius, quam suas epistolas, litura dignas indicans. Est igitur difficilior ille locus sic intelligendus: *videris hanc epistolam non ideo scripsisse, ut mihi aliquid nuntiaresi, sed ut aliam induceres; adeo sordida et confusa scriptura est.* Id autem suo more multo elegantius facetiusque dixit.

VII, 32. quod correxerat, *non me defendis*, id a Benedicto auctoritate duorum Dresdensium codd. confirmatum, arbitratur esse genuinum.

In ead. ep. legendum censet: *Non mehercule* (ideo haec dico) *quo quidquam desit* (illius in me amori); *sed quia valde cupio* (sc. ei, s. ab eo amari), *non videor minimum laborare.*

VIII, 8. *Si quid iniuriis suis esset, ut Vestorius teneretur.* Verbi *teneretur* signif. duplicem hic esse posse

statuit, ut vel sit, *obnoxium esse poenae;* tum ridiculus erat Sempronius, quod putaverat Ciceroni gratum fecisse amici accusatione: vel, *amicum habere*, Ern. ad Offic. III, 10. tum putari debet Vestorius in Ciceronis amicitia, quam, ut Sempronium unice amplecteretur, dissuere parabat, huius iniuriis permotus, mansisse; quod cum Sempronius Ciceroni in beneficiis numerare vellet, stultus erat, quia quae contra nostram voluntatem et opinionem aliis evenerunt grata et accepta, eorum laudem ac gratiam captare non debemus.

VIII, 11. *Incideramus enim in difficilem nodum.* Negat auctor *incideramus* cum Weiskio derivandum esse a caedo, propterea quod non sit difficile, caedere nodum implicitum.

VIII, 16. *Quorum fortunas non debes velle conturbare.* Statuit hunc locum habere anacoluthon, quod excusari possit in oratione affectus plena. Affert I, 9. *sed quia — nominare.*

IX, 25. *Vel ad parendum potius: sic enim antiqui loquebantur.* Glossatoris haec esse censet. Nam primo homini docto, qualis Paetus erat, ostendere velle, quid antiquis hoc gerundium significaverit, plane ineptum esset, nisi iocari eum putares, quod tamen se nolle modo affirmaverat. Deinde, cur Cicero hunc loquendi modum antiquis tribuerit, negat se intelligere, cum ipse Cicero et aequales permultis in locis gerundio passiva significatione usi sint. Id docere Sanctium in Minerva.

XIII, 64. legit: *apud ipsum praeclarissime te posueris*, ut sit, cui respondeat sequens *mihi.*

XIII, 9. *quae societas ordine ipso, hominum genere, pars est maxima civitatis.* Delet *ordine*, cum quia in eadem periodo eandem vocem ter ponere, abhorreat a scriptoris elegantia, tum quoniam videatur aliquis ex-

plicare voluisse substantivum *genere*, rariori significatu etiam II, 6. pro *ordine* adhibitum. Sensum autem hunc putat esse: haec societas iam propter se est magnifacienda et amanda, quia continet partem maximorum h. e. principum civium, quales omnino erant publicani; inprimis autem Bithynicae societatis, quae ex ceteris societatibus constabat, atque e singulis fere praecipuos viros continebat.

IV.

Gurlittus Scholae coenobii Bergensis director celeberrimus, cuius quinque archaeologicas commentatt. Vol. I. p. 314. laudauimus, sextam nuper emisit, quae praecipua artis opera ad Herculem eiusque res spectantia persequitur, atque ita inscribitur vernaculo sermone:

Fragment einer archaeologischen Abhandlung über Hercules, womit zu der Prüfung in der Klosterberg. Schule am 24. und 25. Sept. Nachm. von 2. Uhr ehrerbietigst einladet Doctor *Iohann Gurlitt*. Magdeburg gedruckt bei Ioh. Val. Hessenland 1801. 26. pp. 4.

Nec vacabat nec lubebat auctori, persequi omnes formas et modos, quibus antiqua ars expressit Herculem, sed praecipua enumerare simulacra, quae Herculem vel nihil agentem, in variis aetatibus; vel in actione constitutum, vel quiescentem et quidem nunc solum nunc cum lyra Musis et Nymphis sistunt; obiter etiam alia commemorare, Plerumque ei tribui leoninam pellem, clavam, sive arcum cum sagittis, utpote heroi vetustissimae aetatis, monetur, neque tamen, a quo primo et quando fuerint ea tributa, indicatur, Et in Hercule quidem proposita est summa virilis roboris, fortitudinis rudis et asperae, corporis laboribus et periculis subacti atque formati, quietis et gaudii, exactis laboribus, percepti, species gratissima artificibus, tum quod magna illius ad eorum phantasiam fuit vis (unde eum validis musculis, humeris et pectore latis, breui et crasso collo, paruo capite, crispo capillo, fecerunt) tum quod, cum

nudus aut pelle vestitus fingeretur, opportunitas fuit formam corporis virilem et validam ostentandi, tum quod mythorum multitudo et varietas amplam praebuit artificiis materiem, cuius quidem facilior in anaglyphis, nummis, gemmis, picturis, quam in signis, fuit usus. Scripsit Begerus Herculem illustratum 1705., et in *Spencii* opere, Polymetis inscripto, multa occurrunt anaglypha cum Herculis fabulis. Duodecim labores exhibuit anaglyphum Pergamenae arcis, in quod epigramma legitur Brunck. Anal. III, 282. p. 209. De aliis epigrr. in artificia Herculis Heynius Commentatt. Soc. Gött. T. X. p. 85. s. — Opera artis ex iis locis indicauit, ubi olim cernebantur, quia nondum accuratus prodiit eorum operum, quae in Galliam absportata sunt, index. Nam Rich. Duppam monet (in lib. A brief account of the subversion of the papal government, ed. 2. 1799.) artificia ex Roma ablata non accurate satis recensuisse. Lebrunii autem librum (Examen histor. et crit. d. Tableaux exposés provisoirement. — auquel on a ioint le detail de tous les monumens des arts, qui sont arrivés de l'Italie 1798.) non vidit. Cui loco et hanc addidit G. animadversionem: „Laudanda est Gallorum liberalitas, qua, apud se communia cultioris humanitatis bona deposita rati, illa opera artis aliunde abrepta omnium usui concedunt, quae quidem indignationem per ipsam rapinam excitatam lenit atque placat. Quam quidem rapinam etsi antiqui Romanorum mores tueri videntur; tamen optandum fuerat, ut mentes populorum post viginti saecula eo pervenisse appareret, ut in belli atque victoriae etiam iure officii et humanitatis imperiis magis obsequerentur.“ — I. *Hercules sine actione. Puer* Mus. Cap. III, n. 25. Marm. Dresd. 125. ubi dormiens cernitur. Pileus et serpentes recens additi videntur.

Puer serpentes suffocans, Stat. Venet. 2. et 37. atque saepius.

Iuvenis; Hercules Aventinus ab archaeologis ex Virg. Aen. 7, 659. perperam appellatus. Nam non filius Herculis exhibetur, sed aut homo aliquis Herculis habitu inditus; aut heros ex familia Heraclidarum; aut Hercules iunior, ut Mus. Cap. III, 26. Maffei Racc. n. 19. Villa Pamfili 8. et 12. Episcop. 64. Borioni Collect. ant. Rom. 8. etiam in nummis. Interdum Herc. iunior et provectior aetate cum clava demissa et Hesperidum pomis exhibetur (ut Herc. in hortis Farnes. 1725. erutus et Parmam posthac delatus; Mus. Flor. 67. 68. Gall. Giustin. 11—15., ubi n. 15. clava humero imposita pulcritudinis sensum offendit; ib. n. 6. et ap. Sandrart. T. IV. alphab. 1. litt. k. Sedens apud Cavacceppium n. 41. (Cerbero recens addito) Marm. Dresd. 50. 53. 54. vill. Pamphil. et Borghes. Maffei Racc. 20.) II. *in actione constitutus.* 1. Nemeaeum Leonem suffocans Mus. Flor. 65. s. quod venustius, quam si rictum leonis diduceret. v. Lippert. Dactyl. Suppl. I. 318. s. 2. Lernaeam hydram necans (Maffei Racc. 136. s. Sandrart IV. alph. I. litt. B. Mus. Cap. III, 27. ubi fax recentis est operis). Hydra varie fingitur, etiam humanis capitibus insignis, Beger Herc. tab. 28. (Versaliae recentis artificis simile fuit opus. Thomassin Recueil des Groupes d. Vers. n. 79.) 3. Antaeum gigantem sublatum suffocans, in Palat. Pittio Florent. Maffei Racc. 43. Montfaucon Ant. expl. I. p. 361. Suppl. I. p. 215. verum symplegma maiori ex parte restauratum est. Non esse Polycleti opus, Winkelm. praef. ad H. A. p. 15. ed. Dresd. docuit (lectionem Plin. H. N. 34, 19, 2. iam Harduinus correxit); et, quoniam non satis est perfectum opus, Heynius incerta coniectura existimauit, esse ex antiquo exemplo expressum (Comm. Gött. X, p. 86.). Similia symplegmata

Wiltoniae apud. Com. Pembrokium (Descr. p. 32.) et Spencium (Polym. p. 122.) Etiam in antiquis picturis ita Herc. cernitur (Bellori Pitt. ant. del sepolcro dei Nasoni t. 15. Causei ant. picturae Nasonum, Rom. 1738.) 4. cum Centauro luctans. Mus. Flor. III. tab. 60. egregium opus. Praeterea occurrunt 1. *Herc. bibax*, *ebrius*, in gemmis; add. ep. in Brunk. Anal. III. ep. 286. et 283. Lysippus eum cum nectaris patera finxerat. v. Stat. Sylv. IV, 6. 56. ss. Martial. IX, 44. Spence Polym. pl. 19, 4. Alia Herculis simulacra Lysippea ap. Strab. VI. p. 278. (coll. Plin. 34, 19, 6.) X, p. 705. Alm. Paus. II, 9. 2. *Herc. furens* a vett. artificibus saepe fictus, nullo eorum opere servato. Lebrunii recens opus est. Patiens Hercules in pal. Barber. sed caput eius tantum aeri incisum in Spencii Polym. pl. 19, 3. Simile caput H. dolorem exprimens Lippert. II, 491. 3. *Herc. buphagus*, Apollod. 2, 7, 7. Sed ars tantum expressit altera manu caput bovis tenentem, altera tollentem clavam. Brunck. Anal. III. p. 211. Lippert. I, 590—92. 4. *Omphalae serviens*. Lipp. I, 598. 600. *Ab amore victum* Lysippus exhibuit Brunck. Anal. II. p. 280. IV. p. 226. — Lipp. I, 603. ss. Interdum etiam Amor cum raptis Herc. armis cernitur, Mus. Flor. I. t. 75. n 6. Descr. d. pierr. grav. p. 136. n. 725. 730. Caylus V. t. 67. n. 3. (Optat Gurl., ut quis omnia artis opera ad Amorem spectantia recenseat, atque laudat Klotzii lib. de utilitate gemmarum p. 194. ss. omisso Höpfneri lib. de Erote graecorum) 5. *cum cornucopiae*. Winkelm. praef. ad H. A. ed. Dresd. p. 15. et Descr. d. pierr. grav. p. 235. et 273. 6. *Cerberum ligans* et producens, in gemmis. Lipp. I, 593, 9. Suppl. I, 324. 7. Hercules in bivio (quam a Prodico ap. Xen. Mem. II, 1, 21. narratam fabulam ut cum loco Sil It. XV, 20. ss. *Cromius* in philol. Schriften p. 35. ss. et *Gotth. Aug. Cubaeus* singulari libello latino, Lips.

1797. 8. compararunt, ita Gurl. cum historia Christi ap. Matth. c. IV. in., cum Salom. Prou. c. 9. et cum Genes. IV. 7. ex sententia Godf. Bened. Funkii in Symbolis ad interpr. Cod. Sacri p. 62. s., quem libellum inprimis commendat, confert) etiam artis operibus expressus est. v. Pighii Hercules Prodicius, inprimis in praef. Lipp. Suppl. I, 315. Coronatus etiam a Virtute Hercules cernitur. Lipp. Dact. 16, 8. Suppl. I, 348. — Alia Herculis agentis simulacra ap. Plin. 36, 4, 1. 10. 12. 34, 19, 2. 35, 40, 32. 36. 35, 36, 5. coll. epigr. Anal. Brunck. II. p. 60. Athen. p. 543. s. — Paus. II, 13. III. *Hercules quiescens.* 1. Hercules Farnesinus, Glyconis opus ex marm. Pario capite minore et collo crassiore, quam vulgo esse solet, pedibus a Guil. della Porta resitutis. Omnis habitus monstrat quiescentem modo peracto graui labore, eoque ultimo (unde Hesperidum poma addita. Maffei Racc. 49. s. Episcop. 8—11. Sandrart. IV, 1, litt. L. *Ramdohr.* üb. Bildh. und Mahl. in Rom I, p. 8. ss. Saepius hoc opus repetitum est. Tria exempla sunt, in pal. Farnesino, villa Medicea, et hortis Archid. Florent. (ubi male Lysippi nomen insculptum. Maffei Racc. 44. et (Scip. non Raph.) Maffei Osserv. lett. I. p. 398. 2. Corporis fragmentum, il Torso, Apollonii opus (Winkelm. H. A. p. 368. 370. s. Dresd. 741. 746. Vindob.) Variae fuerunt sententiae archaeologorum, quorum alii ad Herculem victorem Antaei, alii ad servientem Omphalae aut Iolen s. Heben amplexum retulerunt, alii militem esse existimarunt; optime Vuinkelm., Mengsius, Ramdohrius *ἀναπαυόμενον*, res suas gestas meditantem secum, et *ἀποθεωθέντα* esse iudicarunt. Maffei Racc. 9. Episc. 24. 25. Iudicatur severius de hoc opere in Meuselii Museo artificum part. 14. n. 3. Tabulam pictam Herculis *ἀποθεωθέντος* Plin. 35, 40, 32, memorat. (Herculis Quies et Expiatio

in anagl. Farnes. a Corsinio separatim illustrata hoc loco addenda est.) IV. *Hercules quiete sua fruens*, cum lyra, nymphis, musis. Eo refertur Hercules Musagetes (Boissard. IV. tab. 63. et saepius in gemmis) de quo est praeclara Heynii Comm. in Commentatt. Soc. Gött. T. III. Nam *Fontenu* Mem. de l'Acad. d. Inscr. VII. p. 51. a. prorsus aberravit a vero fictionis sensu). Gurlitto videtur exprimi Hercules remittens curas, Phoeboque leuatus pectora (Stat. Sylv. IV, 6, 1.), post exactos labores. A M. Fulvii Nobilioris templo (a. V. 575. Plin. 35, 36, 4.) repetiit Heynius; Gurlittus innotuisse Fulvio in Graecia Herculem Musageten ex Eumen. Or. p. restaur. schol. c. 7, 3. colligit. Graecae certe originis est Hercules cum lyra, neque in scholis sophistarum et rhetorum primum fictus. Apollo Musagetes notior est. (Ramdohr. I. p. 86.).

V.

Fr. Guil. Sturzii observatio philologica de nomine ἄθεος.

Recentioribus temporibus, viros eruditos permultos constat quaestionem de atheis et atheismo variis modis instituisse, ita vt alii de discrimine atheismi et superstitionis exponerent, vt *Ioh. Franc. Buddeus*, alii historiam atheismi tractarent, e quo numero fuerunt *le Clerc*, *Ant. Reiserus*, *Ioh. Henr. Foppius*, quorum multi hoc inprimis egisse reperiuntur, vt veteres philosophos atheismi reos liberarent hoc crimine, in quibus veterum patronis eminent *Ienkinus Philipps*, *Ioh. Chph. Wolfius*, *Iac. Hasaeus*, *Iac. Fr. Reimmannus*, et, qui singulorum philosophorum defensionem in se receperunt, *Ioh. Iac. Zimmermannus*, et *Dan. Guil. Trillerus*. Neque tamen vllus, si recte memini, vim et potestatem nominis ἄθεος ex antiquis scriptoribus satis dilucide explanauit. Nam *Reimannus*, qui nonnulla hanc in rem attulit haud spernenda, nimis tamen parcus et ieiunus videtur. Iam cum etiam Empedocles meus a *Clemente Alexandrino* 1) et *Theophilo Antiocheno* 2) atheis annumeretur, cumque parum verisimile sit, omnes illos philosophos, qui atheismi accusari a multis solent, deum deosue esse omnino negasse: non inutile neque super-

1) protrept. p. 42. C. ed. Colon. 1688. fol.
2) ad Autolycum 3. p. 118. ed. Colon. 1686. fol.

superfluum fore putaui, si quis paulo diligentius quaereret, quas notiones nomini ἄθεος subiecisse reperirentur scriptores antiqui, atque adeo ipse tandem tale periculum facere ausus sum, effici fortassis hac ratione ratus, vt philosophi, quos antiqui simpliciter neque causis adiectis atheos appellarunt, non existimandi sint eo sensu athei fuisse, quo nomen istud adhiberi hodie fere solet.

Henricus Stephanus in thesauro Graecae linguae nomen ἄθεος non male interpretatur his verbis: *qui sine deo est, impius, qui deum esse non credit, aut, si credat, non colit*, nec pauca e veteribus exempla collegit, sed tamen rem omnem tractauit sic, vt vix satisfacere ei possit, qui plenius tractatam et accuratius illam cupiat. Magis placere potest *Reimmanni* disputatio, quam vt haec mea supplere viris doctis videatur, intelligo magis mihi optandum esse, quam sperandum.

Scilicet, vt ad prima elementa regrediamur, quemadmodum ἄλογος vocatur, qui rationis expers est, ita proprie et primo ἄθεος est *deo carens, a deo alienus.* Quam late tamen vel sic nomen pateat, exemplis illustrandum est. *Plutarchus* de def. oraculor. c. 48. οὐ γὰρ ἄθεον ποιοῦμεν οὐδ' ἄλογον τὴν μαντικὴν, *non sine deorum numine nec sine ratione fieri posse dicimus.* De superstitione c. 4. ὁ τὴν τῶν θεῶν ἀρχὴν ὡς τυραννίδα φοβούμενος σκυθρωπὴν — ποῦ φύγῃ, ποίαν γῆν ἄθεον εὕρῃ, ποίαν θάλασσαν; *vbi nulli sint dii.* De solertia animall. p. 1795. ed. *Steph.* dicuntur τὰ ἔνυδρα, non vt animalia terrestria et volatilia apta esse ad voluntatem deorum praesignificandam, ἀλλὰ κωφὰ πάντα καὶ τυφλὰ τῆς προνοίας εἰς τὸν ἄθεον καὶ τιτανικὸν ἀπέρριπται τόπον, ὥσπερ ἀσεβῶν χῶρον, *vbi Titanes regnant s. versantur, non dii.* *Plato* in Theaeteto T. I. opp. ed. *Steph.* p. 176. E. παραδειγμάτων ἐν τῷ

ὄντι ἑστώτων, τοῦ μὲν θείου, εὐδαιμονεστάτου, τοῦ δὲ ἀθέου, ἀθλιωτάτου, *in quo nihil diuini inest*. Sic prorsus accipiendum videtur in hoc loco *Plutarchi* adv. Colot. p. 1039. κενὰς καὶ ἀπαθεῖς καὶ ἀθέους, ἔτι δὲ ἀμίκτους καὶ ἀσυγκράτους ἀρχάς. Similiter apud *Athenaeum* 10, p. 448. E. ἄθεα ὀνόματα dicuntur *nomina a diis non desumta*, qualia sunt Aristides, Plato, Socrates, et similia. Sed apud *Maximum Tyrium* 1, 2. δι' ἀμαθίαν ἄθεοι videntur esse *a dei cognitione alieni, deorum ignari*, et formula *Homerica* Odyss. σ, 352. οὐκ ἀθεεὶ conferri potest cum verbis *Plutarchi* primo loco supra positis, et in Scholiis docte explicatur verbis οὐκ ἄνευ θεοῦ. Cf. Iliad. ε, 185. Poterat eadem explicari verbis οὐκ ἄνευ θείας προνοίας, quae sunt *Plutarchi* de Is. et Osir. c. 28. *Eustathius* p. 1850, 9. ed. Rom. nihil iuuat.

Deinde ἄθεος appellatur, *qui deum esse non credit*. Iuuat, varias descriptiones afferre. *Plutarchus* de superstitione c. 2. ἡ μὲν ἀθεότης, κρίσις οὖσα φαύλη τοῦ μηδὲν εἶναι μακάριον καὶ ἄφθαρτον, εἰς ἀπάθειάν τινα δοκεῖ τῇ ἀπιστίᾳ τοῦ θείου περιφέρειν, καὶ τέλος ἐστὶν αὐτῇ τοῦ μὴ νομίζειν θεοὺς, τὸ μὴ φοβεῖσθαι. c. 6. οὐ δοκεῖ σοι καὶ τὸ τῶν ἀθέων πρὸς τοὺς δεισιδαίμονας πάθος ἔχειν τοιαύτην διαφοράν; οἱ μὲν οὖν οὐχ ὁρῶσι τοὺς θεοὺς τοπαράπαν, οἱ δὲ ὑπάρχειν νομίζουσιν· οἱ μὲν παρορῶσιν, οἱ δὲ δοξάζουσι φοβερὸν τὸ εὐμενὲς, καὶ τυραννικὸν τὸ πατρικὸν, etc. καὶ ὅλως ἡ μὲν ἀθεότης ἀπάθεια πρὸς τὸ θεῖον ἐστι, μὴ νοοῦσα τὸ ἀγαθόν· ἡ δὲ δεισιδαιμονία, πολυπάθεια κακὸν τὸ ἀγαθὸν ὑπονοοῦσα. Et c. 9. superstitionem negat meliorem esse quam τὴν ἀθεότητα, et τὸν ἄθεον dicit ridere μανικὸν καὶ Σαρδώνιον γέλωτα, vbi videat ἑορτὰς fieri, et εἰλαπίνας πρὸς ἱεροῖς, et μυήσεις, ὀργιασμοὺς, κατευχὰς θεῶν καὶ προσκυνήσεις, καί που παραφθεγγόμενον ἀτρέμα πρὸς

τοὺς συνήθεις, ὅτι τετύφωνται καὶ δαιμονῶσιν οἱ θεοῖς ταῦτα δρᾶσθαι νομίζοντες, ἄλλο δ' οὐδὲν ἔχοντα κακόν. Cap. 11. οὐκ οἴεται θεοὺς εἶναι ὁ ἄθεος, ὁ δὲ δεισιδαίμων οὐ βούλεται, πιστεύει δ' ἄκων. — τῷ μὲν ἀθέῳ δεισιδαιμονίας οὐδὲν μέτεστιν· ὁ δὲ δεισιδαίμων τῇ προαιρέσει ἄθεος ὤν, ἀσθενέστερός ἐστιν, τοῦ δοξάζειν περὶ θεῶν, ὃ βούλεται. Cap. 12. ostendit, τὴν ἀθεότητα ortam esse e superstitione. Omnino patet e toto libello, *Plutarchum* eo, quo dixi, sensu nomine ἄθεος vsum esse, non impium intellexisse, imo plus probitatis atheismo tribuisse, quam superstitioni. Cf. c. 2. 5. 7. 10. 14. it. de Is. et Osir. c. 11. et 67. Eodem fere modo definit *Clemens Alexandrinus* stromm. p. 701. C.: ἄθεος μέν, ὁ μὴ νομίζων εἶναι θεόν· δεισιδαίμων δέ, ὁ δεδιὼς τὰ δαιμόνια, ὁ πάντα θειάζων. Minus perspicua videtur Stoicorum ap. *Diogenem Laertium* 7, 119. definitio: διττὸν εἶναι τὸν ἄθεον, τόν τε ἐναντίως τῷ θείῳ λεγόμενον καὶ τὸν ἐξουθενητικὸν τοῦ θείου. Scilicet complectitur illa has ipsas vocabuli notiones, quas hucusque tractauimus et nunc cummaxime tractamus, quarum prior pertinet ad etymologiam, altera ad vsum loquendi. Verum hic vsus quam late pateat, duobus saltem exemplis docendum est. *Plutarchus* enim de Is. et Osir. c. 23. Euemerum, qui a *Theophilo* ad Autolyc. 3, p. 121. A. vocatur ἀθεώτατος, dicit ἀθεότητα libris suis sparsisse, quod docuerit, deos omnes olim fuisse imperatores vel reges, sed postea coli solitos ab hominibus. Cf. *Cic.* de N. D. 1, 42. *Suidas* autem et *Phauorinus*, ἄθεόν ἐστι, inquiunt, τὸ μὴ τὴν ἀθανασίαν τῆς ψυχῆς διασώζειν. Vbi praeterea notandum est, nomen ἄθεον, nisi mutandum est in ἀθέου vel ἀθέων, significare *consentiens cum eorum doctrina, qui deum esse negant*. Et saepe adiectiue sic legitur, v. c. apud *Plutarchum* l. l. c. 66. δεινὰς καὶ ἀθέους ἐμποιοῦσι δόξας,

ἀναισθήτοις καὶ ἀψύχοις — φύσεσι καὶ πράγμασιν ὀνόματα θεῶν ἐπιφέροντες, *opiniones atheismum sapientes.* it. c. 71. ἀθέους καὶ θηριώδεις λογισμούς. apud *Maximum Tyrium* 17, 5. ἐξεγένοντο ἐν τῷ ξύμπαντι αἰῶνι δύο που καὶ τρεῖς, ἄθεον καὶ ταπεινὸν — γένος. Caeterum cum idem *Plutarchus* de superstit. c. 10. fuisse narret, qui dicerent, ἀθεότητα esse ἀσέβειαν, cumque apud *Platonem* lib. 10. de legg. T. II. opp. p. 885. C. athei nominentur, οἱ τοπαράπαν θεοὺς οὐδαμῶς νομίζουσιν, sed p. 886. E. ἀσεβεῖς appellentur, cum denique in *Pollucis* onomastico 1, 21. vocabula ἀσεβὴς et ἄθεος vt synonyma recenseantur: vix dubitandum puto, quin *Lysippi Epirotae* ἀσεβῶν κατάλογος, quem laudat *Scholiastes Apollon. Rhod.* 4, 1093., fuerit *atheorum index.*

Tertia vocabuli ἄθεος notio est, vt significet eum, *qui non quidem negat deum deosue esse, sed alium aliosue recipit, quam qui recepti sunt a ciuitate, ad quam quis pertinet.* Hanc notionem, quae omnium minime negligenda est, statim posui post praecedentem, quia ei affinis est et cum ea cohaeret, quamuis pene mihi persuasum esset, eam post Iesu potissimum tempora demum vsitatam fuisse. Sicut enim *Paulus* apostolus epist. ad Ephes. 2, 12. ἀθέους fuisse scribit Ephesios, antequam religionis Christianae sacris essent initiati: ita Christiani vocabantur athei a paganis, quod horum deos reiicerent ac destruerent. v. *Iustin. Mart.* apol. 2. p. 56. B. *Athenagorae* legat. pro Christianis p. 4. sq. et *Arnobius* 1, p. 16. Cf. *Chr. Kortholti* diss. de atheismo veteribus Christianis obiecto, Kilon. 1707. 4. inprimis p. 4—8. *Paulum* deinde longo agmine secuti sunt scriptores Christiani, v. c. *Clemens Alexandrinus* protrept. p. 14. C. ἀθέους εἰκότως ἀποκαλῶ τούς

τους, οἱ τὸν ὄντως ὄντα θεὸν ἠγνοήκασι. et stromm. 7, p. 711. D. ἀθέους παραστῆσαι τοὺς τοῖς κακίστοις ἀνθρώποις τὸ θεῖον ἀπεικάζοντας. *Origenes* contra Cels. 1, p. 5. ἄθεος ἡ πολυθεότης. *Theodoretus* therapeut. diss. 3. T. IV. opp. p. 586. ἀθέους appellat μὴ μόνον ἐκείνους, οἳ οὐδένα θεὸν εἶναι νομίζουσιν, ἀλλὰ καὶ τοὺς εἰς πολλὰ τὸ θεῖον μερίσαντας σέβας, καὶ τῷ δημιουργῷ τῶν ὅλων τὴν κτίσιν συντάξαντας. v. interpp. N. T. ad l. l. *Suiceri* thes. eccles. *Kortholt* l. l. p. 29—38. et *Reimmanni* hist. atheismi p. 11. sq. qui idem p. 4. ostendere conatus est, iam Homeri aetate pro atheo habitum fuisse, *qui diis Graecorum non fuisset addictus*, quanquam ipse p. 1. sq. fassus erat, nomen ἄθεος non reperiri apud scriptores Graecos antiquissimos. Sed simili saltem modo adhibitum extat in hoc loco *Platonis* lib. 12. de legg. p. 966. sq. τὸ περὶ τὴν φορὰν, ὡς ἔχει τάξεως, ἄστρων τε καὶ ὅσων ἄλλων ἐγκρατὴς νοῦς ἐστι, τὸ πᾶν διακεκοσμηκώς. ὁ γὰρ ἰδὼν ταῦτα μὴ φαύλως μηδ᾽ ἰδιωτικῶς, οὐδεὶς οὕτως ἄθεος (h. l. est *impius*) ἀνθρώπων ποτὲ πέφυκεν, ὃς οὐ τοὐναντίον ἔπαθεν ἢ τὸ προσδοκώμενον ὑπὸ τῶν πολλῶν. οἱ μὲν γὰρ διανοοῦνται, τοὺς τὰ τοιαῦτα μεταχειρισαμένους ἀστρονομίᾳ τε καὶ ταῖς μετὰ ταύτης ἀναγκαίαις ἄλλαις τέχναις, ἀθέους γίγνεσθαι, καθεωρακότας ὡς οἷόν τε γιγνόμενα ἀνάγκαις πράγματα. Saltem possumus ἀθέους intelligere de iis, *qui reiiciunt deos in ciuitate patria receptos.* Sed fortassis aeque recte intelligas, *qui omnino deos esse negant.* Atque sic intellexisse videtur *Cicero* de inu. 1, 29. „in opinione (np. vulgi) positum est, eos, qui philosophiae dent operam, non arbitrari deos esse." Item *Apuleius* in apologia p. 291. ed. *Elmenhorst.* „haec ferme communi quodam errore „imperitorum philosophis obiectantur, vt eorum, qui

offendet, quod e singulis, quos laudaui, scriptorum veterum locis verba ipsa exscripsi. Hoc enim ideo faciendum putaui, vt facilius quisque, quid de meo loci cuiusque interpretatione sibi statuendum videretur, posset dispicere.

VI.

In *Millini* Promtuario encyclopaed. (Magasin encyclop. Tome II. 7me An. N. 8. Fructidor an 9.) leguntur:

P. 451—509. *Remarques de I. B. G. d'Ansse de Villoison sur quelques Inscriptions grecques de marbres antiques et de pierres gravées, principalement sur celles qui sont en forme de dialogue.*

Ex qua doctissima diss. excerpemus, etsi alio tempore de singulis Promtuarii commentt. referendum erit, iam nunc obseruationes praecipuas, ita tamen ut non maiusculis litteris neque ut in marm. dispositi tituli afferantur.

1. Inscriptio edita in Guasco Tit. Mus. Capitol. et in *Visconti* Osservazioni su due musaici antichi istorichi, Parma 1788. 4. p. 41. n. 7.

Στήλη μαρμαρέη τίνος εἶ τάφος; ὠκέος ἵππου.
Τίς δ' ὄνομα (leg. ὄνομ'); Εὐθύδικος τί κλέος;
ἀθλοφόρος.
Ποσάκις ἐςέφθης δρόμον; πολλάκις. τίς δ' ἔλαυ-
νεν;
Κοίρανος ω τιμῆς κρέσσενος ἡμιθέων.

Visc. reddidit: Columna marmorea, cuius sepulcrum es? Celeris equi. Quis nomine? Euthydicus. Quae gloria? Victor in certaminibus. Quoties coronatus est propter cursum? Saepe. Quis vero eum agebat? Dominus ei Times, Cretensis, e genere semideorum. V. 3. Visc. legit ἐςέφθη, Vill. autem Ποσσάκις et πόλλακι. In δρόμον ultimam syllabam auctor brevem fecit. Eiusmodi prosodica vitia in graecis titulis p. 452.

frequenter occurrunt. v. Iscrizione greca esaminata dal
453. Sig. March. Maffei 1750. 4. p. 19. et Maffei Mus. Veron. p. 171. Inprimis *υ* saepe corripitur. In Oberlini Museo Schoepflini p. 73. est hexam. versus:

Πρωτότοκον, διετὲς, θεῷ μεμελήμενον, ἡδὺ,

ubi ε in *θεῷ* producitur, ut ibid. *κεῖμε βρέφος* (pro *κειμαι*, ut *κατάκειμε* in Mus. Ver. Maffei p. 315.): Graeci iam dudum *αι* et ε confundunt, ut *κρατοῦμε*. *Boukier* Explic. de quelques marbres antiques, Aix 1733. p. 9.
454. V. 1. probabilius est ante *τάφος* distingui. V. 4. Visc. legit:

κοίρανος οἱ Τίμης, Κρὴς γένος ἡμιθέων.

455. Vill. verisimilius:

κοίρανος. ὦ τιμᾶς κρέσσονος ἡμιθέων.

Imperator, o sortem praestantiorem sorte semideorum, *κρέσσων* pro *κρείσσων* ap. Pind. Herod. et al. frequens. *κοίρανος* imperator, ut in versibus elegg. Villois. Prolegg. Hom. Il. p. LV.: Non facile ita accipietur: *o sortem praestantiorem semideorum* (imperatorum), quod scil. ii possunt vel equis suis tales honores decernere.

457. 2. *Van Goens* in Obseruatt. miscell. philologici potissimum argumenti, Trai. ad Rh. 1764. 4. p. 56. anaglyphum Smyrnense edidit, cum 5. versibus graecis, cuius primum ita ipse legit:

Ἄνθρωπος τοῦτ' ἐςὶ τις: ἔμβλεπε, καὶ τὸ μένον σέ.

Aspice hic et disce, quae non huic solum homini sed
458. *et tibi imminent.* Vill. recte monet *εἴβλεπε* non mutandum in *ἔμβλεπε*, imo ita distinguendum:

Ἄνθρωπος τοῦτ' ἐςί, τίς εἶ, βλέπε, καὶ τὸ μένον σέ.

Hic est homo (cranium hoc hominis est); *quis sis vide et quod fatum te maneat.* Sequentia confirmant. Inscr. ediderat iam Pocock. Inscr. ant. sect. 7. n. 38. p. 26.

Contulit Goens epigr. Luciani T. III. p. 675. Anal. Brunk. I. p. 314. cf. Iacobs Anim. II, II, p. 429. s. et Auson. ep. 145. p. 77. ed. Par. 1730. V. 5. sculptor ϑλειβομενον 460.
posuit pro ϑλιβ. et v. 3. ὡς ἰς (pro εἰς) αἰῶν. Sed ibi ς versus causa delendum. Tituli versus 1. hexameter, 2. pentameter, 3. et 4. hexametri, 5. pentameter est. Sic in 7. versibus epitaphii Glauciae a Vill. Mag. enc. T. II. 5. an. N. 2. p. 374 ss. explicatis 3. et 5. sunt hexametri, reliqui pentametri. Simile lat. tituli exemplum *Gori* Inscr. in Etr. urb. T. I. p. 444. add. Maffei Mus. 461.
Ver. T. I. p. 57. *Paciaudi* Monum. Pelop. I. p. 87. ss. Alia metris non adstricta Paus. V, 19. et 27. Nonnulli tituli nodosis et tortuosis apicibus (ut Apulei. Met. l. XI. ait) scripti. Paus. V, 17. Monocondylia etiam antiquis Graecis fuerunt usitata. Montfauc. Palaeogr. gr. p. 347. s. In Caylus Rec. T. II. n. 266. titulus e versibus et soluta oratione mixtus. In Reinesii Class. XII, 104. p. 688. et Fabretti c. III. 453. p. 193. titulus versibus graecis non legitimis, cuius auctor ad epigr. Anthol. Brunk. T. III. p. 395. Ἀπλήρωτ' Ἀΐδα respexisse videtur.

Titulus Smyrnensis sententiam Epicureorum ex- 462.
primit, qui mortis imagine ad voluptatum usum se excitabant. In hanc sententiam Vill. laudat inscript. gr. in Monumens du culte secret des dames Romaines, à Caprée (Par. 1784. p. 57. n. 29.) et in Gori Symb. litter. Dec. I. Vol. III. p. 244. et Venuti Collect. Ant. Rom. tab. 80. p. 58. (quam Vill. legit: Παρδάλα πεινε (pro πῖνε), τρύφα, περιλάμβανε: ϑανεῖν σε δεῖ· ὁ γὰρ χρόνος ὀλίγος· Ἀχαῖε ζήσαις) Pers. Sat. V, 151. (qua oc- 463.
casione Vill. laudat librum rarum, at bonae frugis: Persio, tradotto in versi sciolti e dichiarato de Franc. Stelluti Accad. Linceo da Fabriano. Roma 1630. 4.) Hor. Sat. 6, 2, 93. Martial. II, 59. Petron. c. 34. T. I.

p. 193. Burm. (ubi *luxatae* mavult legi quam *laxatae*) Lucret. III, 925. Aegyptiorum morem ap. Herod. II, 78. Plut. de Is. et Osir. c. 17. Sept. Sap. Conv. T. VI. p. 560. s. Reisk. — Senec. Controv. II, 14. (ubi Lipsii coniectura *vivamus*, pro *bibamus*, probatur, coll. Amm.
465. Marc. XVI. 8.) — I. Cor. XV, 32. (quae Paulum non ex proverbio Lacedaemoniorum, ut vetus cod. ap. Montfauc. Diar. Ital. c. 15. p. 212. refert, sed e LXX. Ies. XXII, 13. petiisse monetur) ubi Wetst. plures titulos
466. laudat. add. Grut. p. 609, 3. unde intell. ap. Tertull. *de res. carn.* c. 3. veram lect. esse: *vive dum vivis.* — Plaut. Bacch. V, 2, 76. Paciaudi diss. de veteri Christi crucif. signo in Gorii Symb. T. III. p. 246. ss.

468. 3. Similis sententia in gemma musei Hercul. T. I. Hercul. volum. p. 21. praef. λέγουσιν ἃ θέλουσιν· λεγέτωσαν οὐ μέλι μοι. μέλι pro μέλει editt. scriptum ob loci angustiam putant (ut in alio exemplo Strab. XIV. p. 648. ed. Par. 1620. refert.) Iidem versus duobus aucti his, σὺ φίλει με· συμφέρει σοι, leguntur in *Calvet* diss. sur un monument singulier des Vtriculaires de Cavaillon, à Avignon 1766. 8. (coll. Catull. ep. 5.) Ita plene legitur titulus in Gli atti de' fratelli arvali, secun-
470. dae partis fin. ubi συνφερι pro συνφερει. Tales dialogi in titulis frequentes. V. Anal. Brunk. T. III. Lect. et Emendd. p. 184. Gruter. p. 843. 7. p. 1158. et Marini Atti d. fr. arv. p. 812. qui tres tituli simillimi. In his littera Φ crucis instar picta. Alius eiusdem modi titu-
472. lus Gruter. p. 843, 6. ubi pro Διὸς ἡ χάρις leg. διοσὴ χάρις et pro μισηθείης scr. μισηθῇς, coll. alio titulo p. 1158, 7. Vill. vertit ita:

Si tu me redamas, duplex tibi gratia: amantem
Sin contra odisti, possis tunc perfida tantum
Esse odiosa mihi, quantum nunc grata puella es.

Ant: Si tu me redamas, duplex tibi gratia: si non,

Ah, sic displiceas, ut mihi grata places. Add. et p. 505. s.

4. *Mich. Ardito* edidit diss. de inscr. ΚΑΛΕΔΟ-ΚΕΣ in vase etrusco Neap. Legit ipse Καλὴ ἡδονή. Zanillo 1792. adversatus est in iterata edit. diss. italicae de nummo Καυςανων, primum vulgatae 1755. Scribit; καλὴ δοκῆς. Vill. mavult: καλὴ δοκεῖς. ε pro ει graecis adhibitum. (Ignota erat Villoisono Huschkii disp. de Celedonibus.) 473.

5. Titulus ap. Grut. p. 730, 6. et in D. *Iean François* et D. *Nic. Tabouillot* Histoire de Metz (1769. 4.) T. I. pl. 15. p. 106. melius apud Oberlin. Misc. litt. Argentor. p. 33. legitur. Contra eius interpretationem haec observavit Vill. 1. Nomen ἥρως esse proprium, incertum est. Amicitia videtur juvenem inter heroas retulisse, ut in titulo ap. Belley T. II. Rec. de Caylus p. 264. add. id. T. II. p. 211. Ipsae feminae dicebantur in monumentis ἡρωΐδες. In tit. ap. Spon. Misc. er. ant. p. 335, 41. et Van Dale diss. VIII, p. 627. s. Vill. πεπονηκότι legit pro πεπονηκότα, laboranti vetustate gymnasio. 2. Ηρω etiam feminarum est nomen, construendum in illa inscr. cum μήτηρ (Nomin. pro Vocat. ut in titulo, quem Vill. Panchiae in insula Paro invenit: Διονύσιος Εὐσχήμονος χαῖρε). Itaque Vill. et hic verba coniungit Ἡρω μήτηρ χαῖρε. (Virg. Aen. XI, 97.) De form. χαῖρε v. *Bouhier* in Explication de quelques marbres antiques, dont les originaux sont dans le cabinet de M*** (Le Bret.) Aix 1733. 4. p. 21. Inscriptio quaedam ab eo laudata, fuerat a I. Ant. Astorio in Explicatione vetustissimi monumenti Alcmanis poëtae Laconis, Ven. 1697. rec. in Sallengre Nov. Thes. T. II. p. 789., prolata. Eamdem dederat Spon Misc. erud. Ant. p. 337, 46. et Car. Patin in Comm. in tres inscr. graec. 474. 476. 478. 480. 481.

Smyrna allatas, T. II. Poleni Suppl. Thesauri; tractant etiam Maffei Art. Crit. Lapid. lib. 3. c. 1. (qui ad καὶ σύ γε sc. viator, supplet χαῖρε, ut et in lat. titulis
484 similibus interdum *vale* omittitur) et Paciaudi in Diatr. qua graeci anaglyphi interpretatio traditur, Rom. 1751. 4. iniquus in Buhierium p. XXI. ss. atque σύςεργε, *adquiesce*, legit, quod in lapide sit ΣΤΣΤΕ.... Vill. eam explicationem convellit.

In Notis a Vill. adiectis haec proposita sunt: 1. p. 488. exempla licentiae poeticae in versibus inscrr. graec. 2. ib. laudatur rara diss. *Ioseph. de Seytres Marq. de Caumont* Coniectures sur une gravure antique, qui on croit avoir servi d'amulette ou de préservatif contre les rats 1733. 8. un. plag. Murium unus clamat σύσκηνε βοήθει, alter respondet κρατουμε h. e. κρατούμεθα aut potius κρατοῦμαι. 3. p. 490. nonnulla ex Dav. *Chytraei* Or. de statu ecclesiarum hoc tempore in Graecia, Asia, Boëmia, Frf. 1583. 8., historica afferuntur. 4. p. 491. Eurip. Bacch. 506. cum Pers. Sat. III, 66. s. comparatur. 5. Ib. Auson. epig. 145. (Re fruere, ut natus mortalis etc.) confertur cum Isocr. ad Demon. T. I. p. 21. Battie, et cum gemma ap. Buonarott. Osserv. sopra framm. di vasi di vitro p. 193. (cuius titulum κτῶ χρῶ Vill. illustrat e Chrysost. Homil. X. in ep. ad Phil. T. XI. p. 279. ed. Ven. ubi pro χρῆσις scribit κτῆσις) et alia gemma in Venuti Coll. Aut. Rom. p. 56., Anacr. Od. 4. Virg. Cop. 35. aliisque locis similibus p. 493. 6. p. 493. de gemma, cuius titulum Wetsten. T. II. Novi Test. p. 170. edidit, nonnulla monentur. 7. p. 493. ss. plura exempla litt. Φ crucis signo expressae e numis laudantur. 8. p. 495. s. de duobus Tabouillotis Benedictinis, auctoribus historiae Metensis, omissis a D. François in Bibl. gen. des ecriv. de l'ordre de S. Benoit, à Bouillon, laudatis a Fontette T. III.

nov. ed. Bibl. histor. de la France 1771. — 9. p. 496. de itinere *Olierii de Nointel* in Archipelagum 1673. et marmoribus allatis eorumque fatis. Chandler. in Inscr. Graec. edd. Oxon. 1774. part. sec. p. 70, 107. titulum edidit Nointelianis similem, sed posterioris aetatis. Alii duo simillimi tituli in ecclesia τοῦ Σταυρωμένου reperti, primum editi sunt integri in Maffei Galliae Antiqq. select., 1734. repet. in Mus. Veron. 1749. p. 407. ss. de his p. 498. s. 10. p. 500. In aedibus Franceschi in insula Paro invenit Vill. et hunc titulum:

ΦΙΛΟΥΜΕΝΗ.
ΣΕΙΛΗΝΗΣ
ΕΙΛΕΙΘΥΙΗι
ΕΥΧΗΝ.

11. 12. p. 500. ss. alii tituli sepulcrales in quibus *Have*, *vale*, χαῖρε, inprimis graecus ap. Placentin. de sigl. vet. p. 105. Errores Placentini p. 205. ss. corriguntur, atque versus in dialogi formam digeruntur. De forma litterae Z disputatur. Supplentur et alia, et in Venutio aliisque corriguntur. Optandi formula ζήσαις p. 508. s. illustratur. In gemma (Cab. d'Orleans T. II. pl. 68. p. 178.) Vill. legit Ἀκακι (pro Ἀκακιε) ζήσες (pro ζήσαις).

VII.

Regiae Acad. Christianae Albertinae Prorector et Senatus solemnia Quinquagenaria in honorem Viri perill. exper. atque doctiss. *Ioh. Frider. Ackermanni* A. M. Augusti Regis a Consil. Status, Acad. Senioris, Medic. et Phys. P. P. O. Prim. per integra decem lustra Medicinae Doctoris d. XVII. Sept. MDCCI. celebranda indicunt. *Praemissa est prolusio lustrans copias Medicorum, quatenus inde subsidium sibi quandoque petat Criticus atque remedium ad affectos veterum Poëtarum locos sanandos praesentissimum.* Kiliae Hols. typis C. F. Mohr. 31. pp. 4. mai.

Auctor doctissimae commentationis est *Torkillus Badenus*, Phil. Prof., is, qui antè hos tres annos edito Senecae Hercule Fur. egregium futurae omnium tragoediarum Senecae editionis dedit specimen. Etiam hic libellus locis Senecae pluribus tractandis occupatur. In Sen. Hippol. 641. s. ubi vulgo hi versus leguntur:

intimas saevus vorat
Penitus medullas, atque per *venas* meat
Visceribus ignis mersus et *venis* latens etc.

Ian-

languere orationem patet. Cod. Flor. omisso versu *Penitus — meat*, scribit: — *intimis ferit ferus* Viscer. ign. m. e. v. l. sed verbum *ferit* punctis notatum et in margine *vorat* adscriptum. Gronov. reposuit *saevit*. Sed versu illo (642.) omisso vix potest sententia constare. Itaque Heins. legit: *intimis saevus furit* Penitus *medullis* a. per ven. m. Vi. sc. i. mers. et *fibris* lat. — *Medullas vorantem ignem* cur repudiemus, causa non est. (cf. Virg. Aen. IV, 66.) Nihil mutat Bad. nisi quod v. 643. scribit — et *nervis* latens. Nam *venis* et *nervis* non modo alibi permutata sunt (Lucret. III, 574.) sed potuit h. l. error facilius e praeced. vocab. existere. Simile mendum Sil. Ital. II, 467. ubi cum praecesserit *excurit siccatas sanguine-venas*, et paucis versibus interiectis sequatur: *venis* male iuncta trementibus ossa Exstent; pro *venis* B. legit *nervis*. His enim, non venis, ossa iunguntur, cf. Sen. Herc. Oed. 1229. Et solent *viscera*, *nervi* atque *venae* copulari, quando ratio redditur sensus, quo corpus afficitur. v. Lucr. II, 904. III, 218. Lucan. VIII, 672. Et animi concitatio atque morbus iam ita apud Phaedram inveteraverat, ut quasi venis et medullis insideret. cf. Senecae Ep. 114.

In eadem Trag. v. 832. *candore pallere* Pirithoi genae dicuntur, inepte. Recte cod. Flor. *pallore canderent*, h. e. albescerent. Sic Tacit. Ann. XV, 64. *membris in pallorem albentibus*. Pers. Sat. III, 115. *timor albus*.

Oedip. 224. Torpor *insedit per* artus. Ob insolentiam structurae cum edd. vett. legendum: *incedit* per — cf. Stat. Theb. V, 239. VII, 360. Sen. Herc. Fur. 414.

Thyest. 504. *spirat* ira sanguinem. Ascensius invexit *spirat*. Antea fuerat *sperat*. Wakefield. ad Lucr. V, 393. praefert *spirat*, quia spirare bellum, praelia dicitur,

Bad. *spirare bellum* esse ostendit viri ad pericula animosi, *sperare sanguinem* animi hostilis et infensi. Auctor formulae Virg. Aen. XI, 491. Inde *sperare cruorem* Sil. Ital. VIII, 7. add. Lucan. VII, 183.

Absurdius *ira* dicitur Thyest. 553. *cecinisse bellum.* In cod. quo Bad. utitur scriptum: *genuitque bellum.* cf. Manil. Astr. II, 876.

In Herc. Fur. 705. cuncta moerore horrida Iacobs. in Anim. in Eur. Trag. p. 326. mutat in *paedore* horrida, quam form. ex fragm. tragici incerti, et ex Lucr. VI, 1267. confirmat B. Idem tamen monet, vulgatum servari posse, cum poedor et squallor Moerorem consequantur (Stat. Theb. II, 440. VIII, 559.), et Attius dixerit *luctu horrificabili.*

Herculem moribundum (in Oeta) indocta librariorum manus non mitius excepit, quam Nessus. V. 1221. s. bis legitur *iecur*, et imperite eius cum pulmone fingitur commercium. (v. Cels. IV, 1.) Sed nec Gronov. *decus pulmonis* placet, nec Heinsii *cor eius pulmonis*. B. corrigit: *vigor* pulmonis, h. e. ille vigens quondam pulmo. (ut *pulmonum vi*, Cic. Tusc. I, 16. et *pulmonum spiritus* in Soph. vers. ib. II, 8. add. Sen. Oed. 368.)

Thyest. 761. 763. inepte geminatum est *amputat.* Nam *amputare ossa* sensum h. l. non habet. Barth. Advers. X, 25. totum versum (763.) amputavit. Sed obstant libri optimi. Verbum *lancinare*, quod Heins. v. 761. reponit (h. e. in particulas diducere, Sen. Ep. 52.) in *lacertorum moras* h. e. articulos particulatim sectos, non in humeros convenit (cf. Stat. Theb. IX, 268.) Recte paulo post *lancinat* legitur. Bad. v. 763. reponit: atque ossa *impetit.* Est hoc invadere, vexare, ossa. v. Sen. Agam. 904. Lucan. VI, 223. (quibus locis etiam erratum a librariis, ut et Luc. VIII, 672. IV, 446.). Vocalium, quae in *impetit* et *amputat* facta, confusio corrupit locum

Flori II, 2, 31. ubi a nemine explicata *imperia gentium* Bad. mutat in *emporia* g.

Herc. Oet. 1806. Pro *exsectus infans* (respicitur ad Bacchum eiusque matrem Semelen) B. legit *exceptus* i. quod excipere idem est quod eximere, extrahere (eripere Ovid. Met. III, 310.) ut v. 1335. *Excipite*, ubi contra codd. editur: *Eripite*. Est etiam *Excipere* proprium obsteticibus verbum. Bernart. ad Stat. Theb. I, 60. Recte in Herc. Fur. 457. dicitur *eiectus* puer, ubi perperam Heins. coniicit: *ereptus*. Eiicere, proiicere, ἐκβάλλειν propria sunt de foetu immaturo. (cf. Eurip. Bacch. 91.)

Ex physica quae redundent in crisin poëtarum commoda, his exemplis p. 19. ss. docetur. In Sen. Hipp. 1007. ubi *mare tumuit*, Heins. cum codd. nonn. scribi iussit *tonuit*, ut in Sil. Ital. IV, 640. idem *Intonuit* praefert lectioni vulgatae: *Intumuit* Trebia. Tamen de tonitru maris silent poëtae. Nec Barn. atque Drakenb. rationes, quibus lect. *Intonuit* defendunt, valent. *Tumuit* ap. Sen. et *intumuit* ap. Sil. defenditur simillima imagine Ovid. Met. XI, 497. Tumere dicuntur, qui accenduntur ira; et ut ap. Sen. *mare ex alto tumuit*, ap. Sil. stagnis se sustulit imis: ita Stat. Theb. IX, 523. *ventis* alte cum elata *resedit* tempestas. Ap. Cic. in Prognost. (de Div. I, 7.) mare *subito penitusque tumescit*. Etiam in Sen. Med. 765. Heinsius *tumuit* in *tonuit* mutari maluit. Venefica effecit ut mare tumeret sine vento, quod ex naturae legibus fit ventis impellentibus. Ovid. Met. I, 36. Tibull. IV, 194. Ovid. ex P. II, 3, 27. ubi etiam unus Cod. *tonuerunt* (ex v. 24.). Quamquam ventus mari intonat (Valer. Flacc. II, 366.) tamen aequor non tonat vento. Aequora infesta et rabie tumentia non secus quam animata. Virg. Aen. VI, 48. coll. Sen. Agam. 525. 540.

In Oedip. 39. improprie sol dicitur augere Canis aestum, cum inversa ratione Canis augeat solis flammam. Manil. V, 207. Valer. Flacc. V, 369. (ubi non cum Burm. scribendum *autumnos ignes;* imo *ignes* pro sole, ut Sen. Thyest. 833. quem locum male sollicitat Heins. coll. Herc. Oet. 1110., Ovid. Met. I, 778.) Auson. Carm. 332. 16. Prudent. Cath. XII, 22. Sen. Quaest. nat. VII, 27. In illo igitur Oed. loco e vestigiis cod. Flor. scribendum: *igne frigit*, h. e. torret (Virg. Ge. IV, 425.) coquit (Plaut. Aulul. II, 4, 46. add. intrp. Flor. Prooem. I, 8.) Restituit illud verbum Ovidio (Medic. Fac. 70.) Heinsius.

In Thyest. 699. iungendum est voc. *atrum* non cum voc. *limitem*, sed referendum ad *sidus*. *sidus atrum* (h. e. infaustum, triste, ferale) trahens limitem, i. e. longo spatioso limite, est cometa. v. Auctor. Octaviae 232. Ovid. Met. XV, 849. Virg. Aen. II, 697.

Obiter monetur p. 26. in Celsi praef. I. p. 13. Kraus. nihil esse mutandum. *Profectus* est usus medicinae, quo significatu voc. adhibuerunt etiam rei rusticae scriptores. In Pedon. Albinov. El. in obit. Maec. 4. scribitur: Longius *annosa* vivere dignus *ave*. Vulgatur *annoso-avo*. Avem annosam suppeditat Horat. III, 17, 3. Sic medicam manum multis locis feliciter adhibuit auctor, non tam veterum medicorum copiis (quod index libelli significare videbatur) quam suis recte usus.

VIII.

Ad audiendam Orationem qua munus Profess. eloqu. et Poet. ord., in Acad. Giessensi auspicabitur humanissime invitat *Christianus Theophilus Kuinöl. Praemissae sunt Obseruationes in Propertium.* Giessae 20. pp. 4. MDCCCI.

Rector Acad. Ludovicianae solennia noui Rectoris eligendi die 29. Sept. celebranda indicit. Giessae eod. a. *Obseruationum in Propertium specimen II.* (*Kuinölio* auctore) 14. pp. 4.

Karnelia, ein elegisches Gedicht des Properz von Friedrich Carl von Strombeck, als Probe eines deutschen Properz. Wolfenbüttel, bei Albrecht, 1801. 29. pp. 4. mai. (h. e. *Strombeckii* versio germanica metrica postremae Propertii elegiae, specimen vernaculae interpretationis omnium elegiarum Propertii, cum adnotatt.)

Comparatis non modo, quae in commentariis ad Propert. edd. prolata sunt, sed et interdum iis, quae Viri docti (Mitscherlichius, Astius, Huschkius et alii) singularibus libellis disputarunt, defendere, explicare, emendare nonnulla loca duobus his libellis coepit Kuinoel. V. C. Sunt autem haec:

I, 1, 12. *videre feras* defenditur. Est παπταίνειν. Theocr. Id. XVII, 10. VI, 28. circumspicere, obseruare, investigare; ut *gloriam videre* Liu. II, 12. est appetere.

eam. Sensus: venatum ibat. *ferire* quod Burm. recepit, frigere videtur.

V. 33. s. *Venus* non Cynthia, sed Dea est amantium (Hor. Od. I, 19, 9.), nam v. 34. commemoratur *Amor*, et v. 31. *Deus*, ἡ Θεός, est Venus (Fisch. Anim. ad Well. I. p. 368. Virg. Aen. II, 632. VII, 497.) *Noctes amarae* ex El. II, 17, 3. coll. v. 1. Tib. I, 2, 15. intelliguntur. *Exercet* est, crebro inducit (IV, 3, 29.), frequentat; quo sensu et *fatigare*. (Heyn. ad Virg. Aen. VII, 94. *Vacuus tempore Amor* hypall. pro tempore vacuo a cruciatibus Veneris, ut II, 23. 22. furta pudica tori, sunt *pudici* tori. Sensus: Venus et Amor me perpetuo, omni tempore, exercent. Tib. III, 4, 11. Ovid. Epp. XII, 169. (At *nostra Venus*, ex opposit. Dei (Amoris) qui facili ore adnuit, tamen videtur esse Cynthia; alioquin *nostra* foret nobis fauens, quod de Venere nunc dici non potuit. Cynthiae *noctes amarae* magis conueniunt. Astius, quem h. l. non contulit K. interpretatur: *meus amor*, h. e. ego amans.)

El. IV, 13. *Ingenuus color* est, natiuus, non adscititius, non fucatus. Ter. Eun. II, 3, 25. Sed quia antea poeta ostenderat, se formam laudare nolle, cum Ayrmanno K. legi mauult, *ing. pudor* (II, 24, 4. Iuven. Sat. XI, 154.) Non pudica erat Cynthia, sed laudare eam poeta vult, et hac ipsa laude carpere. (Quid si *color* non ad faciem, sed ad omnem habitum puellae, ingenuae indolis indicem, referatur?)

El. V. *Gallus*, homo vanus, rogauerat poetam, vellet ipsi aditum ad Cynthiam parare, cuius animum se, imaginibus suis et nobilitate confisus, facile flectere posse sperat. Propertius eum grauiter, urbane tamen, ab hoc amore dehortatur.

Vers. 2. *cursu ire pares* h. e. noli meam et Cynthiae concordiam, amorem, turbare. Metaph. ab equis, pa-

riter in iugo currentibus. Theocr. XII, 15. Wart. ad Theocr. XXVII, 7. Mitscherl. ad Hor. Od. II, 5, 1. (Similiter et Astius.)

V. 15. *mixtis*-fletibus legi vult Burm. probante V. D. Bibl. Crit. Vol. II. P. II. p. 7. Potuisse et *multis* legi censet K. coll. Drak. ad Sil. V, 380. At vulg. *moestis* recte defendit e Virg. Georg. IV, 515. Aen. XI, 38: Tib. I, 1, 62. Catull. 38. 8.

V. 19. Comparat Eurip. Bacch. 506. atque ipsam suauissimam hanc picturam illustrat.

V. 25. *vestigia culpae.* Etsi Heinsii coniecturam (*vest. curae*, h. e. doloris) ingeniosam esse fatetur: retineri tamen iubet *culpae*, quod sit *poenae* (ut Plaut. Capt. II, 3, 43. Ter. Hec. IV, 4, 10.) scil. te exclusum fuisse.

El. VIII. Praeclare hoc carmine varios animi motus amatoris amica sua priuandi, iram, vindictam, animumque ob amorem reconciliatum, exprimi monet cum Barthio; assentitur autem Lipsio (Varr. Lectt. II, 18.) censenti, inde a v. 27. novam incipere elegiam, scriptam, cum poeta Cynthiae animum flexisset.

V. 15. Non opus esse coniecturis docet. Illa *infesta manu*, i. e. crudeli, sibi pectus tundebat, capillum vellebat, genas lacerabat. Ovid. Am. III, 9, 10. AA. I, 503. ss. Virg. Aen. IV, 589. XII, 604. s.

V. 23. *Nec me deficiet*, i. e. rogare assidue non cessabo. Hellenismus, Soph. Oed. T. 1232.

IX, 7. *peritum* scil. dicere, quos iuuenes quaeque puella domet. Iacobsii coniectura (Ep. ad Astium p. XVI. — *peritum Vatem: utinam* —) languere auctori videtur. Ipse pro *Atque* v. 8. legi mavult *Atqui* (quo nec ipso opus est.)

V. 23. *praebuit alas* aduersus Iacobs. tuetur. Imaginem repetit a ludo puerorum, ubi puer aviculam manu tenet filo alligatam, quam altera manu euolare sinit,

altera retrahit. Pollux IX, 124. s. Kust. ad Arist. Nub. 760. Sic Amor h. l. pingitur manu tenens filum amatoris alligatum, et modo premere, i. e. reprimere, modo laxas dare habenas. Anacr. fragm. 4. iis addit, quae Iac. laudauit. Sententia simplex: numquam Amor cuiquam amanti adeo facilis est, ut non interdum eum cruciatibus afficiat.

V. 30. ubi vulgo legitur: *aufuge;* Burm. edidit, *effuge:* praeplacet auctori emendatio Boltii in Silva Crit. *ah! fuge*, cum ultima syllaba praeced. vocabuli *as* et *ah* parum differant, et Prop. *ah* ita interponere soleat.

V. 34. *quo* pereas non mutandum in *qua* p. *quo* scil. amore, ex seqq. repetendo. Similiter IV, 1, 148. (Aliter expedit Astius.)

X, 15. *diuersos* i. e. sibi contrarios, iratos. *Divisos* in codd. nonnull. e glossem. (fort. ex II, 7, 3. et 33, 5.); et saepe *diuersus* atque *diuisus* permutantur. Oudend. ad Lucan. Phars. II, 121. *Tardas* (similiter ut Astius) defendit coll. Hor. Od. I, 25, 4. s. *curas recentes*, eorum, qui in amore tirocinium ponunt.

V. 30. *nunquam* referendum ad *vacuo* et *liber:* qui servi personam sustinet, officiosus est, cui nunquam pectus ab amore in puellam vacuum. El. IX, 27.

XI, 21. *An mihi sit maior* etc. Haec antiqua lectio defenditur cum Burm., quia vulgatum *an mihi non m.* ferri non potest, *nunc* autem (*An mihi nunc m.*) quod Beckius proposuit, frigere videtur, Propertius autem repetere eadem vocabula nonnunquam solet ut XIV, 11. s. XIII, 35. s. (Tum certe in seq. versu pro *Aut sine* etc. legi malimus: *An sine* etc.) Ad sensum Tib. III, 1, 55. confertur.

V. 23. *tempora laetitiae* (h. e. laeta, tibi debeo omne meum laetum tempus, tu laetitiae mihi sola cau-

sa fuisti, Ovid. Her. X, 18.) tuetur aduersus Burm. inelegantem coniecturam.

El. XII. Poeta amico respondet, se, quo minus ad ipsum veniat, non consuetudine Cynthiae, sed moerore ex eius itinere contracto retineri. Dolet Cynthiae absentiam (non dissidium, ut interpp. volunt.) Nam quae dicuntur de perfidia eius, ideo dicuntur, quod amor est suspiciosus.

XIII, 1. s. Poetae nunc de perfidia puellae, quam dudum metuerat, persuasissimum erat. *Perfidum* Gallum ambigue appellat, partim quod amicitiam poetae laeserat, partim respiciens ad eius inconstantiam in amore.

V. 7. s. *tardis curis* interpretatur K. non levibus, sed amore constanti, secus quam Passerat. Pro *lapsus* cum Burm. scribit *lassus*, quae vocabb. saepe sunt confusa, ut Martial. II, 6, 14. v. Drak. ad Sil. Ital. X, 606. intpp. Curt. IV, 5, 10. Metaph. a gladiatoribus ducta, qui *abire gradu* dicuntur, cum vi aduersarii compulsi loco cedunt. v. Brukhus. h. l. et Gron. ad Sen. Agam. 515.

V. 17. *optatis* defendi possit ex Ovid. Met. III, 689. *Sperato* collo, Huschkius coni. *oblatis*. Praeplacet C. Barth. et Burm. emendatio *aptatis*, i. e. vinctis. aptare et *optare* confunduntur Hor. Epp. I, 1, 69. Mutuis osculis amantes dicuntur spiritum invicem captare, vel animas transfundere. Petron. c. 79, 132. *Potui* pro potuissem; *diducere*, brachia vincta collo diuellere.

V. 25. Sensus: una die potuisti furore, ardore, omnes superare amantes; haud tepidos (flammantes) sub pectore sentis ignes. *Subdidit faces*, quia antea de Herculis rogo dicitur. *Iove digna*, quam amet et rapiat. Videtur poëta laudes, quibus Gallus puellam ornaverat, repetere, eisque insultare.

El. XV. Levitatem puellae notat, quae cum antea, periculo poetae nunciato (quod in itinere Athenas suscipiendo videtur adire potuisse, coll. El. XVII.) colorem mutasset, mox, amatoris periculi oblita, nimium formae cultui tribuit. Graviores Hypsipyles et Evadnes fuerant amores.

V. 13. s. Mens poëtae esse videtur: illa, quamvis numquam posthac visura, dolebat tamen ita, ut praeteritae voluptatis recordatio, dolorem aleret et acueret. (Offendit ita τὸ *quamuis.*)

V. 27. s. Sententia, aliter quam Burm. Sant. et Vulp. fecerant, exponitur ita: Si perfidiam tuam dii, quos tu nimium audax irritas, punient: dolitura recordaberis mei periculi, desidiae perfidiaeque tuae. *Dolere* cum Abl. ut Virg. Aen. I, 669. Liv. XXXIX, 43.

V. 41. *Quis* non ad blanditias referendum, sed intell. luminibus, quae me fefellerunt: *moniturus* sc. exemplo et verbis sequentibus. Tib. III, 6, 43. *O nullis* etc. i. tutum est neque iuriiurando, neque pallori, nec lacrymis feminarum nimium credere.

XVI, 9. *infamis* (antiqua Accus. terminatione) iungendum cum voc. *noctes*, et *dominae* in dat. accipiendum, ut *defendere* struitur Virg. Ecl. 7, 47. Hor. Od. I, 17, 3. Non possum a domina mea infames noctes auertere, propulsare. Ita *defendere* Cic. p. Mil. 4. Valer. Max. VI, 5, 2. et Daum. ad Caton. dist. p. 77. s. Arntz.

V. 13. s. *Haec inter* i. interea dum domina intus turpiter viuit. *querelis* sc. in, inter graues querelas. *Supplicis*, amatoris exclusi, qui in me modo minas iacit, modo blanditias dicit. Solebant amatores exclusi canere ante fores amicarum cantilenas amatorias, quibus et ianuam alloquerentur, παρακλαυσίθυρα, Hor. Od. III, 10. Theocr. Id. 23. Tib. I, 2. etc. *tristior* ipso

amatore excluso. *longas excubias* cum nunquam postes mei quiescant, qualibet nocte domina intus Veneri pervigilium solvat, amator exclusus limina corollis et floribus operiat, ac cantilenas canat. Constr. inter has graves querelas supplicis, ego ipso longe tristior, cogor deflere longas excubias.

V. 22. *Turpis* (pro vulg. *Tristis*) praeplacet K. ob I, 5, 26. coll. v. 13. *Turpis somnus* sc. amatoris exclusi et contemti. Pro *tepido* mavult *tacito*, turpis somnus in limine tacito; cum limen sit tacitum, somno obruitur amator. Variis imaginibus exornatur notio *ianuae clausae*.

V. 37. s. Subint. iis verbis quae solet dicere iratus. Minor versus haud dubie corruptus est: *Waardenburgius* Obss. Crit. in Prop. Spec. IV. p. 5. legit: *Quae solet iratus dicere multa dolor*. At nec *dolorem* constat *iratum* dici, nec placet *multa*. K. legit: *Quae solet ingrato dicere turba ioco*. *turba* (quod in nonn. codd.) sunt praetereuntes, qui vident turpes corollas pendentes, carmina foribus incisa, faces in limina abiectas. *ingrato* sc. ianuae et dominae. *Iocus* et *locus* saepe permutata. v. Heins. ad Ouid. Fast. I, 299. etc.

V. 43. ss. *Votum* dicitur etiam res ipsa dicata (Virg. Aen. III, 279.), h. l. corollae, serta, rosae (Ovid. A. A. II, 527.) — *occultis manibus*, eleganter, pro: ipse occultus, clam, furtim. *quae novistis*, quae alia huius generis dici et cantari scitis. Pro *et matutinis* cum Heins. leg. *heu mat*. — *obstrepit*, cum avibus matutinis (gallis) canit, eas interpellat. *vitiis*, luxuria, libidine, perfidia. *differor*, distrahor, *invidia*, odio. Dominae vitia et perpetui amantium fletus me reddunt odiosum. Sic *differre* Petron. 10. ubi Burm.

In Specim. II. El. Lib. I. XVII, 3. 4. Burmanni emendationem admittit, ita tamen, ut Cassiopen non

urbem Epiri (quo saepius iter fecisse Propertium, non doceri potest) sed signum coeleste intelligat. Sermo est de procella et tempestate in mari orta. Itaque invocat Alcyonas, aues querulas et solitarias, quae mare placidum reddere credebantur. (Ouid. Met. XI, 745. s.), quaeque a poëtis saepe in exemplis amoris coniugalis et perpetui laudantur. Simplicem Pr. exprimere voluit hanc sententiam: nulla stella apparet, coelum nubibus atris est obductum, ne vestigium quidem stellae conspicitur. Commemorauit Cassiopen, sidus fulgens, pro quouis alio sidere, ut simul Cynthiae superbiam carperet. Nam Cassiope, Cephei uxor formosa, se Nereidibus praetulerat (Heyn. ad Apoll. p. 305.) quam ob rem Cepheus filiam ceto obiicere coactus est (Ovid. Met. IV, 737. ss.) *Mihi* pro *mea*, ut El. XIX, 3. Passerat. h. l. *solito*, ut solet, tamquam lucidum sidus.

V. 11. *reponere* pro simpl. ponere, proponere. (Liv. 41, 23.) ut *reposcere*, pro poscere (Suet. Aug. 42.) et alia verba a *re* composita. Don. ad Ter. Andr. III, 2, 28. Serv. ad Virg. Aen. X, 766. Fisch. ad Vuell. III, II, 165. Sensus: num tibi poteris meum naufragium ante oculos ponere, ita ut sicci maneant?

V. 19. *illic* i. Romae. *Sepelissent dolorem* poëtice, me dolentem et miserum. *ultimus lapis*, cippus sepulcralis. *posito amore*, amatore reposito, sepulto. Est *ponere* sepulcrale verbum (Ouid. Fast. V, 480. Lucr. III, 884. — ut et τιθέναι), et *stare* verbum pr. de statuis. V. Burm. ad Anth. I, 65, 10. Non opus est, ut pro *amore* legatur *honore*.

V. 21. ss. Burmanni emendatio *rasas donaret* — *crines* reiicitur, utpote parum necessaria; *caros* — *crines* amorem et desiderium Cynthiae magis pingere, crines in quibus colendis multum operae ponebat. (Num, ut φίλος ap. Hom. loco pronominis?) Solebant crines se-

care iisque rogum aut sepulcrum conspergere. Hom. Il. XVII, 235. Eurip. El. 90. Call. in Dian. 126. ibique intpp. *tenera rosa* sc. *iu.* Prope tumulum et in urna aut sarcophago flores, maxime rosae sternebantur. Moll. ad Long. Past. p. 33. Kirchman. de fun. IV, 2, 3. *extremo puluere* ablatiui absol. de cinere in urna condito. Ter variis formulis discedentes alloquebantur mortuum. Theocr. Id. XXXIII, 44. Catull. Cl, 10. Ouid. Fast. IV, 852. — Hom. Od. IX, 65. Virg. Aen. III, 67. VI, 505. — *Vt mihi* v. 24. (quod a *clamasset* pendet) pro *Tum mihi* codd. auctoritate. Tibull. II, 4, 49. *Candida vela* prosperi cursus et secundae fortunae indicium. Sensus: cursum felicem praebete. Imaginem poeticam fortassis e pictura quadam desumtam esse coniicitur.

XVIII, 2. *hoc vacuum* cum cod. Guiet. legi iubet K. *vacuum* sc. incolis, unde *possidet* est tenet, ut Lucan. II, 454. cf. Burm. ad Petr. c. 114.

V. 21. *teneras* umbras defendit auctor, (ut et Astius p. 15.) et explicat molles (ut Virg. Ge. III, 364.), e gr. ἁπαλὸς Theocr. 29, 20. 15, 113. — *tremulas* quod Burm. reponi voluit, e gloss. enatum videtur, etsi *tremula umbra* Stat. Theb. V, 749. ut leuis Tib. II, 5, 95. ubi Heyn. De more, arborum corticibus nomina inscribendi, laudantur Theocr. Id. XVIII, 47. Virg. Ge. I, 16. Lucian. T. II. p. 416.

V. 27. *fontes diuini*, ut *sacri*, dici possunt. Apoll. Arg. I, 1208. Theocr. Id. VIII. 33. At desideratur epitheton, quod molestiam quandam significet. Inde variae VV. DD. coniecturae. *fontes* certe retinendum est, quia in codd. plurimis legitur. Coniicit K. *deuexi fontes*, h. e. ex altis montibus cum impetu decurrentes, unde iis *frigida rupes* adiungitur. Strepitus talium amnium continuus et unisonus tristis animi auget tri-

stitiam. *Deuexus* (καταφερής) amnis Virg. Ge. IV, 293. *Datur* ad *fontes*, *quies*, et *rupes* referendum. Verbum singulare interdum duobus pluribusue substantiuis respondet. Hor. Od. I, 3, 1. ss. Cort. ad Sall. Cat. 25. Fisch. An. ad Well. III, II, p. 61.

XIX, 7. *Illic* pro quo Astius *Sic et*, Iacobsius *Olim et*, legi maluerunt, defendit ita ut *illic* positum accipiat pro *ille*, ut Ter. Adelph. III, 3, 84. Andr. III, 5, 1. Plaut. Amph. I, 1, 167.

V. 16. Cur *Telluris* mentio facta sit, non patet. Contortae sunt et parum probabiles quae vulgo proferuntur, verborum explicationes. Probatur Burm. emendatio: — *et Venus hoc, si Dea iusta sinat.* Ratio autem, cur Veneris mentio sit facta, alia affertur. Nimirum poeta, qui de sua post mortem apud inferos commoratione loquitur, cogitat Venerem, quae formosas feminas omninoque amantes laetis reponat sedibus. Similis locus Tib. I, 3, 57. s. (Ad Astii rationes auct. non respexit. Is legi iussit: *At Tellus* — et Tellurem commemorari putauit, quod ossa poëtae, urnis inclusa, esset acceptura, *iusta*, si, quod iure fit, tribuit atque concedit.)

In v. 19., qui VV. DD. exercuit ingenia, coniicit legendum: *Quas si viua mea possit sentire fauilla*, i. e. utinam meus etiamnum spirans (ita *viuus* Hor. Od. III, 21, 23. Ouid. Fast. IV, 739. 553. Virg. Aen. III, 573.) cinis sentiat tuas lacrymas, et per eas exstinguatur. (Offendit in hac lect. *mea*.) Wardenburg. scribit: *Quas si, vita, mea possim sentire fauilla.* (Durius!)

XX, 41. *formosae undae* sunt, quae formosam Hylae imaginem referunt. cf. Virg. Ecl. II, 25. Valer. Flacc. III, 557. — *nescius*, miratus in fonte imaginem suam pro puerili simplicitate. Ita *inscius* Virg. Aen. VII, 381. — *errorem* (quod corpus esse existimat, quae umbra est)

reddit longiorem, blanda simulacra in fonte spectans diutius.

V. 45. Pro vulg. *Cuius ut* — cum Heins. legit *huius at.* — *destituere* etc. est intermittere choros, quos nymphae in undis ducebant (Theocr Id. XIII, 41.) *leuiter* refer. ad *traxere. facili* liquore est, facilius cedente. *rapto corpore* est ipse raptus. *Sonitum fecit* non per lapsum corporis, sed incondito et obscuro clamore. V. 49. nihil (cum Fonteinio et Huschkio) mutandum. Propertius fabulam aliter tractauit, quam Theocr. *ab extremis fontibus* est, ab imo fonte. *aura*, echo.

Strombeckius, Vir generos., qui iam in hoc interpretandi genere se aliquot inde ab annis exercuit, non leuiter versatus est in ultima elegia vertenda, verumtamen incidimus in loca parum et perspicua et expolita. Vnum speciminis causa apposuimus (V. 37. ss.):

Sey mir Zeuge, von Rom zu verehrende Asche der Väter,
Unter deren Trophä'n Afrika's Sklaven-Gestalt;
Zeuge sey Perses, der stolz Muth zeigte Achilles, des Ahnherrn,
Und der Ahn, der, Achill, einstens getilgt dein Geschlecht.

Haec respuere aures poëticas, facile concedetur. Nostrum vero consilium nos iussit potissimum ex animadverss. nonnulla decerpere. Primum interpres et oeconomiam carminis et veneres bene exposuit. Vellemus tamen eum in naturam sensuum et nexum paulo altius descendisse.

Ad v. 4. censet mythum de portis inferorum ex adamante factis (coll. Virg. Aen. VI, 552. s.) esse serioris originis, quia vett. graecis ἀδάμας omnino de durissimis, singulatim ferro et chalybe, usurpatum. Quid vero? si h. l. ita accipiatur?

V. 8. *herbosos rogos* defendit atque explicat de tumulis sepulcralibus, in quibus flores et herbae crescant. Facilius certe monet rogum de tumulo, quam cum Barth., de ossibus, accipi. *umbrosos*, quod Knebelius alius vernaculus interpres sequitur, codd. auctoritate destituitur.

V. 15. *Damnatae noctes* sunt noctes inferorum (ubi damnati sunt), teterrimae. Flumina Orci erant partim lenta et paludosa (Cocytus, Styx), partim rapida (Acheron, Phlegethon), Illa h. l. intell. coll. Virg. Aen. VI, 294. 322. 547. 701. et Heyn, Exc. ad VI. Aen. Virg. *T.* III. p. 334.

V. 19. Iudicium inferorum plane ad Romani exemplum poeta confinxit. Si Pluto non ipse de me iudicare vult, sorte constituet iudicem quaestionis s. quaesitorem, ut in caussis capitis apud Romanos. Virg. Aen. VI, 249. et Heyn. Exc. T. III. p. 340.

V. 36. *adspersas comas* praefert St. lectioni aliorum: *acceptas* — ut multo elegantius. Sponsae crines solebant adspergi, rigari, atque tum maritali vitta cingi. V. nost. IV, 3. V, 15.

V. 39. s. lectionem ed. Barthii tuetur. Sententia nobilissima existere videtur, si Cornelia non modo maiores laudat suae virtutis testes, sed ipsum etiam Perseum, inimicum gentis Aemiliae.

Miramur interpretem in v. 70. omnino non haesisse. Sensum invenit hunc: cum tot mala (quot?) meam mortem possint acerbiorem reddere. Quomodo vero? Simplicissimum videtur legi: aucturis *non* mea fata malis. Lubens morior, nam auguror, non alia mala (interitum liberorum) meae mortis acerbitatem auctura, secutura, esse.

Cautam novercam V. 86. non putamus cum Str. esse callidam, sed, quae facile suspicionibus locum dat.

V. 103.

V. 103. Legit: *coronatis — equis.* Coniicit enim, Augustum carae sibi privignae corpus triumphali curru coronato ad rogum vehi iussisse, quod cum offendere posset Romanos, poetam ita veluti excusasse. *Lethes aquas* non dici *honoratas* posse censet.

Reliquae animadverss. pertinent maxime ad historiam. Non videntur interpreti innotuisse, omninoque parum nota esse, *Io. Ern. Chr. Schmidtii,* nunc Theologi Giessensis, observata in Sex. Aur. Propertii quaedam loca, quae a. 1794. (16. pp. 4.) edidit, quibusque hanc ipsam elegiam tractauit. V. 8. ille *umbrosos* retinet, sed *rogos* mutat in *lucos* (cui coniecturae occasionem dedit Schraderi ratio legentis *locos*). Lucos accipit de nemore, per quod via ad inferos et ipsam Charontis cymbam duxit. Virg. Aen. VI, 384. ss. Poetam enim quantitatem voc. *lucos* consuetam neglexisse, cuius negligentiae et alia habeantur exempla. At obstare omnis loci ratio illi coniecturae videtur. Respici putat ad fabulam de Alcestide ex inferis ab Hercule reducta maritoque restituta (egregia tabula Tischbeinii expressa.) V. 61 — 75. utramque Santenii transpositionem improbat. Nam tria disticha, quae loco suo movit, et quibus Cornelia filiam alloquitur, arcte cum antecedd. cohaerere, nec locum tueri, quem illis dedit, cum non adsint, ad quos bene referantur verba: *serie fulcite genus,* si antea solam filiam allocuta sit. Itaque ordinem versuum vulgarem servari mavult, eiici tamen ea quae de fratre Corneliae agunt, tamquam importuna et e margine illata. Scribi igitur ita iussit:

Et tamen emerui generosos vestis honores,
 Nec mea de sterili facta rapina domo.
Te Lepide et te Paulle, meum post fata leuamen,
 (Condita sunt vestro lumina nostra sinu)

Vidimus; et numquam mater lugubria sumsi;
Venit in exsequ. etc. Non tibi commendo etc.

Sic et in seqq. (v. 93. ss. Sant. 89. ss. edd. priorum) textum et ordinem vulg. defendit: *discite* ad filios refert; tum si post verba *iuuat esse sen.* sequitur illud distichon: *Filia tu specimen* etc. recte posthac legi illud potest: *Et serie fulcite genus* etc. V. 102. Heinsii coniecturam improbat, quod Cornelia non nunc dici possit sperare, se tumuli auorum fore participem, cum iam tumulata sit. Praefert igitur Santenii correctionem. Manent etiamnum loca nonnulla huius elegiae retractanda, verum de iis licebit alio tempore disputare.

IX.

C. G. Siebelisii Observationes criticae in aliquot Apollodori loca.

Lib. I. cap. 9. in. p. 40. ed. Heyn. Τῶν δὲ Αἰόλου παίδων Ἀθάμας, δυναστεύων Βοιωτίας ἐκ Νεφέλης τεκνοῖ μὲν παῖδα Φρίξον, θυγατέρα δὲ Ἕλλην. Si quis Apollod. I, 7, 3. ubi septem Aeoli filiorum indiculus exhibetur, comparaverit cum I, 9, 1—11. ubi eorundem res subinde exponuntur, initio ab Athamante facto, is statim animadvertet, in nostro loco post Ἀθάμας omissum a librariis esse μὲν, respondens particulae δὲ reliquorum Aeoli filiorum nominibus deinceps subiectae, Σίσυφος δὲ, Δηϊὼν δέ, etc. §. 3. 4. 5. sqq. Itaque nos h. l. istud μὲν in suam sedem restituendum putamus, non verentes, ne cui haec vocula paucis interiectis verbis repetita offensioni futura sit, quippe quam in eodem periodi membro ingeminatam saepius reperiri constet. Sic in ipso Apollod. II, 7, 8. ἦσαν δὲ παῖδες αὐτῷ ἐκ μὲν τῶν Θεσπίου θυγατέρων, Πρόκριδος μὲν Ἀντιλέων καὶ Ἱππεύς. Lysiae Epitaph. II, 2. Ἀμαζόνες μὲν γάρ, Ἄρεος μὲν τὸ παλαιὸν ἦσαν θυγατέρες, οἰκοῦσαι δὲ παρὰ τὸν Θερμώδοντα ποταμόν, μόναι μὲν ὡπλουμέναι σιδήρῳ τῶν περὶ αὐτάς, πρῶται δὲ τῶν πάντων ἐφ᾽ ἵππους ἀναβᾶσαι. Hic Ἀμαζόνες μὲν oppositum est initio capitis III. Ἀδράστου δέ. Add. Isocr. Paneg. c. 15. p. 33. extr. Mor. Plura exempla congessit Dorvill. ad Char. p. 543.

Ib. p. 43. Σίσυφος δὲ Αἰόλου κ. λ. Transit nunc Apollodorus in recensendis Aeolidarum rebus ab Atha-

mante ad Sisyphum, quem supra iam I, 7, 3. Aeoli filium dixerat. Itaque h. l. genitivus Αἰόλου eodem iure eliminandus esse videtur, quo eum p. 44. post Μάγνης δὲ Heynius expungi vult iu Addend. p. 1399.

Ib. p. 60. ἁρπάσαντες οἱ ἀριστεῖς τὰ ὅπλα, πολλοὺς φεύγοντας φονεύουσιν αὐτῶν. Ante φεύγοντας deesse arbitror negationem οὐ. Aliter enim scribendum erat φευγόντων.

Ib. p. 66. βάλλων ἀφανεῖς λίθους πρὸς αὐτούς. Potius ἀφανὴς quam ἀφανεῖς.

Ib. p. 68. extr. Articulus ante ἐναντίαν delendus videtur, ut p. 71. l. 4. a fin. ante λίθοις.

Ib. p. 70. οἱ δὲ πλησίον ἐθεάσαντο νῆσον, τῷ δὲ παρὰ προσδοκίαν ἀναφανῆναι. An τότε scribendum pro τῷ δέ?

Ib. p. 73. τοῦ πιστεῦσαι χάριν. Quid? si ex III, 1, 3. emendetur τοῦ πιστευθῆναι χάριν?

Ib. p. 74. πέπλον ἀμφιεσαμένη πυρὶ λάβρῳ καταφλέγει. An ultimum vocab. mutandum in κατεφλέγη? Auctoritatem huius Aoristi tuetur Ios. B. I. IV, 8, 4.

II, 1, 1. p. 77. Ἆπις μὲν οὖν εἰς τυραννίδα τὴν ἑαυτοῦ μεταστήσας δύναμιν, καὶ βίαιος ὢν τύραννος. Tria ultima verba ex margine, ubi quis alleverat, Ἆπις βίαιος τύραννος, in textum videntur profecta.

Ibid. Ἄργος δὲ λαβὼν παρὰ Φορωνέως τὴν βασιλείαν κ. λ. Heynio verba παρὰ Φορωνέως aliunde videntur inserta, quoniam Apidi Argum successisse, paulo ante ipse tradiderit Apollodorus. Sed auctor forsan scripserat: Ἀργ. δ. λαβὼν τὴν τοῦ Φορωνέως βασιλείαν *regnum a Phoroneo conditum*, i. e. *Argos*; a quo conditore et urbs Argorum Φορωνικὸν ἄστυ appellata. v. Steph. Byz. S. v. Ἄργος.

C. 2. p. 89. μερισάμενοι δὲ τὴν Ἀργείαν ἅπασαν κατῴκουν. καὶ Ἀκρίσιος μὲν Ἄργους βασιλεύει, Προῖτος

δὲ Τίρυνθος. Heynius verbis ἅπασαν κατῴκουν καὶ omissis legendum censet μερ. δ. τ. Ἀργείαν, Ἀκρίσιος μὲν Ἄργ. β. Forsan ita scripserat Apollodorus: μερισάμενοι δ. τ. Ἀργ. ἅπασαν, κατῴκουν Ἀκρίσιος μὲν ἐν Ἄργει, Προῖτος δὲ ἐν Τίρυνθι: in margine autem aliquis notaverit: Ἀκρίσιος Ἄργους βασιλεύει, Προῖτος Τίρυνθος, quod in textum deinde adscitum. Cf. Strab. VIII. p. 373. Τῇ μὲν οὖν Τίρυνθι ὁρμητηρίῳ χρήσασθαι δοκεῖ Προῖτος et Paus. II, 16, 2. Ἀκρίσιος μὲν αὐτοῦ κατέμεινεν ἐν τῷ Ἄργει. — σημεῖα τῆς ἐν Τίρυνθι οἰκήσεως Προίτου καὶ ἐς τόδε λείπεται.

Ib. c. 7. p. 153. extr. ἡ δὲ, τεκοῦσα κρύφα τὸ βρέφος, κατέθετο ἐν τῷ τεμένει τῆς Ἀθηνᾶς. Non dubito, quin comma ante τεκοῦσα sublatum post hoc verbum ponendum, et verba κρύφα τὸ βρέφος, ubi comma delendum, cum sequentibus κατέθετο ἐν τ. τ. τ. Ἀ. arctius iungenda sint.

III, 5, 5. Λάβδακος ἀπώλετο μετὰ Πενθέα, ἐκείνῳ φρονῶν παραπλήσια. An μετὰ vera lectio sit, dubitaverim: Labdacum enim, qui post Pentheum vixit, post eum quoque obiisse, quis est qui, auctore non monente, ipse non videat? Sed forsan scripserat Noster: κατὰ Πενθέα, eodem fere quo Pentheus leto periit, numinis vindicta eum absumsit ut Pentheum, quem ille Baccho contemnendo imitatus erat, ut Apollodorus ipse adiunctis verbis significat: ἐκείνῳ φρονῶν παραπλήσια. De κατὰ similitudinem indicante non est, cur dicamus.

Ib. c. 10. p. 237. Τυνδάρεω καὶ Λήδας — Κλυταιμνήστρα. Διὸς δὲ Λήδᾳ συνελθόντος, ὁμοιωθέντος κύκνῳ, καὶ τὴν αὐτὴν νύκτα Τυνδάρεω, ἐκ Διὸς μὲν ἐγεννήθη Πολυδεύκης καὶ Ἑλένη, ἐκ Τυνδάρεω δὲ Κάστωρ. Galeus et Heynius putant post Κάστωρ addendum esse καὶ Κλυ-

ταιμνήςρα. Sed paucis ante versibus Apollodorus iam dixerat, Clytaemnestram Tyndareo natam esse.

Ib. p. 239. ὑποσχομένου δὲ τοῦ Ὀδυσσέως, ἐὰν συλλάβηται πρὸς τὸν Πενελόπης αὐτῷ γάμον, ὑποθήσεσθαι τρόπον τινά, δι' οὗ μηδεμία γενήσεται στάσις· ὡς ὑπέσχετο αὐτῷ συλλήψεσθαι ὁ Τυνδάρεως, πάντας εἶπεν ἐξορκίσαι τοὺς μνηςῆρας βοηθήσειν, ἐὰν κ. λ. Quod Heynius dicit, inter ὡς et ὑπέσχετο excidisse δὲ, verum non esse arbitror, namque a verbis ὡς ὑπέσχετο incipit periodi apodosis. Genitivi absoluti in eiusmodi structura duri illi quidem sunt, sed tamen Apollodori stylo non indigni. Plura huius duritiei exempla videbis I, 5, 1, 9, 15. 23, II, 4, 2.

X.

I. C. F. Meisteri I. U. D. et Prof. in Acad. Viadro-Traiectina Commentatio in Persii Sat. I, 92-106. qua ad conventum regiae societ. litt. et artium d. 18. Sept. 1801. habendum, vernaculo sermone scripta, inuitauit [1]).

Meisterus duabus recitationibus, quantum scimus non evulgatis, partim versionem novam, partim commentationem de argumento, indole et dignitate primae Satirae proposuerat. Nunc illius versionis loca quaedam defendit. Et primum quidem v. 92. s. sic interpungit:

Sed numeris decor est; et iunctura, addita crudis,
Claudere sic versum didicit.

Nam si absolute legitur *didicit*, dura est ellipsis, inprimis cum, qui sequitur locus, tantum exempli caussa sit allatus, ut intelligatur, quomodo fuerint tum hexametri constructi, ut in syllabas eiusdem soni desinerent. Ponitur autem apud poetas *didicisse* ita, etiam cum rebus inanimis, pro, consuescere, solitum esse. *crudis*

1) Index libelli est: Zu einer öffentl. Versammlung der Kön. Ges. d. Wiss. und Künste am 18. Sept. 1801. ladet durch ein, von dem Criminalrath und Prof. der Rechte, D. *Meister* geschriebenes Programm, über Persius Sat. I. v. 92-106. — ein derselben Praeses *C. R. Hausen.* — Frankf. an der Oder, b. Apitz. 64. pp. 8.

autem non cum *numeris* bene iungitur, sed *cruda* sunt dura, rudia, nondum expolita, h. e. versus, non satis laeues et molliter desinentes; iunctura est illa verborum coniunctio et versuum structura, qua laeuiores fiunt.

In primo fragmento (93—95.) tantum est a Persio allatum, quantum ad versuum structuram nouam et mollem cognoscendam valeat, non quod ad sensum et orationem diiudicandam necessarium sit. Quatuor insunt structurae vitia: 1. respondentes sibi syllabae *Attin — delphin*, 2. *longo — Appennino* 3. quod duo extremi pedes uno vocab. continentur *Appennino*. 4. quod ita spondeus in quinta regione est loco dactyli, Quint. Inst. Or. IX, 4. Negat autem Meisterus, carmen, Attis, esse Neronis, et Persium inde priores versiculos petiisse; quae quidem communis est sententia. Nam si hoc sumatur, sequi, tertio versui (95.) nouum inesse fragmentum alius poëmatis, verum ita poetam vitiose coniunxisse duo diuersa fragmenta (quod ut vitetur, nonnulli recentt. legunt: Sic: *costam* etc. id quod etiam durius est); et iniquiorem eius futuram fuisse censuram, si e duobus diuersis locis colligere talis versuum iuncturae exempla oportuisset; quae quidem reprehensio grauior fit, si ad continuum quemdam locum spectat, in quo pateat hoc artificium esse quaesitum. Nam et Horat. Epod. XVI, 28. voc. *Appenninus* forte in fine versus posuerat. Multo etiam tectius dixisset Persius, si Neronem petere voluisset; nec sequens Persii iudicium convenit nisi uni fragmento. Vberius igitur inde a p. 9. auctor doctiss. docet: 1. Attin, siue Bacchantes, non esse a Nerone scriptum poëma. Etenim cum Persius alibi (Sat. IV.) summo artificio occultare Neronis reprehensionem studeat, (unde etiam Persii amicus v. 121 mutasse leuiter narratur ap. Suet.

vit. Pers.) cum Nero nihil aegrius fuisset laturus, quam malum se poetam notari, non probabile est carmen Neronis (unde etiam v. 99 — 102. ducti videntur) tam aperte (v. 105.) perstringi. Nam fragmentum v. 99. perperam Schol. dicit e Niobe Neronis desumtum esse, cum, quae apud Persium sequuntur, doceant, e Bacchantibus esse. Quod autem apud Dion. Cass. LXI, 21, Nero dicitur κιθαρῳδῆσαι Ἄττιν ἢ Βάκχας, id, probato etiam testimonio serioris auctoris (quod tamen facile posset ex male intellecto Persii loco repeti), non docet, Neronem *auctorem* huius carminis fuisse. Nero musicum potius, quam poëtam egit. Praeterea Nero Attin, auctore Dione, decantauit, extremo a. 59. nostrae aerae; Persius autem, mortuus iam a. 62., primam satiram non postremis vitae annis scripsit; itaque tum, cum haec Persius conponeret, nondum videtur Nero illud poema decantasse. Probabilius igitur est, Persium incerti poetae miserum carmen, etsi Neroni probatum, perstrinxisse. 2. verisimillimum esse, v. 99 — 102. ex Atti s. Bacchantibus, non item 93 — 95. inde esse petitos. Etenim nomen *Attin* v. 93. non efficit, ut credamus fragmentum esse ex eius nominis fabula. Cur *Berecynthius* ille potissimum in medio carmine, velut ignotus heros, dictus esset? cur Persius ex eodem carmine duo attulisset fragmenta? Imo argumentum carminis non videtur fragmento accommodatum esse. Pertinuit illud ad bacchantes mulieres; et nomen *Attis* non proprie, sed figurate (cf. Schol. ad Lucian. Iov. Trag. T. VI. p. 233. ed. Bip.) usurpatum in carminis indice fuisse, atque designasse Phrygium Bacchum (Macrob. Sat. I, 21.) probabile est. Cybeles et Bacchi orgia apud Phrygios fuerunt eadem. Cf. quae Strabo L. X. de Curetibus dicit. Forsitan ipse poeta voluit, addito Attis nomine, Romanis Bacchanalia antiqua clarius designare. Certe

nec duo fuerunt diuersa poëmata, Attis et Bacchantes, nec eodem carmine Attis Phrygii historia et Maenadum res potuerunt comprehendi. 3. si primum fragmentum (93—95.) ex uno incerti auctoris carmine desumti videantur, potuisse eos continuos in illo legi carmine. Primaria sententia inest tertio versiculo, quod part. *sic* docet. Formulam *costam subducere Apennino*, quam M. non de itinere *per* Apenninum, sed *iuxta* eum facto accipit, quia *costa* de latere dicitur quarumcumque rerum (Pers. VI, 21.), idem non tam tumidam esse, quam vulgarem, censet. Vulgo enim montis dorsum dici, itaque etiam *costam* eius dici ita potuisse. (Sed novum tamen est *subducere costam*.) Omnem igitur locum coniicit agere de maritimo itinere (e Liguria in Hetruriam, aut contra, facto) iuxta oram, ad latus Apennini, quo itinere effectum fuerit, ut molestius iter trans Apenninum deuitaretur. Hoc iter potuisse cum itinere Attis comparari (de quo Catull. LXIII.); fortassis ipsos, de quibus poeta canit, nautas fuisse ex ordine sacerdotum Cybeles s. Gallorum. Delphin autem non Arionis ille cogitandus est, sed alius, quem Attis s. Bacchus produxerit. Ovid. Met. XIII, 597. Sententia igitur plena erit: mare secuimus, ut Attin patronus noster, ut Delphin, quem Sabazius noster produxit, atque ita longo Apennini dorso costam (partem) eripuimus. Ita si fragmentum spectatur, sequentia rectius possunt intelligi.

In his v. 96. s. ita legit et interpungit Meisterus (p. 21. ss.):

Arma virum! nonne hoc spumosum? et cortice pingui? —
Vt ramale vetus, *praegrandi* subere coctum!

Verba, quae initio loci leguntur, vulgo referuntur aut ad integram Aeneida Virgilii aut certe ad eius exor-

dium; atque sensum constituerunt fere hunc: annon Aeneis eiusdem est generis; annon in ea similiter spumosa leguntur? quod iudicium poetam nostrum maxime dedecuisset (nisi tribuatur alii cuidam, quocum Persius colloqui se fingit.) Sed omnes sententias de loco in quatuor describit classes. 1. Nonnulli Aeneidem laudari censent. Ita Casaubonus, qui v. 95. tribuit cuidam poetae Aeneidis exemplo suum defendenti tumorem, v. 97. Persio corrigenti illud iudicium, atque tropice hoc dicenti: non tumida est Aeneis, sed cum sublimitate sensum purum elegantiae coniunctum spirat. 2. alii collocutoris interrogatione reprehensionem, Persii responsione laudem Aeneidis contineri censent, ut Murmellius in Scholiis adiectis edit. Persii Colon. 1538. p. 38. Aduersarium quemdam dicere: Virgilii etiam carmina esse spumosa et superficiem eorum tumere, intus nihil roboris esse; sed Persium ea comparare cum vetusta arbore, cuius cortex non, ut in iunioribus fit ramis, succo tumeat, sed firmior sit. 3. Alii interrogationi vituperationem inesse existimant, Persii responsioni ironiam: ita est pingui cortice, ut vetus iam exarescens ramus, h. e. nullo modo. Ita Nicod. Frischlinus, et Philipp. Valentinus in ed. Persii Bas. 1582. p. 26. 35. etiam Anton. Focquelinus in Comm. adiecto p. 50. s. Talis vero ironia contorta, vilis et abiecta, indigna praestantissimo opere et Persio est. 4. Fülleborniua paraphrasi sua expressit dialogum, cuius prima pars (96.) excusaret vitia recentis poetae exemplo antiqui, altera autem non ad Aeneidem sed ad illud ipsum recentis carminis fragmentum referretur, hoc sensu: mirum est, te de illo misero et neruis destituto carmine dicere posse. Sed id nimium recedit a verbis poetae. Simpliciorem igitur proponit M. hanc interpretationem: Persius, qui ad illa exempla nouae

versuum iuncturae respicit, ita quaerit: nonne tales versiculi leuiter, spumae et corticis instar, fluunt; ut id magis lepidum reddatur, iurat per Virgilii carmen (incipiens *Arma virumque*); tum ab eo respondetur: recte, ita leues sunt versus, ut vetus ramus etc. Solebant veteres libros notissimos primis eorum verbis designare (Cic. de Leg. II, 4. didicimus *si in ius vocat* — non recte huc refertur), quod maxime in Aeneidis initio *Arma virumque* valet. v. Ouid. Trist. II, 533. s. Auson. epigr. 129. et epitaphia in ed. Virg. Heyn. Est igitur exclamatio Persii adseuerans: *arma vir.* atque ita ex grammaticis quoque legibus et loquenti usu possunt accipi. *hoc*, quod sequitur, non ad Aeneidem sed ad fragmentum proxime praecedens, pertinet, quod cum unum sit, Singularis, non Pluralis, a poeta adhibitus est. Imagines in illis interrogationibus adhibitae nec sublimitatem nec tumorem, sententiarum verborumve, indicant. Poeta constituerat de leuitate et mollitie nouae versuum iuncturae, quae laudabatur, dicere. add. v. 96. Idem versiculos illos ironice laudat, deinde ironiam convertit in acerbissimam censuram. Ambigua illa leuitatis laus optime exprimitur imaginibus spumae et corticis. In *spumoso* obuersata nostro videntur Horatii verba ex Epod. *levis crepante lympha desilit pede.* Cortex est nostrum *Kork.* Si carmen, cuius fragmentum notatur, de nauigatione egit, utraque imagine poeta eo facilius potuit uti. Tertia metaphora et ipsa levitatem, sed ignobilius, designat, eam quae est rami emortui. Ad voc. *coctum* plerique intpp. supplent *sole*, sed alii intelligunt sole maturatum, alii sole tostum. Vt igitur ea ellipsis dura est, nec loci interpretationem efficit certam: ita, quod additur, *praegrandi subere* non commode adiunctum est. Et alii quidem, ut Casaubonus (qui suberem omni-

no intelligit corticem) absolutos ablatiuos esse volunt (praegrandi subere existente); sed ea orationis structura tum usitata est, cum temporis notae perspicuae exprimuntur, ut, *noua luna;* aut, cum ratio quaedam rerum una exsistentium et cum primaria idea arcte iunctarum indicatur, ut Prop. El. II, 34, 34. *Anseris indocto carmine* h. e. quamquam illud carmen adest; non item, cum rei attributum quoddam, aut propior primariae ideae definitio exprimenda est. Alii, ut Scheller. pro Genitt. *praegrandis suberis* accipiunt (fere ut Sat. III, 25. viridi fidelia limo). At sententia etiam ieiuna existit. Itaque M. primo proponit hanc coniecturam: *tubere* (pro *subere*); ramus vetus, cuius succi tubere sunt resoluti et consumti. Deinde ex natura suberis repetit meliorem vulgatae lect. explicationem. Scilicet arbor ista (nostris Korkbaum) praeter exteriorem habet etiam interiorem corticem, atque illa exterior (suber) interdum detrahendus est, ut sana maneat arbor. v. Theophr. hist. plant. IV, 18. III, 16. Crassescens enim suber praestringit arborem, ut auctor est Plin. H. N. XVII. 24. Rami autem nimis crasso cortice primi necantur. Vocab. suber non tantum de arbore, sed de eius etiam cortice (Kork), non autem de cortice omnino dicitur. cf. Plin. XVI, 8. Itaque et Persius eius arboris corticem recte ita appellauit, praeeunte Virg. Aen. XI, 554. Indicatur igitur h. l. ramale suberis: cui per corticis indolem malam succus deest. *Vegrandi* vett. edd. legunt: Receptam nunc lectionem (*praegrandi*) Theod. Pulmannus (1585. Pers. ed. cum Iuv.) in duobus codd. reperit. Vegrande h. e. male grande (Fest.) huic loco optime convenit, ubi cortex nimium et cum periculo arboris crassus dicendus est. *Coquere* omnino est dissolvere aliquid, consumere, de igni, sole, ventis, animi cruciatibus dictum. Cortex crassus efficit, ut succo-

rum in ramo impediatur circuitus, enecat arborem; non tantum sub cortice, sed etiam per eum coquitur ramus suberis. Imago quae ita existit sententiae Persii conveniens est. Vt nimis magna ubertas et crassities corticis suberi nocet, ita nimia ubertas et copia artificiorum in numero efficiendo tollit versus levitatem.

V. 98. Persius transitum ad aliud exemplum munit hac interrogatione: nisi illa sunt tenera et mollia, de quibus antea dixerat, quae alia ita erunt dicenda? *Laxa cervice legendum* illud dicitur, quod sine contentione pectoris et ceruicis legi potest, ideoque facile est et molle. Nam oratoris et eius, qui recitabat quidquam, cervicem oportebat rectam esse, non rigidam aut supinam. Quint. Inst. XI, 3. Cervix supina s. mollities cervicum (Cic. Orat. 18.) laxa cervix (Sen. Epist. 114.) in vitio habentur, et rectae opponuntur. Vt facilitatem quandam versuum prae se ferrent, videntur tum multi eos, etiamsi duriores essent, laxa ceruice legisse.

Secundum fragmentum (99—102. p. 44. s.) si ex carmine, quod ad *Phrygium* Atyn pertineret, petitum esset, Galliambis scriptum esset, mollissimo illo et multis lusibus apto metro. (Martial. II. 86, 4. s. Gramm. vett. Putsch. p. 513. 2447. 2502.) In hexametris his luditur in syllabis v. 1. et 3., 2. et 4. concinentibus. Argumentum etiam omne Bacchicum est. Bacchantes narrantur interdum dilaniasse, quidquid obvium erat, ut vitulos, et tigribus etiam insidentes exhibentur. Poeta tamen Maenadem exhibuit eo furoris adactam, ut vitulum dilaniare, lyncem (Bacchi currum) ipsa vellet flectere. In verbis non sublimitas, non tumor, deprehenditur, sed tautologia frigida et paupertas poetae negligenter et vulgari modo dicentis, et primo vers. imitantis Catull. LXIV, 263. Sententia Persii haec est: recentissimos poetas existimare, se inopiam orationis

et sententiarum, atque negligentiam dicendi posse quadam leuitate et facilitate versuum et numerorum concentu compensare; leuiter dicendi genus notat, ut auctor est Quint. X, 3.

Iudicium quod Persius 103.— 106. fert, iustam prodit indignationem, forsitan quod illud multorum tulerat plausum. Et verissime censuit, tales nugas poeticas infringere vim et dignitatem poeseos omnem. Ad Persii orationem recte intelligendam multa non modo verborum sed etiam rerum variarum scientia, et continua in explicandis singulis imaginibus opus est diligentia (p. 48. s.). Sic in h. l. anthropologia veterum consulenda est. Pubertatem corpoream et testiculorum vim ad ingenium transfert, quae res Romanos non ita, uti nos, offendit. (Comparari poterat usus voc. *neruus.*) Caet. cf. de ὀρχιδίοις Galen. art. med. 45—49. *Delumbe* pr. opponitur physicae virilitati. Verba *hoc natat in labris* non ad lectores et amicos poëmatis (cum plerisque intpp.) sunt referenda, sed ad auctorem eius. Verba in labris nascentia omnino inanem indicant verbositatem (Quint. X, 3.); tres autem allusiones: *natat in labr.*, *summa saliua* (in superficie saliuae), et *in udo est*, orationem omnibus neruis destitutam significant. Humidum autem (ὑγρὸν) vett. medicis omnino corpus molle et viribus deficiens dicitur. (cf. Hipp. Aphor. VI, 2. et al. loc.) Verba *in udo est* non nisi illud repetunt, quod inerat verbis: *natat in labris*. Scilicet *udum* inprimis de ore et saliua dicitur. Virg. Ge. III, 338. Aen. VII, 533. Senec. Herc. Oet. 373. Iuuen. I, 68. Mart. XI, 27. Sententia tamen non plane eodem modo, ut antea, sed magis comice exprimitur. Male Casaub. ad corium udum retulit hanc imaginem. Iam Attin etiam (qui in carminis inscriptione comes Bacchantibus additus est) notatur: nihil ille caedit et confringit, non

pluteum, ne unguem quidem; quod est contra eorum, qui Bacchico furore agitantur, mores. Caedere pluteum exprimit vim et vehementiam auctoris carminis, demorsi ungues meditationem profundam. Igitur in poeta illo negat et sensus calorem et meditandi assiduitatem esse; ipsa autem imago aptior h.l. videtur, quam similis Horat. Sat. I, 10. Probabile autem Meistero videtur, Persium in his non modo ad carmen, sed et ad auctorem nobis ignotum eiusque mores et ingenium respexisse, et leuitatem eius atque negligentiam in gestu et motu simul notasse. Potuit ille etiam momordisse ungues. Nam verba *nec pluteum caedit nec demorsos sapit ungues*, non tam, quid poeta non fecerit, quam quid non fecisse videatur, quid carmen eius non prodat, declarant; nulla carmini inesse caloris et studii indicia. Id quod etiam locus Quint. X, 3. confirmare videtur. Addidimus vernaculam loci versionem, quam Meisterus, praemissis egregiis obseruationibus (p. 57. ss.) de iis, quae in his vertendis erant sequenda, praeceptis proposuit:

Wenn auch! — der Versbau hat doch seinen Reiz;
die Härten sind melodisch nur verschmelzt;
und iene Schmelzung giebt den Schlufsfall so:

„(wie die Küsten umflog) der Berecynthier *Attis*,
Und der Delphin durchschneidend die himmelbläuliche *Thetis*:
So verkürzten auch wir die Seiten des *Apenninus*.“

Ihr Manen des Virgils! Das nicht wie Schaum?
Wie feister Kork? Ia wie ein alter Ast,
der schon im überdicken Kork erstarb! — —
Doch nun was Zartes; was von selbst sich liefst:

„Die

„Die Bacchantin erfüllt mit Orgischen Tönen die
Hörner;
Wüthet umher nach dem Kopf des maiestätischen
Kalbes;
Spielt um die Tyger mit Epheu; verdoppelt ihr:
Bacchus! und *fernher*
Hallest du wieder, erstattliche Nymphe des *Schal-*
les!"

Und schlüge noch ein Aederchen in uns
mit Römer-Blut: woher ein Ding wie das?
Es schwimmt ja auf den Lippen — auf dem
Schaum
der Speicheldrüsen nur. Da plätschert nur
die Maenas! — Vnd ihr Attis? er weiſs nichts
von Hieben auf das Pult. Kein Nagel ja,
den er zerbiſs! — —

Non facile negabitur, etsi de singulorum locorum interpretatione nondum satis persuasum sit, subtilis diligentiae et artis interpretandi, non minus quam solidae doctrinae, fructus hoc libello proponi uberrimos. Monuit nos ea opportunitas, ut non modo commemoraremus alium iuuenis praematura morte non multo post exstincti libellum, qui Persii loca nonnulla (e prol., Sat. I, 5. et 76. Sat. I, 83—91., eiusd. Sat. v. 69. et postremos verss., II, 11. III, 96. IV, extr.) tractat et metricam vernaculam habet III. satirae versionem, inscribiturque: *Meditationum et Observationum iuridicarum ad A. Persii Flacci Satiras Specimen.* Ill. ICtor. Ord. auctoritate praeside D. *Christi. Gotthelf Hübnero*, a. d. XX. Mart. MDCCLXXXXVII. ad disceptandum proponit auctor *Philippus Guilielmus Schindler*, Servestanus, Lipsiae 86. pp. 8. mai. (et auctorem eum vere esse libelli, praeses epistola adiecta confirmavit)

sed etiam de nonnullis libellis exponeremus, ad Romani iuris et libros et historiam spectantibus.

XI.

Commentationes quaedam ad antiquitatem et libros iuris Romani pertinentes laudantur.

Institutionum Florentini ICti quae extant fragmenta commentario illustrata: quem praeside *Theodoro Schmalz*, S. R. M. in Consist. a cons. Iuriumque D. et Prof. P. O. legibus stipendii Neumannianis satisfacturus publ. examini submittet d. 19. Sept. 1801. *Theodorus Leopoldus Burchard*, Gumbinna Prussus., *Regiomonti.* (15. pp. 8.). Prima est haec commentatio in illa fragmenta, quam plures sequentur, uno volumine, ut videtur, comprehendendae, unde etiam alius, qui praemittitur, index libelli nota a. 1802. est insignitus. Mirati sumus, auctorem, quo loco de vita et scriptis Florentini breuissime exponit, non Rivinum, Iaspisium, Walchium laudasse, qui de eo singularibus libellis egerunt, nominatos in recentiss. edit. *Bachii* Hist. Iur. Rom. p. 482. De ipso Flor. hoc fertur iudicium: „Est inter principes legitimae scientiae (quaenam ea simpliciter dicitur?) haud ultimo loco referendus; nec ipsi vel ingenii acumen vel dicendi elegantia defuit. In investigandis verborum dictionumque originibus nimius saepe neque semper satis accuratus; Philosophiae tamen et gloriam adeptus; unde factum est, ut plurima quae eius extant (supersunt) fragmenta, omnium ore celebrentur adhuc (etiamnum), et inter leges classicas, quae dicuntur, referri soleant." Fragmenta restituit editor

ei ordini, quem auctorem existimat secutum esse. Verba ita, ut in ed. Gött. recentissima descripta sunt, repetiit. Subiectae animadversiones et sententiam auctoris explicant et illustrant, suppletis iis, quae desunt, et rationes eius reddunt, nonnullae ad lectionem et orationem pertinent. Sub finem cuiusque loci indicatum est, ubi in Digestis legatur. In lib. III. *liberorum nomine* pr. est, quod nos dicimus, respectu liberorum; id deinde est: in eorum commodum. E primo et tertio libro fragmenta hic libellus habet.

D. *Aug. Corn. Stockmanni* Antecess. Lips. et Titt. de verbb. sign. et divv. regg. iur. ant. Prof. publ. Ord. *Chrestomathia Iuris Horatiana. Specimen primum.* (Programma Lips. d. XIX. Nov. 1801. editum). XIII. pp. 4.

Non ignota est, neque suis laudibus caret b. *Küstneri* Chrestom. Iuris Enniana. Huius exemplum secutus Vir illustris ex Horatio, quocum totum se semper fuisse et etiamnum esse verissime dicit, quae ad ius spectant et colligere diligenter, et utiliter illustrare instituit. Neque enim eam operam occupauit *Io. Ge. Estor*, qui *de iurisprudentia Horatii* commentatus est in praef. ad S. A. Hambergeri Opuscula ad elegantiorem Iurisprud. pertinentia Ien. et L. 1740. 8. Et primum quidem hoc specimen versatur in L. I. Carm. 1. v. 7. et 8. Nam nonnulli etiam antecedentes versus opinati sunt de ludis in Circo aut campo Martio institutis agere, quorum Circensium ludorum et equorum curulium fit in iure Rom. mentio (L. 5. C. de spectac. L. 7. C. de numerar. actuar. et chartular. L. 4. C. de spect. coll. ad hanc legem Gothofr. in Comm. ad L. 12. C. Theod. XV, 7. de scen.). Verum ibi Graecorum ludos intelligendos esse peritissimi intpp. docuerunt. In illo autem loco *mobiles* Quirites dicuntur ob comitiorum inconstan-

tiam et varietatem, populique in factiones divisi levitatem in suffragiis ferendis et honoribus dandis. v. Cic. p. Mur. 17. p. Planc. 4. Voc. *Quirites* (a Curibus Sabina urbe repetendum, Liv. 1, 13. Plut. vit. Rom.) patricios et plebeios complectitur. *Tergeminos honores* interpretes non uno modo accipiunt. *Theod. Pulmannus* perperam maximos et saepe iteratos populi in theatro plausus interpretatur; recte tamen etiam *summos* et *amplissimos* exponit (ut Mart. Epigr. III, 46, 8.) Gesnerus in Thes. aliam, quam in Obss., secutus est rationem. Possunt vero *tergemini honores* et proprie et figurate dicti esse, illud magis ad veritatem, hoc propius ad poesin, St. censet. Nam aedilitatem, praeturam, consulatum, iam Sanadonus, non male intellexit; quorum quidem honorum non modo eos, qui positi sunt gradus fuisse ex Liv. XXXII, 7., sed singulis etiam suam amplitudinem et dignitatem e Cic. in Verr. V, 14. Liv. VII, 1. Cic. Epp. X, 12. Plin. Paneg. 77. Gell. N. A. XIII, 15. ostenditur. Quod Sanadonus etiam censuram addidit, eo nihil efficitur. Nam ex ea nihil accessit ad dignitatem viri consularis. Ergo quamquam omnino Hor. summos honores dicit, tamen simul ad illos magistratuum gradus respici existimat St. etiam propterea, quod cum, expositurus hanc sententiam: *suo* quemque *studio duci*, antea de Graecis dixerit, nunc probabile sit, Romanos eum afferre, quorum quidem summa erat honorum amplissimorum cupiditas, et quibus poena ea potuit imponi, ne honores adipiscerentur. (Vlpian. L. 7. §. 21. D. de interdictis et releg.). Caeterum ineunte libello V. doct. monuit, *Piattolium*, eruditiss. virum, elenchum editionum Horatii absolutissimum concinnasse, quem cum auctore communicavit, et Anonymum Francogallum libello, qui an. 1777. s. l. prodiit (*Essai sur les Inconnus*, p. 93. ss.) in-

seruisse indicem locorum carminumque Horatii, quae ad sua mysteria spectare Latomi, quos Franco-Muratorios dicunt, existimant.

Eiusdem Viri illustris, atque litterarum antiquarum scientia subtilissima multos facile superantis, sunt duae aliae commentationes, ad rem scenicam Romanorum pertinentes. Nam ante complures annos *de lege Roscia theatrali* egerat. Nuper autem (h. e. in prog. d. XXIX. Mai. a. MDCCC. edito) *de lege Iulia theatrali prolusionem* scripsit. (XVI. pp. 4.) Harduinus, Prateius, et C. G. Eybenius hanc legem C. Iulio Caesari, dictatori, nominis ratione permoti, vindicant. Etsi vero Iuliae leges vel ab ipso propositae nonnullae, vel ab Augusto emendatae, vel in eius honorem appellatae sunt: tamen nemo prodidit memoriae, Iulium Caesarem legem theatr. promulgasse. Immo Augustus eius fuit auctor. Suet. Oct. 40. Plin. H. N. XXXII, 2. Neque audiendus est *Hofmannus* (in Hist. Iur. Rom.) opinatus, esse *SCtum*, quam Plin. *legem* theatralem dicat. Nam locus Suet. Oct. 44. non de scenicis, sed de gladiatoriis, agit ludis, quae proprie *munera* dicuntur. Verba legis haec videntur fuisse: *ut equitibus romanis, quibus ipsis parentibusue equester census fuisset, in quatuordecim ordinibus, lege Roscia theatrali constitutis, considendi ius esset.* NimirumOsciam legem (a. V. ɪɔᴄʟxxxᴠɪ. Coss. C. Calpurnio Pisone, M'Acilio Glabrione, a L. Roscio Othone, trib. pl. latam, quia sensim elanguerat, Augustus restitnit, et, cum pluribus equitibus census CCCC HS. non esset, mitigavit, atque partim ampliauit, partim restrinxit. Nam non modo a necessitate census illius recessit, et locum in XIV. concessit equitibus, quibus ipsis eorumve parentibus iste census umquam fuisset, sed etiam antiquam legem correxit, qua equitibus, qui fortunam decoxis-

sent locus in XIV. denegebatur. *Poena theatralis* simpl. dicitur ignominia, inferri solita ei, qui in theatro non suo sedebat loco; neque opus est, ut cum Casaub. ap. Suet. addatur *legis*. Ludis et spectaculis intererat *designator*, virgae signo noscibilis (Plaut. Poen. 18. ss.), qui locum legibus cuique constitutum demonstrabat, eos, qui locum non debitum occupassent, surgere et vel eiici iubebat, quod per apparitores s. lictores, quos secum habuit, factum est (non confundendus cum lictoribus magistratuum). Cuius quidem poenae theatralis exemplum ap. Suet. Oct. 14. Cogebantur autem alieno loco sedentes atque inde excitati, stantes in viis, h. e. interstitiis inter ordines et cuneos, spectare; unde *excuneati* dicuntur. v. Martial. Ep. V, 14. Hinc intell. Quintil. Inst. Or. III, 6. (*excitatus de spectaculis*). Cum posthac omnes promiscue sederent, Domitianus legem Rosciam, cui Iulia derogauerat, edicto quodam restituit. Suet. Domit. 8. Vnde deinde saepius excitati sunt, quibus quadringenta non essent. Martial. Ep. V, 26. (ubi Lectius est designator et conseruandis gradibus praefectus). Sed Domitianus non tam legem nouam sanxit, aut Rosciam in usum revocauit, quam interpretatione deprauatam peruersamque exhibuit. Nam Roscius prohiberi a XIV. voluit etiam eos, qui haberent CCCC., sed equites non essent. Sub Domitiano soli diuites, censu equestri praediti, etsi non equites, in XIV. sedebant. Hinc Iuvenalis indignatur Domitiano (Sat. III, 152. ss.). Martialis autem saepe ad eam a Domit. factam legis Rosciae emendationem respicit: Epigr. V, 8. 24. 42. Ea opportunitate St. vindicat fragmentum Marciani L. 1. D. ad leg. Iul. de vi priu., ubi cum pro verbis *neue in eum ordinem sedeat*, Cuiacius, probante Fabro, legendum censuerit *neue in quatuordecim ordinibus sedeat*, recte ea coniectura repudiatur.

Quid enim senatoribus cum lege Roscia et XIV. ordinibus? Si quid mutandum, scribitur: *neue inter ordinem sedeat*, h. e. inter senatores in primo subsellio ad podium. Perperam interpretes iuris, quae Suetonius (Oct. 44.) de subselliorum ordine commemoravit, ad hanc Iuliam theatralem legem referunt. Discernenda est lex Iulia, quae ius in theatro sedendi constituit, ab edicto, quod, condito paulo post legem Iuliam eodem Augusto auctore, a patribus SCto, sanctionem eam ad ludos Circenses extendit. Illud caput decreti, ut, quoties quid spectaculi *usquam* publice ederetur, primus subselliorum ordo vacaret senatoribus, ludos spectauit, qui in municipiis, coloniis, provinciis fiebant. Id autem, quod sequitur, decretum (illustratum a Ios. Ferd. de Retes Miscell. I, 23. in Meermanni Thes. T. VI. p. 82. ss. ad solos gladiatorios ludos pertinet. Itaque recte Ern. et Oudend. voc. *munera*, quod (c. 43.) exciderat, restituerunt. Etenim olim ciues ludos curules non discretis ordinibus spectarunt. Primus hoc Augustus mutauit (Dion. Cass. Hist. LV, 22.) etsi nondum certa senatui et equitibus loca assignavit. Propria senatoribus constituit loca Claudius Imp. (Dion. Cass. LX, 7. Suet. Claud. 21.) et equitibus Nero (Suet. Ner. 11. Tac. AA. XV, 32. Plin. H. N. 8, 7.) Domitianus iura sedilium in circo quoque constituit. Ita inhibitionem licentiae theatralis ap. Suet. Domit. 8. intelligit St., ut ad utrumque genus ludorum, scenicorum et circensium pertineat. Mos discretim in spectaculis sedendi diutissime durauit. Tac. AA. VI, 3. Spartian. in Pescenn. Nig. c. 3.

Altera eius est *ad SCtum de disciplina spectaculorum Commentatio* (Progr. d. 8. Oct. 1801. editum, XIII. pp. 4.) Tiberius Imp. id potissimum egit, ut antiquum leges ferendi morem euersurus, quidquid ad

ius constituendum spectaret, SCtis sanciret. Ita a. V. DCCLXVIII. Chr. XV. Druso Caesare et C. Norbano Coss. SCtum de disciplina spectaculorum conditum est, de quo Tacitus AA. I, 77. exponit. Primo capite de iure virgarum in histriones cautum est. Nam cum olim Aedilibus, Praetoribus et Consulibus punire histriones quouis loco et tempore licuisset, Augustus iis virgarum ius ita ademit, ut coerceri histriones possent solo ludorum et scenae tempore, aliis poenarum generibus simul in coërcitionis illius locum substitutis. Falluntur autem Faber (Semestr. II, 6.) et Lipsius (ad Tac. I. l.), qui lege Iulia de vi privata ademtum virgarum ius in histriones, restitutum prudentum interpretatione, censent. Nam Iulii Pauli (ad cuius locum Sent. recept. V, 26. prouocant) tempore illud decretum vi sua destitutum fuit; ipsa vero Iulia lex de vi illo Augusti decreto est antiquior. Iac. Gothofr. non rectius in loco Suet. pro verbis *praeterquam ludis et scena* scribi vult *praet. ludos et scenam.* Nam ut *tempore* respondet *ludis*, *loco* τῷ *scena*: ita Oudend. docuit, sermonem esse de futuro ludorum et scenae tempore, ut histriones arctiore in disciplina continerentur, quo melius partes suas stato tempore agerent, neque nimia licentia efficerent, ut ludi minus recte peragerentur, operamue ipsi praestare detrectarent. Coërcitionis ab Augusto permissae exempla sunt ap. Suet. I. l. De more per theatra deductos reos virgis caedendi exposuit Bulenger. de theatro I, 51. et 53. θεατρίζειν et παραδειγματίζειν Graeci dixerunt. Pari modo, auctore Suet. Tiberius, Nero et Domitianus histriones compescuerunt. Aliud SCti caput fuit: *ne senator pantomimorum domos introiret.* Pantomimi, quidquid chori canerent, motibus corporis exprimebant, in omnes personas mutabiles. (Cassiod. Var. IV, 51.) Eorum ars Augusti

tempore introduci coepit (Suid. Zos. I, 6.) quod de Pantomimis a tragoedia et comoedia separatis intelligendum esse docet Salmas. ad Vopisc. Carin. 19. Nam in tragoedia, comoedia atque satyris iam dudum pantomimica saltatio habuit locum. Insanus autem Romanorum tum fuit in pantomimos amor (v. Sen. Ep. 47. Quaest. Nat. I. extr. Tertull. de Spectac. c. 22.) Itaque necessarium fuit, ut senatoribus omni cum pantomimis consortio interdiceretur. Tertium caput ad equites pertinet: *ne egredientis in publicum equites Romani cingerent;* quod dictum est, ut *latus cingere*, et factum est in illis, qui multos habebant clientes, a quibus deducebantur. Solitus autem comitatus illustriorum hominum constabat familiaribus et clientibus; magistratuum et ICtorum egressus etiam aliorum virorum honestorum praesentia condecorabatur. v. Ouid. ex Ponto IV, 9, 17. s. Martial. Epigr. III, 36, 3. Equitibus igitur, quo suam dignitatem seruarent, interdum est interdictum, ne eum honorem scenicis hominibus haberent. Verba quae sequuntur, *aut alibi quam in theatro spectarentur*, intelligenda ita sunt: ne domi aut in hortis spectarentur. Erant enim priuati ludi, in hortis potissimum editi, atque domestici histriones. v. Plin. Hist. N. VII, 24. Suet. Ner. 21. L. 73. §. 3. D. de legat. III. l. 7. §. 5. l. 25. et l. 27. D. de oper. lib. Finit SCtum verbis: *ut spectantium immodestiam exilio multandi potestas praetoribus fieret.* Constat histriones Rom. non aliis modo, et notis, artibus usos esse ad fauorem spectatorum excitandum, sed vel pecunia eum sibi comparasse (Plaut. Amph. prol. 67. delegatos vocat). Hinc spectatorum et pantomimorum factiones, contentiones, caedes. Caeterum Tiberius hoc capite ita rem definiuit, ut spectatorum immodestiam et histrionum licentiam liceret magistratibus non exilio so-

lum, sed etiam vinculis et carcere punire. Suet. Tib. 37. Tac. AA. IV, 4. XIII, 25. et 28. Ad quae Tiberii et Neronis edicta his locc. commemorata, commentatus est eleganti libello *Ant. Planelli* (dell' Opera in Musica Nap. 1772. 8. p. 260. ss.) Neronis edictum propositum est Nerone II. et C. Calpurnio Pisone Coss. a. V. DCCCX, Chr. LVII. et verba servauit Tac. AA. XIII, 31. Causa eius fuit, quod magistratus his ludicris prouinciales adfligebant, et aduersus crimina perpetrata gratiam captabant. — Ex illo patrum decreto profectum est, quod habet Callistratus l. VI. de Cognitionibus, L. 28. §. 3. D. de poenis, quae in Basil. L. LX. T. VII. p. 834. graece leguntur. *Iuuenes*, quorum Callistr. ibi mentionem facit, St. censet pertinere ad theatra potissimum municipalia (Capuae, Lanuuii, Spoleti etc. v. Lipsius epistol. Quaest. I, 1.) Non commode Pancirollus Thes. var. lectt. II, 140. et cum eo alii referunt ad Neronis institutum. Habuit ille equites delectos, *iuuenes Augustanos* appellatos, qui plausus ederent. Verum equitibus non conuenit poena, ibi denunciata; *fustibus caesi dimittuntur*. Videntur *iuuenes* potius fuisse histriones, qui Atellanarum auctores dicebantur, et referebant iuuentutem Romanam; *populares* etiam dicti, quia in *popularibus* sedebant. Hi plausu suo fauorem facile histrioni cuidam conciliarunt. Cum in fine ludorum tantum illi iuuenes Atellanas agerent, antea inter spectatores sederunt, ut clamorum theatralium essent auctores et antesignani. De *turbulentibus* acclamationibus, qua mira forma Callistratus est usus, satis dixit Sc. Gentilis Orig. ad Pand. lib. sing. in Ottonis Thes. Iur. IV. p. 1375. Vt autem in urbe spectaculorum disciplina ad Praefectum urbis spectauit (Vlp. L. 1. l. 12. D. de Off. Praef. Vrb.) ita in prouinciis ad eius praesides pertinuit.

Pandectae Medicae sive succincta explicatio rerum medicarum in Institutionibus Digestis Novellis obviarum. Scripsit D. *Christianus Gottfridus Gruner*, Prof. Med. Ienensis. Ienae 1800. Sumt. viduae Fidleriae. 55. pp. 8.

Leguntur in Corpore Iuris R. non pauca, quae a docto et experto medico explicanda sint recte et salubriter, et de quorum sensu varie disputatum sit. Praeterea insunt argumenta quaedam mere medica, quatenus de ratione iudicii quaeritur; et locorum illorum cognitio augere potest copias verborum, quibus medicae res exprimantur, atque modum docere, quo de rebus ad communem vitae usum, politiam et medicinam forensem pertinentibus apte et latine scribatur. Eae causae fuerunt, quibus ductus hunc utilem libellum perscriberet eruditissimus medicus, secutus edit. Corp. Iur. quam Sim. van Leuwen, Amst. 1663. curauit. Quaesiuit autem non modo de sensu verborum, quibus leges et ICti utuntur, sed etiam de causis et rationibus. In quaestione illa, num furiosi filius uxorem ducere, filia nubere, possit, non respectum potissimum esse ad medicas rationes ostendere videntur haec verba: furiosi filium posse *et sine patris interventu* matrimonium sibi copulare. Nimirum non interuenire furiosi consensus potuit. Nonnullae sunt uberiores disputationes, ut de discrimine *spadonis*, *eunuchi* et *castrati* p. 19 — 34. (etsi illa vocabb. non raro inter se permutantur), et de variis castrandi modis. Nimirum *spadonem* dici omnino monet virum, cui est generandi impotentia, aut quod a partu unus alterue deest testiculus, aut quod vi et arte alteruter aut uterque testis est ademtus vel destructus (unde *thlibiae*, *thladiae*) aut a vitio frenuli vel glande imperforata alienoue loco forata (qui rectius *hypospadiaei* dicuntur) aut a morbo temporario et sanabili;

eunuchum hominem sexus nullius et dubiae significationis, in genere cui virilitas demta est; *castratum*, vel alterutro vel utroque teste vel pene priuatum. Plura autem vett. scriptt. loca hac opportunitate explicantur.

Friderici Roth de re municipali Romanorum Libri II. Stuttgartiae, Sumt. Steinkopf. MDCCCI. 144. pp. 8. mai.

Primus Liber historiam rei municipalis Romanorum continet, cuius fundamenta iecisse ipse Romulus existimatur. Et primum quidem, quae fuerit municipiorum, libera Rom. republica, conditio, quaeritur. Quo loco ut (p. 10.) Gellii commenta (N. A. XVI, 13.) seuerius notantur, ita contra Ottonem disputatur, nullis certis argumentis affirmantem, municipia suam rempublicam, suam concionem, suas leges, retinuisse. Sacra a maioribus accepta municipiis sunt relicta; magistratus et senatores (decuriones) iis non ademti, sed qui olim in municipiis summae reipublicae praefuerant, ea sublata, privatam rem administrabant. De statu municipiorum sub Impp. p. 25. ss. agitur. Oppressa libertate, sublato suffragii iure, oppida illa ciuium Romanorum eo tantum ab aliis discernebantur, quod relicta erat iuris civilis Quiritium communio et honorum spes. Iam ante quam ciuitas daretur uniuerso orbi Romano, municipia promiscue quaevis oppida sunt dicta: multo frequentius id postea est factum. Constantinus M. rem municipalem gravissime adflixit. Nihil serior aetas vidit miserius decurionum conditione. Tandem Leo imperator, qui *philosophus* vocatur, curias civitatum sustulit, et finem fecit (Nov. XLVI. et XLVII) rei municipali Romanorum. (Admiscuisse interdum municipalis rei historiae auctor visus est, quae recte abesse poterant, neque satis distincte omnia nar-

rasse.) Secundus liber de iure munic. Rom. p. 57. ss. exponit. Res paulo altius repetitur. Primo cap. de iure civitatum omnino (praeeuntibus libris iuris Rom.) disputatur. Inde c. 2. de Curia s. decurionum (perperam *magistratus municipales* appellant) collegio, agit. Curia definitur consilium publicum, in singulis civitatibus (oppidis, non vicis), administrandae reip. caussa institutum. Decuriones duobus praecipue modis fiunt, origine (natalibus) et electione. De albo, ordine, iuribus, honoribus et commodis decurionum monetur. Tum c. 3. de honoribus municipalibus uniuerse, et singulatim de civitatum magistratibus, et reliquis officiis, minoribusque ministeriis disseritur. Itaque Duumviri, Aediles, Curatores reipubl., Defensores ciuitatis, tum ii qui non magistratum sed munus gerere dicuntur, Susceptores, Irenarchae, Curatores frumenti et calendarii, Scribae, Censuales, Tabularii, Tabelliones, pertractantur. Quartum idque postremum caput administrationem municipiorum persequitur, ubi locus de muneribus *patrimonialibus* et *personalibus*, quae dicuntur, optime explicatur. Omnino etsi ordinem rerum, quem auctor tenuit, non ubique probasi fatemur (sic c. 4. inserta est disputatio de municipum et incolarum discrimine, quae alio loco separatim tractanda erat) neque oratio ubique pura est: tamen laudandam censemus dictionem libelli, multo elegantiorem ea, quam vulgo legimus, disputationis ubertatem et subtilitatem, lectionis copiam, quae non solum ad veteres scriptt., sed etiam plurimos recentiores iuris antiqui interpretes spectat. Quae Ge. H. Martinius in Propemptico de Pompeianis inscriptt. (L. 1779.) p. 29. de decurionibus et municipiis disputauit, non memorata, neque Buchaldum (Bouchaud) nominatum invenimus.

Ioannis Conradi Dümmler Hilperhusani *Commen-*

tatio de prudentia senatus Romani in mittendis legatis ad exercitus ad pacis leges dicendas et ad res regnorum provinciarumque inspiciendas aut constituendas, Certamine civium acad. Georgiae Aug. d. IV. Iun. MDCCCI. praemio a rege Brit. constituto ex sententia ampliss. ord. philos. ornata. Gottingae, typ. Dieterich. 24. pp. 4.

Laudat auctor parte huius libelli generali omnino prudentiam senatus R., quae regnorum, prouinciarum et exercituum res aptissimis modis administrauerit, ratione habita conditionis totius terrarum orbis, nihil intempestive fecerit, nihil, quod consiliis inseruiret, omiserit, non iustitiae et liberalitatis specie homines fefellerit. In ea inprimis opus fuisse legatis, qui mitterentur, eosque his negotiis fuisse aptissimos docet, prudentiamque senatus in mandatis iis dandis admiratur. Ea parte speciali ita exsequitur, ut quatuor capp. prudentiam senatus in mittendis legatis 1 ad res regnorum et provinciarum inspiciendas, 2. ad exercitus, 3. ad leges pacis dicendas, 4. ad res regnorum constituendas, laudatis idoneis exemplis, demonstret. Orationis omnis color et habitus parum nobis placuit.

Hieronymi Theophili Kind (I. V. D.) *De XIII. Iustiniani edictis.* Specimen primum. Continet quatuor priora edicta. Lipsiae cIↃIↃcccxciii. 51. pp. 4. Specimen secundum. Continet Edicta V. VI. et VII. L. MDCCCI. 40. pp. 4. In secundo Spec. (nam primum, in quo etiam de aetate et lingua horum edictorum exponitur, quia ante 7. annos prodiit, non attingimus) Edicta illa ita tractantur, ut partim graeca, partim Novellarum latina, explicentur, et nonnumquam emendentur, certe tententur. Ita de Agylaei versione voc. μεθοδείας in Ed. VI. subtiliter disputatur p. 12. s. De argentariis p. 17. ss. copiose dictum est. Nonnulla etiam vulgaria

et trita occurrunt. Omnino in VII. Edicto interpretando diligentius auctor quam in superioribus versatus est. Vitia ab operis commissa plurima non magis impediunt lectorem, quam, quod argumenta disputationis et loca non satis distincta sunt.

XII.

De libellis nonnullis ad philologiae varias partes spectantibus refertur.

Iam ante hos septem annos Cel. *Matthaei*, Viteb. Professor Animadversiones in IV. Homilias Chrysostomi eruditissimas proposuerat (1795.) Nuper simili modo duas alias tractauit libello qui inscribitur: *Solemnia semestria, in quibus Philosophiae Doctores, Libb. AA. Magistri* et poetae laureati — creabuntur — indicit ac simul *Animaduersiones in* II. *Homilias Chrysostomi proponit Christianus Frid. Matthaei* Ph. D. LL. A. M. Litt. Gr. P. P. O. etc. philos. Ord. Dec. Vitebergae 1801. litt. Charisii, 32. pp. 8.

Scilicet duodecim illarum homiliarum, quas Montefalc. partim T. XII. p. 323—401. partim T. VI. p. 272—278. edidit, in primis laudatarum, quatuor Graece cum lat. versione et comm. uberrimo Matth. vulgauit Misenae 1792., quatuor alias libello 1795. scripto exposuerat, omnes cum decima tertia, quae est pro Eutropio latine versas emisit Augustae Vind. 1799. 8. Hoc libello accuratius VIII. et IX. tractat, alio tempore de II. et XI. acturus. VIII. est ap. Montf. T. XII. p. 375. ss. Corriguntur multa vel emendatione vel interpunctione verborum, rectius latine redduntur, quam a Mon-

tef. est factum, atque explicantur, ne leuibus quidem et facilibus neglectis. „Nam, ut alicubi M. dicit, typotheta, corrector, interpres, editor, coniurauerunt inter se, ut has pulcerrimas orationes vitiis foedarent.“ Vbi p. 372. B. legitur καὶ κόμαις καὶ εὐθήμασι, M. conilicit: καὶ κόμποις (aut γνώμαις) καὶ ἐνθυμήμασιν. An non recte p. 376. σωματος mutetur in πτώματος, dubitari potest. Nam σῶμα dicitur etiam cadaver. Sed tamen ibi forsan nimis absolute esset positum. IX. Homilia ap. Montef. est p. 382. Indices harum homil. non a Chrysostomo praefixos, sed ita corruptos esse monetur, ut ne grammatica quidem ratio iis constet, in disponendis homm. ordinem temporis neglectum. Nonnulla vocabb. et verba diligentius illustrantur, ut p. 5. ἀποτορνεύεσθαι, quod ut lat. *tornari* dr. de oratione rotunda, κομμωτικὸς quod et ipsum ad orationem refertur, p. 6. πέτασθαι p. 7. quod ut *volitare* est, fama ferri, κατάγεσθαι ib. de iis, qui genus ab aliquo ducunt, ἐγκαλύπτεσθαι p. 10. caput et vultum suum tegere, inde omnino *pudere:* καυτὴρ et σιδήριον p. 22. ὑποπτεύειν iq. ὑπονοεῖν p. 27. καίειν *incendere* ignem p. 30. Proposuit etiam p. 17. ex apographo catenae ined. in Matthaeum (e codd. Mosqq.) locum in Matth. II, 11. quo dona illa Iesu oblata allegorice exponuntur.

Locus quidam *Iornandis*, Gothorum historici non ignobilis, nuper excitauit altercationem doctam duorum virorum, qui multa variarum linguarum scientia abundant. Sunt enim verba haec *Iornandis* (de reb. Get. c. 52.). „Danubii amnis fluenta praetermeant, quae lingua sua *Hunnivar* appellant.“ Inde nonnulli concluserunt, cum *var* esset hungaricum vocab., Hunnos hungarice locutos, atque ipsos Hunnos esse hungaricae originis; *Paulus* enim *Beregszaszius* nuper ab oriente repetiit Hungarorum linguam et originem, cum alii

(Saino-

(Sainovitsius, Hellius, Hagerus et nuperrime Gyarmathius) rectius ad Fennicam retulissent stirpem. Itaque Hagerus suam sententiam ita defendit, ut in vocab. illud Hunnicum ap. Iorn. inquireret, edito libello:

Ios. Hager, Vniv. Pap. Doctoris, *de Vár Hunnorum pariter atque Hungarorum disquisitio*: adversus Paulum Beregszászy, Philos. Prof. Patakiensem. Londini e typogr. or. Wilson et Soc. MDCCC. 16. pagg. 4. mai.

Vocabulum istud e teuton. in hungaricam transire potuisse linguam, primum ostenditur. In linguis germ. originis *Var* s. *War* speculam, locum editum, qui pro excubiis et tutela eligebatur, significat (ut lat. *arx* e gr. ἄκρος est). Inde et Slauorum *Gard*, Russorum *Городъ*, aliorum *Grad*. Pannoniam ante Hunnos populi teutonicae stirpis incoluerunt. Apud ipsos Hungaros nomen *Várta* (Varad) e germ. *Warte* (specula) ut *Castély* e lat. *castellum* ductum est. Ipsum autem illud voc. a graeco Βάρις derivat auctor (cum saepe *v* et *β* permutatae sint) quod castellum, arcem significat (Ioseph. de b. Iud. I, 6. Hieron. Ep. 65. ad Princip.) et, cum primam syllabam producat, ex oriente, non e Graecia, profectum est (*Matthei* s. potius *Martorelli* Per Saturam Exercit. de Ficu Ruminali Neap. 1759.), ubi Birah, Birtah (βυρσα) arcem indicat. In Arab. *bir* signif. *fodit puteum* s. *struendi ignis locum*. Hinc *Var* propr. puteos, dein urbes et arces (ad puteos exstructas) significasse censet. Apud Aegyptios Βαρις fuit bellica navis (quasi *maritima arx*). Φάρος (turris illa Alexandrina) cum *Var* comparatur. Recentibus Persis *Bar* est arx, veteribus *Var* urbs dicebatur [1]). Indis

[1]) *Kalmár* in Prodrom. Idiom. Scytho-Mogor. Hungaricum *Var* e Persico potius quam Hunnico repetit.

Pur urbem significat, unde Sinis, qui littera canina carent, *Fu*, quo nomine primariae Sinarum urbes appellantur. Indice etiam *baro* est mons, ut in lingua Celtica *bar* dicitur summitas rei aut collis, apud Slauos *gora* mons, ut apud Fennos *wara* s. *ware*. Latinis valla s. valli deriuantur a *varis* h. e. ramis bisulcis, quibus ad muniendum locum utebantur. Sed cum *Hunni-var* non tam arcem, quam transitum, significet, huc referuntur verba germ. *fahren*, batav. *vaarn*, angl. *fare* (vehi) unde *Fuhrt*, *Ford* ducuntur.

Haec amice castigauit alius libellus inscriptus:

Iornandis Vindiciae de Var Hunnorum, auctore P. Paulino a S. Bartolomeo, Carmelita discalc. S. Congreg. ab Indice Consultore, Miss. Orient. Syndico, Acad. Velit. Volscorum, Reg. Neap. et Caes. Reg. Patavinae Socio. Romae apud Ant. Fulgonium MDCCC. 12. pp. in 4. (ad emin. Card. Steph. Borgiam scriptae).

Ipse etiam Hungaros a Fennica repetit stirpe, et ab Hunnis immane quantum distare censet, quos Tataros fuisse et sedes patriae et corporis habitus doceant. Reprehendit Hagerum, quod relicto naturali sensu verborum Iornandis vagatus sit per plures linguas. *Hunnivar* significare Iornande auctore *fluenta* Danubii; in Tataricis linguis aliisque finitimis etymon et significatum voc. *Var* quaerendum esse; in quibus *Wa* s. *Var* aquam, flumen, indicet; Samscrdamicae linguae a) esse nomina 17. ad significandam aquam, in his *Wa* et *Var*. Hinc Indis *Varuna* Deus aquarum praeses; *ba-*

a) Vtrum Persae Indis an hi illis vocabulum hoc dederint, incertum est. Elephantus latinis *baro*, *barrus* (unde barritus) dictus, apud Indos est *bari*, quod a turribus quas dorso gestant, ductum videtur.

ran Persis pluvia; et media Latt. aetate *varare* flumen dictum, quod divaricatur. *Hunnivar* est fluvius Hunnorum (Danubius, quasi Scythiae, in qua Hunni sedebant, principium et limes illos a Gothis dividens), non traiectus Hunnorum. In ipsa etiam Celtica lingua *var* flumen indicat, et urbes (v. c. *Temesvar*) inde nominatae videntur, quod ad flumen essent exstructae.

Ea ut probabilius disputata sunt, ita hoc quoque exemplum docuit, quam facile etymologiarum studium fallat, nisi certis regatur legibus.

De Laocoonte commentari superiore anno *Henricius*, Prof. Viteb. perrexit quatuor libellis, rectoris Viteb. acad. nomine editis ad indicendas orationes nonnullas in memoriam beneficiorum acadd. habendas. Tertia Comm. (de primis duabus v. Vol. I. p.243. s.) quando et quo loco Laocoontis symplegma fuerit inventum, narrat. Nam a. saec. XVI. sexto, qui Iulii Pontif. R. quartus fuit, Felix de Fredis, ciuis Rom., in vinea sua incidit in cryptam subterraneam, ubi symplegma illud vidit, quod tandem Iulio P. M. vendidit, a quo in parte quadam aedium pontiff. in monte Vaticano (viridarium Belvedere dicitur) expositum est. Et locus quidem ille urbis multis antiquis operibus erutis nobilis, *septem cellarum* habet nomen (Sette Sale), etsi nouem sunt hypogaea, per septem tantum aditus inter se coniuncta; quae in thermarum Titi reliquiis numerantur. Nequaquam autem in ipsis illis cellis symplegma est repertum, sed in crypta quadam iis vicina. Et probabilius est, cellas illas esse reliquias castellorum in thermis Titi, aquas recipientium. Heynius autem coniicit, post Titi aetatem signum Laoc. in subterranea ista cella repositum esse, quo tutius esset a periculis. Nam si in eo, quo Titus collocauerat, loco mansisset, aut prorsus periisset, aut maiores passum esset iniurias,

inprimis cum plures eius prominerent partes, quam in aliis priscis operibus. Licet autem sint, qui dicant, integrum protractum esse signum, tamen dextrum patris brachium, supra caput extensum, defractum periit. Quis illud brachium restituerit et ex quanam materia, non satis constat. Ioannem Agnolum restituisse hoc brachium Heynius, aliquem ex Bernini discipulis Ramdohrius, existimant. Filiorum alterius manus, alterius brachium defuit, quae quidem cum paucis serpentum nexibus a recentiore artifice sunt refecta. *Quarta Comm.* quaerit, sitne hoc symplegma illud ipsum Agasandri opus, quod Plinius est admiratus, an alia manu elaboratum. Scilicet animadversum est, illud non ex uno lapide factum, sed e pluribus partibus esse compositum, quod cum Plin. pugnat testimonio. Winkelmannus duas, Mengsius quinque partes distinxerunt. Sed fieri potuit, ut Plin. erraret. Nam cum iuncturae multa arte essent tectae, latere eum facile potuerunt. Forsitan etiam basis eius fuit elatior, quam ut omni ex parte ab eo posset perlustrari. Accedit, quod peritissimi artifices monent, ne potuisse quidem ex uno lapide tam operosum symplegma confici. Sunt pluribus locis Romae effossa aliorum signorum fragmenta, quae Laocoontem eiusque ultimos labores exhibere putantur. Antoniolus fertur serpentum Laoc. fragmenta in Esquilino eruta ostendisse, unde colligebatur, plura opera Laoc. extitisse olim. At fidem Antonioli Heynius impugnauit, et Henr. negat, ullo argumento idoneo probari, pertinuisse illos dracones, quos Ant. invenit, ad Laoc. signum. Potuerunt vero etiam plura signa L. Romae ab artificibus facta esse, neque tamen inde sequetur, id, quod superest, diuersum esse ab Agasandri opere. *Quinta Comm.* persequitur, quae in opere illo laudentur. Difficile vero

fuit, et cum magno peccandi periculo coniunctum, ad naturae exemplum accurate exprimi acerbissimi doloris vehementiam, et ita tamen mitigari, ut oculi spectatorum eam ferrent. Et artifex quidem egregia dedit intelligentiae et prudentiae documenta, quae in singulis partibus Laocoontis enumerata, non licet repetere. In sinistro latere, in quod draconum alter virus evomit, artifex inprimis expertus est, quid ingeniosa manu effici posset. Dextrum pedem retro positum idem consulto fecit sinistro longiorem. Eodem modo de filiis L. *sexta Comm.* agitur, in quibus etsi sensuum varietas quaedam exprimitur, tamen perite artifex cedere patris simulacro iussit, ut is princeps in omni symplegmate esset. Tum uniuersum opus spectatur, et quam perite lectum sit actionis momentum, ostenditur. Praeiuerat in his declarandis Heynius, neque quouis loco, quae in Meuselii Museo artiff. destinato et Göthii Propylaeis disputata sunt, consuluisse auctor videtur. Sed horum fortassis nonnulla secuturae Commentatt. attingent.

Untersuchung über das privilegirte Spitzbübenhandwerk in dem alten Aegypten von *Ioh. Friedr. Roos*, Prof. d. Gesch. und Paedagogiarch zu Giessen. (h. e. *Roosii* disquisitio de latrociniis in vetere Aegypto lege et instituto ciuitatis sancitis). Gissae ap. Braun. 1801. 16. pp. 4.

Nota sunt, quae Diodorus isque solus ea de re narrauit (I, 80.), qui etsi ea in re parum fidei merere videtur (ut in aliis quae de ordinibus Aegg. et negotiis tradidit): tamen veritatis aliquid subesse Roosius iudicat. Itaque cum Pauone (de Pauw in Rech. sur les Egypt.), nuper mortuo, existimat legem illam, quae dicitur, fuisse pactum quoddam inter Aegyptios atque Arabes ne-

mades (Beduinos) initum, eamque coniecturam pluribus firmiat argumentis.

De *Helii Eobani Hessi* in bonas litteras meritis Oratio Giessae in Audit. mai. d. XXV. Sept. cIↄIↄcccI. habita a *Christiano Theophilo Kuinoel*, Eloq. et Poes. Prof. Ord. etc. Giessae lit. Braun. 16. pp. 4.

Quamquam de vita Eobani Hessi inter poetas latinos in Germania saeculi XVI. prima parte facile principis, Camerarius, et nuper (1797.) vernaculo sermone Casp. Frid. Lossius, exposuerunt: non tamen iniucundum est recognoscere in hoc libello vitae et munerum Eobani in schola et acad. Erfurtensi, schola Noribergensi, tum iterum in acad. Erfurt., tandem in Marpurgensi, utiliter gestorum rationes egregie expositas. Vellemus licuisse auctori etiam de librorum et carminum eius virtutibus uberius disputare.

Remarks on the Cassandra of Lycophron, a Monody. By the Rev. *H. Meen*, B. D. London 1800. 52. pp. 8. (h. e. Observationes in Lycophronis Cassandram, monodrama, autore H. Meenio).

Existimat auctor ex graeca versione librorum V. T. Lycophronem cognouisse sacra vatum oracula; imitatum igitur ea poetam Alexandrinum, in gratiam Ptolemaei, hoc carmen composuisse, cuius obscuris vaticiniis allicerentur lectores. Ipsa etiam Hebraica legisse eum coniicit inde, quod v. 324. Iphigenia dicitur *Iphis*, quod nomen a *Iephthae* filia ductum putat. Latinam antiquam versionem Bernardi Betrandi praefert Canterianae. Commentarium Tzetzae non vidit constare partim antiquis et doctis scholiis, partim ineptis commentis ipsius Tzetzae. Neque sensit, quod totum drama composuit L. ex oraculis, deprauato illius aetatis ingenio tribuendum esse. Nemini autem persuade-

bit, Virgilium multa Lycophr. loca imitatum esse. cf. Gotting. ephh. 1802. n. 7. p. 70. ss.

De Theophrasti Liparaeo lapide Commentatio qua ad memoriam Caroli Gehleri — d. XVI. Dec. MDCCCI. — concelebrandam obseruantissime invitat *Christi. Aug. Schwarze* LL. AA. M. et Gymn. Conrector. Gorlicii ex off. Burgh. 1½ plag. fol.

Postquam eruditissimus Schw. studium mineralogiae commendauit philologis, idoneis usus et argumentis et exemplis, quae laudantur: locum Theophr. de lapid. sect. 25. p. 79.* ex ed. vernac. Hillii et Baumgärtneri (p. 393. med. Heins.) ita tractat, ut primum doceat, esse obsidianum lapidem (de quo qui egerint recentius mineralogi, indicantur), cum partim obsidiani lapides, quos ipse possidet ex Islandia, Hispania, Hungaria etc. sint nigri, laeves, densi, verbo tales, qualem Liparaeum Theophr. descripsit, partim eos flammarum vi in pumices mutari constet, partim Liparae in mediis pumicibus reperiri obsidianum narraverint Dolomioeus, nuper mortuus, et Spallanzanius, ita ut Theophrastus primus videatur et obsidiani (etsi alio nomine) et necessitudinis, quae illi cum pumice intercedit, mentionem iniecisse; deinde coniecturam proponat, cur Liparaei nomen ei potissimum datum fuerit: scilicet (cum Aetna obsidianos et pumices non habeat, Vesuvii tum nondum mentio facta fuerit, nec Melus insula attulisse obsidianos videatur), ex Lipara primum fragmenta obsidiani lapidis in Theophr. manus venerunt, unde ei hoc nomen est inditum. Promisit Vir doctiss. Theophr. libello, cuius multa loca illustratione egent, suam operam. Verborum de Melio lapide ap. Th. καὶ ἐκεῖνος — ἀντιπεπονθώς, sensum recte constituit hunc: *Lapis ille Melius hactenus Liparaeo veluti oppositus, et aliter, quam ille affectus est, quod in ille*

pumex nascitur, *hic autem ipse in pumice; est vero etiam ille lapis plane ab hoc diversus.*

Io. Ioach. Bellermannus, Theol. et Philos. Prof. Erfurt. et Gymn. Director iam inde ab aliquot annis *de Bibliothecis et Museis Erfordiensibus* coepit exponere, libellis ad examen in gymn. indicendum scriptis. Quartus (m. Oct. 1800.) quintus (Apr. 1801.) et sextus (m. Oct. 1801.) continent *primam*, *secundam* et *tertiam* partic. commentatt. *de rev. Minist. Aug. Conf. bibliotheca.* Hi enim latina lingua sunt scripti, superiores patria. Habet illa Bibl. sedecim voll. mss. orientalia: 1—5. quatuor bibl. codices hebraicos; 6—9. quatuor codd. Pentateuchi rotulos; 10. cod. Masorae, 11. cod. Mischnae; 12. cod. Machsor s. Kolbo; 13. et 14. duos codd. operum R. Sal. Iarchi (vulgo Raschi); 15. volumen plurium Casuisticorum Rabbinicorum; 16. codicem arabicoturcicum. I. Codex ms. membr. fol. max. constat duobus tomis, et complectitur textum bibl. hebraicum cum vocalibus; Thargum s. chald. paraphrasin intertextualem; Masoram utramque; variantes lectiones et notas criticas. Scriptus autem est a. 103. aerae minoris h. e. Chr. 1343., et ter recentius collatus, a multis autem laudatus. De eo I. et II. Part. agit. De II. et III. Part. tertia. Secundus similiter totum textum hebr. etsi alio librorum ordine, paraphrasin chald. Pentateuchi, utramque Masoram et notas criticas verum rariores habet. Brunsius eum saeculo XIV., Bellermannus saeculo XIII. adsignat. Invenit enim indicium a. 32. aer. min. h. e. Chr. 1272. Tertius membr. habet textum V. T., Masoram utramque, et notulas quasdam criticas; scriptus videtur exeunte saec. XII.

Idem Vir doctiss. antea similibus libellis *Aenigmata Hebraica* tractauerat, quorum *Quartum Specimen* ad Prov. XXX, 11—15. prodiit Erf. 1800. m. Apr. (16. pp.

4.) inprimisque v. 14. et 15. tractat: nam de tribus praecedd. iam praecedens libellus egerat. Et *Alukam* quidem, in quo vocab. tantopere dissenserunt intpp., docet esse locustam argumentis cum e linguarum orientt. copiis (ubi etiam graecum ἀκρὶς cum עקר quod per metathesin Hebr. pro ערק ponitur, comparatum est, ut ἀκρίς sit locusta dicta, quia plantas et fruges ad radicem usque avellit). Duas filias esse censet chelas s. forficulas locustarum, maxime gryllotalparum. Ita παῖς, κόρη etiam graecis, ut בן et בת orientalibus, variis modis tropice usurpatur.

Iurisprudentia in interpretando Novo Testamento Lucina. Specimen primum Evangelium Matthaei continens. Scripsit, et — praeside Aug. Corn. Stockmanno — d. 17. Nov. — ad disputandum proposuit *Gust. Sam. Theod. Baumgarten-Crusius* Dresdanus. Lipsiae impr. Tauchnitz 43. pp. 4.

Non paucos olim fuisse constat, qui ex iure Rom. eiusque libris et antiquitate Rom. multis locis N. T. (inprimis historiae supplicii Christi) lucem afferrent. Eorum nullum humaniss. auctor, ingenii recti et solidae eruditionis laude conspicuus Iuuenis, laudauit. Praemisit breuem disp. de statu publico Iudaeae tempore I. C. in qua sunt nonnulla emendanda, ut quod Archelaum eiusque fratres dicit tetrarchas esse appellatos, cum Archelaus fuerit ethnarcha non tantum Iudaeae et Samariae sed et Idumaeae. Loca, de quibus egit, Matthaei sunt: I, 19. (ubi παραδειγματισαι cum Grot. reddit puniendam tradere, accusare, atque abiecto deinde hoc accusandi consilio Iosephum dicit eam clam h. e. sine testibus repudiare voluisse. II, 16. (de potestate Herodis, et cur non accusatus ob eam crudelitatem fuerit). VIII, 21. s. (νεκροὺς priore loco proprie, ex metempsychoseos doctrina, accipit A. perquam improbabiliter).

VIII, 9. (τελώνας non operas publicanorum, sed seruos publicos, intelligi vult). X, 17. (impugnatur eorum sententia, qui synedrio supplicii sumendi potestatem fuisse existimant) XVIII, 25. (iure principis, non creditoris, hominem illum egisse ostenditur) XVIII, 28. (πνιγειν), XVIIII, 9. (πορνεία adulterium explicatur; at quomodo a μοιχεία discernetur?) XX, 17. XXI, 12. (κόλλυβος) XXII, 16. (Herodianos fuisse milites Herodis contendit) XXII, 17. (de censu pauca) XXIV, 51. (διχοτομεῖν explicat in furca aut ad columnam deligare, *diuaricare*, et ita verberare, quae fuit seruilis poena) XXV, 1—12. (ex solemnitatibus nuptialibus Romm. explicatur) XXV, 14. (de peculio seruili) XXVI, 69. (αὐλὴν non esse palatium ipsum), XXVII, 12. XXVII, 15. 22. (de crucis supplicio) 27. 35. (de speculatoribus) 57. (βουλευτὴς decurio) 58. Non semper ad partum auctoris, Iurisprudentia Lucina vocata est. * Caeterum p. 32. s. suam legis decemviralis de secando debitore profert explicationem, ut secare (κόπτειν) nihil sit, nisi caedere, verberare, eoque pro seruo declarare.

Gurlittus, scholae coenob. Berg. Director, m. Sept. a. 1800. proposuit ad examen indicendum *Lectionum in Nov. Test. secundum specimen*, quod *Particulam I.* explicationis *loci Matthaeiani qui de extremo vitae I. C. actu exponit*, continet (28. pp. 4.), atque caput 23. Matth. interpretatur ita, ut breuiter locorum sententia declaretur et verba singula, quae quidem difficiliora sunt, illustrentur, ex Iudaica et graeca antiquitate. Ita φυλακτήρια et κράσπεδα, καθηγητὴς et ὑποκριτὴς, multaeque proverbb. locutiones bene explicantur. Sententiae variae vett. et recentt. de *iureiurando* p. 13. colliguntur; fontes, unde opiniones et formulae loquendi cogitandique in N. T. occurrentes, hauriendae sint, indicantur. Denique de *scribis* et *prophetis* p. 23. ss. agitur.

Tria Observationum exegetico - criticarum in utrumque foedus pericula academicis progrr. 1799 — 1801. edidit Regiomonti *Frider. Theodorus Rinkius*, eius academiae Theologus, nuper Gedanum evocatus, vir graecarum et orientalium litterarum peritissimus. *Primum periculum* (12. pp. 4.) persequitur, quae *Rinkius* in Diss. inaug. *de* πνεύματι ἁγίῳ *ex mente Christi* (1799. 29. pp. 8.) disputare breviter coeperat. Suam enim sententiam, non satis, ut videtur, claram et perspicuam, πνεῦμα ἅγιον esse aliquid, quod in deo, quatenus auctor est religionis, dignoscatur, et quo apostolorum et primorum christianorum certissima de religionis diuina origine persuasio nitatur, confirmare porro studet locis Matth. X, 20. Ioh. VII, 38. XX, 21. s. Matth. III, 11., de quibus uti diligentius exposuit, ita inprimis in Act. II. recessit ab aliorum intpp. sententia, et cum aliter ibi etiam πνεῦμα interpretatus est, tum eius participes eo die solos apostolos factos esse censet. *Secundum* periculum (16. pp.) plura Geneseos et Michae, nonnulla Esaiae et Ioelis, loca tractat. Defenditur nonnumquam vulgaris lectio, meliorque proponitur, Arab. linguae ope, interpretatio. *Tertium*, idque recentissimum, periculum (16. pp.) initium fecit utilissimae collationis versionis antiquae latinae, syriacae atque arabicae cum graeco libri Iesu Siracidis textu (verss. 22. priorum Cap. I.), praemissa brevi disputatione, de praesidiis huius libri emendandi vel editis vel ineditis. Non modo hanc collationem auctor se absoluturum olim esse ostendit, sed aliam quoque editionum vett. et PP. Eccl. instituet.

Non dissimili consilio biennio abhinc *Ioh. Frid. Schleusnerus*, Vitebergensis Theologus, qui laudatissima operae in antiquis graecis V. Test. versionibus et apocryphis libris positae dudum dedit, et plura, spe-

cimina, coepit *Syllogen emendationum coniecturalium in versiones Graecas V. T.* proponere, cuius quidem *tertia pars* 1801. (p. 35. — 48. in 4.) prodiit, libros Sam. Regg. Paralipp. Esrae et Estherae complexa. Versata autem ita est auctoris doctrina subtilis in lectionibus horum librorum indicandis, ut non modo aliorum, sin minus omnium criticorum, certe plerorumque, Fulleri, Fabri, Valkenarii etc. sed suas quoque proponeret coniecturas, adhibitis eam in rem, quotquot aderant, praesidiis. Nam Holmesii copiis nondum nobis licet uti.

Egregium specimen criticae commentationis nuper in libro *Tobiae* proposuit *Ilgenius*, Ien. Professor:

Die Geschichte Tobi's nach drey verschiedenen Originalen, dem griechischen, dem lateinischen des Hieronymus und einem syrischen, übersetzt und mit Anmerkungen exegetischen Inhalts, auch mit einer Einleitung versehen, von *Karl David Ilgen*, d. Theol. und der morgenl. Sprachen ord. Prof. zu Iena. Ienae ap. Göpferdt. 1800. CCLXVIII. 254. pp. 8.

Veram historiam eo libro (magnam partem) narrari, non fictam, auctor, non omnino probabiliter, contendit. Idem sex aetates s. modos libri huius compositi atque recensiti discernit, graecum autem exemplum tribus partibus non ab uno scriptore vel compositis vel collectis constare censet, primam partem a Tobia ipso circa a. a. Chr. 689. esse scriptam, secundam a Iudaeo Palaest. circa a. a. Chr. 280., tertiam vero 10. fere a. C. annis. Tum sequuntur tres verss., latina, syriaca, hebraica, quibus totidem novas recensiones sive elaborationes inesse statuit.

Zur Feyer des Geburtsfestes — des Landgrafen Wilhelms IX. d. 3. Iun. 1801. ladet — gehorsamst

ein *Ioh. Tobias Gottlieb Holzapfel* d. morgenl. Spr. und Bereds. ord. öff. Prof. zu Rinteln. *Explicatur locus* Philipp. I, 1 — 8. I. Rintelii, 34. pp. 4.

Copiosa et docta est interpretatio singulorum verborum et uniuersae sententiae, quae inde exit, subtiliter examinatis lectionibus, contextu et serie orationis, aliorum interpretum opinionibus et versionibus, commendata etiam ordinis et perspicuitatis omninoque rectae rationis in interpretando laude. V. 4. κοινωνίαν εἰς τὸ εὐαγγέλιον non liberalitatem, sed, communionem religionis esse docet. Itaque et ἔργον ἀγαθὸν non beneficentiam, sed professionem illius religionis interpretatur. De ἡμέρα Χριςοῦ verissime disputat. Φρονεῖν ὑπὲρ explicat, *sentire erga*; *animatum esse in eos*, et ὑμᾶς regi a verbo ἔχειν (amanter recordari eorum) docet. Χάριν cuius συγκοινωνοί sint Philippenses, non apostolicum munus, non eleemosynas, non calamitates, sed beneficia religionis intelligit, et ἐπιποθεῖν esse *valde amare* h. l. demonstrat.

Disputationis quam M. *Io. Christ. Beyerus* Lycei Viteb. Rector, iam a. 1800. Vitebergae edidit: *de homine utrum animantibus brutis corpore praestet? prima pars* continet *aliquot veterum*, inprimis *Homeri*, *Hesiodi*, *Xenophontis* et aliorum de praestantia humani corporis non minus quam vilitate iudicia. Paullo longius auctor rem repetiit, atque in V. T. docuit deo etiam tribui, quae corporea sunt, unde corporis humani praestantia intelligatur. Similiter de Graecorum mythologia latius disputatur, ut ostendatur, eorum deos hominibus praestare fingi immortalitate, velocitate, formositate et fortitudine, sed esse tamen eas virtutes, quae ad corpus magis spectent; et describi eos in mares et feminas; tribui iis domicilia, instrumenta, affectus,

membra hominum; quae quidem omnia, nemini ignota, multis exemplis confirmantur. Neque illud praeteritur, quod heroes conuitia, quibus se proscindant, a corpore brutorum repetant. Inde a p. 19. loca Xenoph. Mem. I, 4, 5. s. 11. ss. Cic. de N. D. I, 18. 56. ss. et aliorum afferuntur, quae de humani corporis praestantia agunt, et p. 25. ss. Lucretii V, 223. ss. et aliorum quibus corpus humanum vituperatur. Reliquae libelli partes ad recentiorum decreta et quaestionis iudicium pertinent.

In *Christiani Weissii* Prof. Phil. extraord. Lips. programmate, quod d. 19. Sept. 1801. proposuit Lipsiae, *de Scepticismi causa atque natura* (65. pp. 4.) multa, quibus antiqua philosophia, inprimisque *Sceptica* disciplina subtiliter et docte explicantur, leguntur. Sic cap. 2. de philosophiae generibus, *dogmatico* et *sceptico*, praeeunte Diog. Laert. disputatur, aduersus Sextum, qui tertium genus, academicorum, addidit. Caput 3. de Sceως principio, ortu et incremento exponit. Non diffitetur auctor, e Sophistarum gr. turbis emersisse Scepticismum, sed istos ea omnia, quae in sceptica institutione maxime probanda sunt, leuiter attigisse negat. Tres constituit Scepticorum gradus et ordines, 1. eorum qui omnino monent *nihil esse certi*, 2. eorum, qui *generalia et necessaria esse rationis principia negant*; tertium eorum, qui subiectiua rationis principia largientes, iis *verum ipsum* attingi, et *criterium veri obiectiuum esse negant*. Trium graduum exempla e vett. Scepticis et Acadd. afferuntur, et docte illustrantur, quae etiam post *Stäudlini* copiosum librum de historia et ingenio Scepticismi, patria lingua conscriptum, cognovisse nos pigebit.

Iuuabit etiam ad cognoscendam Aristotelicae philosophiae et historiam et decreta multa contulisse librum

W. L. G. Lib. Bar. *de Eberstein*, qui inscribitur: *Ueber die Beschaffenheit der Logik und Metaphysik der reinen Peripatetiker, nebst Zusätzen einige scholastische Theorien betreffend*. Halle, b. Hemmerde 1800. 152. pp. 8. mai. Nam etsi agitur partim de philosophia peripatetica pura saecc. XVI. et XVII., partim (in Addit.) de praecipuorum Nominalistarum et Realistarum decretis, quae utraque commentatio vere auget historiae philos. copias: tamen etiam ex Aristotelis Aristotelicorumque scriptis non pauca loca comparando illustrantur.

Mentio iam aliquoties a nobis facta est librorum scriptorum atque operum antiquorum, in Galliam ex regionibus exteris deportatorum. Nacti nuper sumus venerandi amici beneficio Catalogum eorum, quibus Italia spoliata est, monumentorum. *Catalogo de' Capi d' Opera di pittura, scultura, antichità, Libri*, storia naturale, ed altre curiosità trasportati dall' Italia in Francia. Venezia 1799. presso Ant. Curti Q. Giacomo a S. Polo. XXXII. pp. 4. et *Appendice* IV. pp. Descriptus est catalogus in classes operum, ita ut secunda sectio opera sculpturae antiquae, tertia suppellectilem antiquariam, quarta codices mss. et editiones principes, enumeret. Sed codices non nisi praestantissimi diserte memorantur, alii omnino indicantur. In quaque sectione nominata sunt loca, unde ea opera in Galliam ablata sint.

Academias Italiae plurimum contulisse ad optimarum litterarum studia vel excitanda vel augenda, nemo ita est historiae omnis ignarus ut nesciat. Nam siue quis virorum doctorum, qui saec. XV. et XVI. in Italia litteras ornarunt, vitam cognouerit, siue librorum, qui tum editi sunt, copias examinauerit, quanta fuerint in utroque genere illarum academiarum merita, facile intelliget. In iis academiis fuit etiam Veneta, cuius

memoriam nuper apud nos renouauit egregio libro edito *Lunzius* V. D. Inscribitur: *Academia Veneta seu della Fama in disquisitionem vocata actore et auctore Io. Gottlob Lunze*, LL. AA. M. et Philos. Doct. Schol. ad D. Nic. Conrect. Lipsiae, impensis auctoris, MDCCCI. 179. pp. 8. in quo quidem libello multo plus praestitum est, quam ab iis, qui antea de ea academia exposuerunt, ut nuper Veesenmeyerus, atque ad historiam litterariam illius aetatis et typographiae utilissime multa disputantur, eaque non trita neque vulgaria. Distincta primum est ea academia ab aliis eiusdem loci et nominis Acadd., singulatim Aldina, et ea quae secunda dicitur, quamquam temporis ratione tertia est (condita 1593.), cuius utriusque historiam breuiter auctor persequitur. Tum de eius Academiae, quae eximie *Veneta* (la Veneziana s. della Fama) dicitur, nomine, insigni, symbolo, auctore (Frid. Baduario), tempore institutionis (1558.), forma et legibus, academicis, eorum studiis et occupationibus, bibliotheca, typographeo, consilio, interitu (1561.) exponitur. Sequitur Recensus (25.) librorum in acad. Veneta excusorum ab a. 1558—1561. tot enim diligentia Viri litteratissimi indagare potuit. In his etiam est Progne, tragoedia Corrarii, quam sub Terei nomine veteri cuidam tragico adscripserat Heeckensius. Adiectae sunt Retractationes et Additiones, in quibus et de sua vita quaedam pietas auctorem iussit narrare. Cum multa proposuerit ad litterarum historiam obseruata, quaerendi ea laborem leuauit idoneo adiecto indice.

XIII.

XIII.

Laur. Santenii Obss. ad loca nonnulla vett. poëtarum latinorum.

De editione operum *Hier. Balbi*, quam *Iosephus de Retzer* Vindob. 1792. s. II. 8. curauit, non modo epistolae duae, altera francogall. *Barthol. Mercierii* (Abbé de St. Leger) altera latina *Dav. Ruhnkenii* leguntur in Indice litter. uniu. Lips. (Allgemeiner litterar. Anzeiger), qui per quinquennium litterarum historiae inseruiit, n. 186. a. 1801. p. 1785. ss., sed etiam Ruhnkenii litteris [1]) adiectae (p. 1787. ss. n. 187. p. 1793. ss.

1) Litteras illas, quia breues, et elegantes, et a Ruhnk. scriptae sunt, repetiimus: „Viro illustri *Iosepho de Retzer* S. P. D. *David Ruhnkenius*. Etsi praeclara opera, quam *Balbo*, ex inferis ad vitam revocato, navasti, omnibus venerum Latinarum studiosis gratissima accidit, nemini tamen gratior, quam mihi, eiusdem laboris in *Mureto* edendo socio et consorti. Quo maiores Tibi gratias pro munere pulcherrimo ago, et me Tibi plane devinctum esse fateor. In carminum Balbinorum lectione cum me multa vitia, quae ex superioribus Edd. in hanc novam, Te invito, irrepserant, non mediocriter turbarent, librum legendum et corrigendum dedi *Laurentio Santenio*, cui haec aetas vix parem habet in Latinis poëtis tractandis. Sic natae sunt exquisitissimae in Balbum animadversiones, quas, mea sententia, recte feceris, si ad communem utilitatem protuleris, et, tanquam appendicem, Balbi operibus subieceris. Video quidem plerosque errores in fine Tomi II. esse sublatos. Sed Santenianae correctiones doctrinam habent utilem futuris poëtis. Vale, vir illustris, et quod facis, litteras

188, p. 1801. 189, 1817. 190, 1825. 191, 1833. 192, 1842.) *Laur. van Santen* egregiae animadversiones, quibus non tantum in carminum Balbi parte lectiones quaedam corriguntur, eae, quae in notis subiectae sunt, saepe praeferuntur, errores inprimis metrici emendantur, vett. poëtarum (Horatii, Virgilii, Ouidii, Tibulli, Propertii, Persii, Statii, Martialis, Nemesiani, Valerii Flacci, Lucani, Claudiani) loca Balbo obuersata laudantur et comparantur, nonnulla ad poëticae elegantiae et numerorum mollium sensum acuendum utilissime monentur, verum etiam antiquorum poetarum loca plura illustrantur aut emendantur. Ea vero inde excerpere non alienum visum est.

n. 186. (ad p. 102.) *numerosaque stagna, moenia structa.* Durities, quam semel *Virgilius*, bis terve *Propertius*, nunquam admiserunt *Tibullus*, *Catullus*, *Ovidius*.

Optimi recentt. poetae Itali in voc. *ergo* ultimam syllabam corripiunt, quod non ferebant aevi Augustei aures. v. ad Muret. T. IV. p. XXXI.

Semifer vocabulo *semivir* praefert cum Heinsio ad Ovid. IX. Her. 141.

Transiliisse suspecta forma, pro *transiluisse*. V. Drak. ad Liv. II, 10, 11. Formam *Leucothee* (pro Leucothoe) asserit Munker. ad Hygin. fab. 2. p. 156.

Relligiosa una *l* scribendum: prima enim nunquam corripitur. Prudentii locus Peristeph. 259. per synizesin legendus: religiosas —

Audacter Balbus cum Catull. carm. nupt. 58, 5. Grae-

---

nostras ornare perge. Dab. Lugd. Bat. d. 20. Jul. 1792."
De vitiis nouae ed. opp. Balbi etiam in eodem libello (Allg. litt. Anzeiger 1797. n. 132. p. 1353. ss. n. 133. p. 1361. ss. dictum est.

eorum imitatione elisionem negligit. Nec tamen apud Rom. exempla deesse puto, aspiratione inprimis occurrente. Proponam in comm. ad Terent. Maurum.

Alteram in *Tarquinius* syllabam corripi constat ex not. Pierii et Burm. ad VI. Aen. 818. ubi producatur, nullum certum exemplum reperi. Nescio tamen an per synizesin *Tarquinii* producere liceat, cum sic in trisyllaba voce prior *i* consonans fiat. De hoc quoque pluribus agere ad Terentianum animus est.

Ap. Prop. I, 6, 3. perperam Burm. cum multis edidisse *Rhiphaeos*, et in Serv. ad Aen. IX, 82. extr. male vulgari *Riphaeos*, pro *Rhipaeos* monetur. Graecis sunt τὰ Ῥίπαια ὄρη. Et litterae Gr. Ῥ aspirationem Romani modo retinent, modo omittunt. Sic et *Tigris*, non Tygris, dicitur, ut gr. Τίγρις.

Quamquam Romani frequenter Graecorum υ in *i* mutarunt, ut in silva, lacrima etc. tamen id minus obtinere in nominibus propriis censetur. — Propertius etiam (IV, 7, 7.) Eosdem per synizesin dixit.

In Prop. II, 20, 63. praefert (p. 1792.):

Et maris et terrae, caeca pericla, vias.

N. 187. Manilii locus I, 21. ex Hemsterhusii correctione laudatur: — *premor* duplici circumdatus aestu.

Cum Ovid. I. Pont. 3, 33. (Fumum de patriis focis) comparatur Hom. Od. A, 57. et Rutil. I, 195.

In Prop. IV, 5, 5. Dativum *Veneri* Burmannus cum verbo *mollire* coniunxit, quod num recte factum sit, alias se visurum ostendit.

Prop. III, 22, 25. coniecturam *fluit* (pro vulg. *fuit* in tunica), contra omnes codd. et edd. primas Burmannum recipere non oportuit. Et superiora *unquam visa* praeteritum sequens requirunt; et tuetur Ovidius II. Art. 297. Sive *erit* in Tyriis etc.

In Ovid. Her. IX, 64. Balbus imitando lectionem *alba* confirmat. add. Burm.

Tibull. III, 4, 39. Burmannus patruus cum pro verbis: Hanc primum *veniens* etc. in codd. invenisset *veneri*, emendauit *feriens*, quam lectionem iuuare locum Balbi, ubi est, plectro citharam percussit eburno, monetur.

Tib. III, 6, 32. Venit post *multos* una serena dies. S. dudum monet se vidisse legendum esse: Venit post *nimbos* — Ita Balbus habet: remeat pulsa nube ser. dies.

Ouid. I. Amor. 2, ult. Qua vicit, victos etc. Non sequitur S. Burmannos pro prisca lectione *vicit* commendantes *vincit*. Cum eo loco comparat Prop. II, 13, 42. Auct. ad Her. IV, 16. ad fin. — *Duplici foenore* Prop. III, 1, 22. cum Ouid. ex P. I, 5, 26. comparat. — In Tib. I, 2, 69. cum Schradero Emendd. c. 6. p. 113. praefert: Totus et argento *contectus*, totus et auro; et in eodem II, 5, 121. ipse S. olim iam in Bibl. Crit. proposuerat legendum: *Ipse geret* laurus (pro vulg. *gerens*.)

Primam in *propitius* productam non habet Balbus, quo tueatur, nisi Christianos poetas, Iuvencum I. Hist. Ev. V. 16. et Prudent. Peristeph. III, 215. XIV, 145. Antiquius saeculum corripuit. Sen. Agam. 403. Cf. Voss. Art. II, 39. p. 304. s.

In Prop. IV, 1, 58. pro *Sed tamen* Sant. praefert *Et tamen* et postea cum Balbo et Lupacchini codice *serviet* (ubi vulg. *serviat*,)

n. 188. *Heu mihi!* pro *Heu me!* unius Plautini loci auctoritate, an vitio, niti videtur. Nimirum in Mil. Glor. IV, 8, 52. aliquando lectum fuisse *Heu mihi! nequeo quin fleam*, liquet ex Vossio de Construct. c. 69. p. 272. Gesnero Thes. v. *heu:* nescio an propter

mutilatum Cledonium p. 1875. 12. Sed audiendus Bentleius ad Hor. Epod. XI, 7. et reddendum *Hei.*

Prop. III, 2, 9. Geminum epitheton (*sinistram Cannensem* non offendit Santenium, ut Heinsium, qui tentabat *Cannarum*, cum alterum nomen sit proprium.

Ouid. I. Pont. 6, 5. Non cadit in mores etc. Ciceronem p. Sulla c. 27. §. 75. confert S. Caet. etsi Ovidius multas formas in *abilis* habet, tamen frustra *culpabilis* apud eum aut alium eius aevi quaesiveris.

Virg. X. Aen. 501. recte Heynius dedit *Et servare* modum, corrigens errorem Burmanni *Nec*, decepti, opinor, corruptis Servii Danielis verbis.

Prop. I, 1, 31. Balbus expressit antiquam lectionem *aure*, ubi nunc ex optimo Commel. cod. est *ore*.

Prop. III, 1, 19. cum Brukh. et Balbo, hephthemimeri reddita, scribit: Mollia, Pegasides, *vestro date* serta p. Codd. plerique et edd. pr. *date vestro*.

Tibullus I, 3, 47. eamdem rem alio et alio verbo enuntians offendit viros doctos. v. Burm. ad Lotich. p. 264. et Heyn. Hoeufftius pro *bella* legit *tela;* alius *aries* pro *acies*. Conferre non poenitebit auctorem Octaviae (inter Sen. tragoedias 399. ss.)

Ovid. III. Trist. 13, 17. scripsisse censet: *geniale* (non *genitale*) notantia tempus: quia dies natalis genio est sacer. Confirmat Iuven. III, 187.

Tibull. II, 2, 5. duo ex tribus codd. Santenii eum habent verborum ordinem, quem et Balbus: Ipse suos adsit Genius — tertius recentior cum aliis: *Ipse suos Genius adsit.* Quam structuram concinniorem esse, Heynio concedo, quia Tibullus alibi etiam caesurae productione utitur, ut I, 10, 13.

Audacter Balbus (p. 147.) ultimam in *cane* produxit: concurrente tamen cum hephthemimeri debili po-

sitione, absit ut improbem. Duplici auxilio uti amant veteres.

Tibull. I, 6, 57. antiquam lectionem *Eveniet* agnoscunt tres ap. Sant. codices et principes edd. duae, Ven. 1475. et Rhegiensis 1481. Heinsius ex aliis: *Evenient*. Utrumque quidem videtur posse dici; at illud constat, non oportuisse Heinsium in textum Ovid. III. Met. 424. coniecturam inducere.

Tibull. I, 7. extr. *candidiorque veni*. Balbus hoc imitatus p. 148. fin. habet: candidiorque *redi*, in quo Bentleius cum eo facit ad Hor. Carm. Saec. 65. fin. p. 355. Tres codd. Sant. servant *veni*.

Vocab. *cothurnus* ap. Mart. et posteriores generatim pro sublimitate dicitur, ap. Virg. et Prop. tantum cum nomine tragici, ut Sophocleus cothurnus etc.

Sectile porrum ap. Balb. Ep. 6. p. 150. ad antiquam in Martiali lectionem X, 48, 9. refertur. Capitato opponit Palladius I. 3. tit. 24. Februar. §. XI.

Manil. III, 258. cum antiquae edd. habeant *vertit* in horas, pro *fertur*, Heinsius in ineditis tentat *vergit*.

Ouid. III, Tr. 7, 33. *Ista decens* facies — observatur, cum epitheton alterum est pronomen, geminationi nihil inesse quod reprehendas. — Ouid. XV. Met. 69. et Stat. V. Sylv. 3, 21. inter se cum Balb. Eleg. 20. p. 154. componuntur.

Prop. III, 3, 54. *bibat* arcus aquas, quod iure Burmannus vulgatae praeferebat, confirmatur Askewiano. Tib. I, 4, 44. Venturam *admittat* etc. cuius verbum *admittere* per *incitare* iam ante Scaligerum explicavit Guellius in Paralip. ad Virg. p. 575.

N. 189. Tib. I, 2, 50. *aestivo convocat orbe nives*. Hanc lectionem bene tueri Heynium monet S. At Corvin. et tres Sant. Codd., Veneta 1475. et Rheg. 1481.

pro lectione quam Brukhus. memorat: Cum libet, aestivo *fulgerat* orbe *deos*. Burmannus Secundus divinaverat *deus*, i. e. Iupiter, ex Hor. I. Od. 34, 7.

Prop. III, 2, fin. Ora *Philetaea* nostra rigauit aqua. Ita Sant. legit, quia formam *Philetеus* idonea auctoritate niti negat. *Philetaeus* confirmant codicis Lupachinii penes ipsum excerpta, quod secutus est IV, 6, 3.

Prop. II, 10, 53. *Adonin.* Edd. pr. et nonnulli codd. *Adonem*, quam lect. etiam Balbus expressit (p. 155.) Sed ea scriptura repudiatur, quia *Adon* non nisi seriori aevo dictus est. Ita etiam Augusti saeculo nemo *Cypris*, omnes dixerunt *Cypria*.

Tib. II, 3, 2. *heu, heu!* confirmat cod. Corvin. pro *eheu*, probante Sant. — Eiusd. I, 3, 37. *contemserat* nihil habet nimis grave aut magnificum pro Tibulli simplicitate, siquidem Livius etiam sic loquitur ap. Burm. ad Claudian. II, in Ruf. 123. Confirmant cod. Datianus et Askewianus ap. Sant. (etiam Balbus, recti iudicii et sensus poëta, qui p. 155. Navita *contemto* — mari): tertius tantum cod. receptior Sant. habet *contexerat*.

Tib. I, 1, 10. *pinguia* musta. *Spumea*, quod Heins. proposuit, magis convenire censet Sant. (p. 1820.) orationi Prop., qui III, 15, 17. *spument* dolia musto. — Tibulliana simplicitas amat proprietatem: ut *vinum pingue* dicitur Hor. II. Serm. 4, 65. Cf. Targam ad Cels. II, 18, 74.

Tibull. I, 3, 45. *Ipsae* mella dabant etc. Balbus explicat l. l. *sponte sua* quercus dulcia mella dabat, dicens. Est enim *ipsae* Gr. αὐταί, sponte, sine apium cura aut cultura, quam vim τοῦ *ipse* a Lexicographis omitti non oportuit. Cf. Serv., Guel., Burm., Duk. ad Virg. Ecl. IV, 21. Propertium pro Tibullo laudat Vrsinus ad Virg. Ecl. 4, 30.

Tac. de mor. Germ. 46. *cubile humus.* Dubitari potest, an legendum sit *cubili humus* (quia dativi praecedunt.) Ouid. II. Art. am. 475.

Ad verba Balbi p. 156. *mare scindere* adnotatur: Quamvis Propertius bis terve in debilem positionem peccaverit, est tamen, ubi et mollius loqui maluit: III, 7, 35. *mare findo.*

Tib. I, 2, 17. *iuvenis* nova limina tentat. Nullus cod. Santenii habet *iuvenum:* recentior tantum ordine immutato: Illa favet, iuvenis seu quis. —

P. 1822. *Ha* nunquam dolentis est interiectio. *Ah miser* exclamatio est pathetica: v. Broukh. ad Tib. I, 10, 5. ubi in uno Sant. scribitur etiam *ha*, in cuius modi codices procul dubio incidit Balbus, quorum scriptores praua utebantur pronunciatione.

Prop. IV, 5, 57. Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,

Vtere, ne quid cras libet ab ore dies.

quam lectionem confirmant Lupacchini membranae; *Pontani* etiam codex teste *Puccho* habebat:

— dum rugis integer, annis

Vtere, ne quid cras libet ab ore dies.

Altera autem lectio, *ne quis eat liber amore dies*, quam commentatores *Volsco* auctori adscribunt, mera est coniectura *Domitii*, qui eam proposuit in *Elucubratione in quaedam Propertii loca*, subiuncta Commentario in *Ovidii Sapphonem* et *Statii Sylvas* Romi. 1475.; quam certatim probarunt Itali, et suis exemplaribus adscripserunt, ut Rhegiensi *Franciscus Puccius* et *Alexander Syncliticus*; a Volsco autem inde, sive a. 1487. repetiverunt editores; defendit nugacissimus *Ouwensius* in Noct. Hag. p. 564. et, quod nollem, commendavit Burmannus meus. Equidem Broukhusium optimo iure codices secutum vel ideo contendo, quod eorum lectionem

vel solus sententiae contextus flagitat sequenti disticho: Vidi ego etc. Cum Prop. l. l. Santenius comparat Tibull. I, 8, 47. et Ouid. III, Art. 65. ss. Vtendum est — data est; Quid *salebrosum* in hoc pentametro dixerit Volscus, se pro certo affirmare negat, nisi forte monosyllabum in penthemimeri (ne quid *cras*) eum offenderit. Sed et hoc exemplo non carere, apud Graecos inprimis. Il. E, 532. 595. 601. Prop. IV, 6, 66. Ouid. X. Met. 85. Catull. LXXII, 2, 8. 10. 24. 27.

Tibull. I. 7, 51. *Illius nitido* — Haec antiquissima lectio, edit. etiam 1493. Guyeto placebat. Codex meus Datianus, tertiusque recentior, habent: *Illius et.* Askewianus: *Illius e.*

P. 1823. *Diluere*, proprium verbum, de vino usurpant etiam Prop. III, 15, 6. et Ovid. I, Art. 238. — In Tib. III, 6, 4. ne *cecidit* loco moveas, cavet Burm. ad Phaedr. IV, 5, 2.

Prop. I, 9, 21. *toties* cum codd. et edd. a Burm. memoratis habet codex *Lupacchini* et Veneta princeps. Quare in textu servandum fuerat, *Douzae* coniectura *tota* merita laude in notis commendata. — Prop. III, 15, 7. *testatur amoris.* Verissimam licet emendationem pro *testatur in astris*, iure tamen a verbis poëtae Burmannus abesse iussit.

Prop. IV, 6, 75. Veram lectionem Balbus expressit: Ingenium *potis* irritat Musa poëtis; quam primus exhibuit Ioan. Calphurnius in Vicentina 1481. et adscripsit Puccius ad Rhegiensem. Princeps editio cum codd., Vaticano excepto, *positis*, quod *Synclitious* explicat; *dispositis in ordinem ad cantum.*

Prop. IV, 6, 71. *molli* subeant convivia *luco.* Balbus expressisse videtur *luxu*, quod non minus epitheto *molli*, quam vulgatum *luco*, aut plerorumque correctionem *ludo*, convenire monet Sant.

videtur. Est enim quasi solennis tam Graecorum quam Romm. formula, a prostratis in bello desumta. Il. Σ, 20. Steph. Thes. T. II. p. 160. F. Bion. I, 7. significatque proxima virtute, *deiectus*, *devictus est*, ut eleganter, teste Burm. ad Prop. I, 5, 14. fin., sola interpunctione mutata; reposuit Drakenborch. apud Ouid. Her. IV, 150. Heu! ubi nunc fastus altaque verba? iacent.

Tibull. I, 1, 2. iugera *multa* soli. Perpauci codd. ita habere videntur. Tres Sant. cum aliquorum reliquis: *magna*: quod significat, *multa*, sive, quae, cum multa sint, magnum regionis spatium occupant. Ad Diomedem autem l. 3. p. 481. fin. quod provocat Brukhusius, *multa* defendens: sciendum, antiquas edd. servare: „Elegia est carmen compositum hexametro versu pentametroque, ad invicem positis, ut: Divitias alius fulvo sibi congerat auro, Et teneat culti iugera *magna* soli.“ Certe *magnus* in iis, quae pondere, mensura, numero constant, non raro ad vim τοῦ *multus* prope accedit, ut Homerus τὸ μέγας ὀλίγῳ opponit, et λάεσσι μεγάλοις frequentat; Virgilius I. Aen. 148. *magnum* populum dixit frequentem, magno numero constantem. Tibull. I, 6, 22. *magnum* foenus appellat, quod Propert. III, 1, 22. *duplex*, Ovidius Rem. 174. *multum*.

In Ouid. V. Trist. 3, 43. mavult S. *releua* legi, quam quod vulg. *releues*.

Propert. II, 23, 109. *Et cum* — *antiquas* — Valckenarius in notis ineditis ad Callimachea p. 91. tentabat: *Sed quum* — *antiqui*. [Legitur ea coniectura in Fragm. Callim. illustratis a. L. C. Valckenaer et editis a I. Luzac, 1799. p. 101.]

Prop. III, 15. 17. Lectionem: Dummodo purpureo *spument* mihi dolio musto, confirmari Balbi epigr. 51. p. 166. monetur.

Corrupta lectio in Ouid. IV, Pont. 1, 33. fraudi fuit Balbo p. 167. Calays pro *Calamis* scribenti. v. Burm. ad Prop. III, 7, 10.

Claudian. Idyll. V, 26. *magnetica* gemma. Cum Claudiani codd. *Magnetia* vel *Magnetida* habeant, Sant. accedit Heinsio, *Magnesia* corrigenti ex Lucret. VI, 1062. quem tractat etiam *Falconet* Mém. de l'Acad. d. Inscr. T. IV. p. 619. nec ab adiectivo *Magnes* novum *Magneticus* formari existimat.

P. 1832. Quae Servius ad VII, Aen. 641. de Cithaerone et Helicone tradit., ea verius Acron ad Hor. II. Od. 1. fin. de Cyrrha et Nysa. v. Iuuenal. VII, 63. ubi v. 65. ex antiqua ed. Veneta Santenius legit: Pectora *nostra*.

Tibull. III, 3, 13. *innixa* columnis. Hanc lectionem vulg. confirmant tres codd. Sant. atque ipse eam elegantiorem putat, quam *subnixa*. Similis est Claudianus II. in Ruf. 132. de quo Burm. ad Prop. III, 1, 49.

Saepe etiam ostenditur a Sant. quid inter imitationem liberam atque ingeniosam et furtum intersit.

In Ouid. III. Am. 9, 15. vulg. *confusa* Sant. (n. 191, p. 1833.) accipit pro *perturbata* potius quam cum Burm. pro *tristis*. Caet. ita legisse Balbum ostendit. Cum Ouid. II, Fast. 341. confert Pind. Theb. 254.

De loco Tib. II, 3, 21. haec scripsit: Venit *et e* — iam comparet in Brixiensi 1486. ap. Brukh. et in Veneta penes me a. 1493. At Venetae 1495. et Rhegiensi cum plurimis aliis consentit Corvin. et penes me *Askewianus*, et recentior; item *Datianus*, qui habet *et ad.* Burmannus patruus volebat: *at e*. Similis confusio II, 4, 30. ubi exemplaribus ab Heynio recensitis, quae *e* non *a*, exhibent, addo tres meos, Venetam 1475. et Rhegiensem, quod firmat Statius Sylv. IV, 6, 6.; pe-

nes me ex antiquis tantum Veneta 1493. habet *a*. Caeterum ex priore Tib. loco iure Vrsinus et Grut. plerorumque vetustorum exemplarium lectionem defendunt in Cic. Verr. III, 12. illusos et *irritos* — confirmante cod. etiam Huldecop., pro *irrisos*.

De forma *Polymnia* haec notat: Docta forma, Graecis vulgo usitata, per syncopen, nimirum pro Πολυΰμνια Etymol. V. Εὐρύπυλος p. 396, 38. — ut Romani pro *vehemens* dicunt *vemens*, *cors* pro *cohors*, *prendo* pro *prehendo*, *nil* pro *nihil*. Diodorus Bibl. IV, 7. p. 253, 16. Πολυμνίαν δὲ etc. add. Phurnutum c. 14. p. 159. fin. Quam veriorem existimo vocis derivationem Heinsiana ex πολὺ et μνεῖα ad Ouid. V, Fast. 9. et Heyniana ad Cirin 55. Itaque suspecta mihi est forma Πολύμνεια, quam dat Stephanus in Append. Thes. L. Gr. et *Polymneia*, quam Scholiastes Cruquianus Horatio I. Od. I, 33. corrigendus ex *Acrone*, qui laudat Virgilianum: Alituum pecudumque genus Polyhymnia cantat; cum quo facit *Bentleius*, defendente Gesnero et confirmantibus penes me cod. antiquiss. Leid. excerptis. — Polymnia etiam Anth. Lat. I. ep. 73. Paene excidit monere, in Luciano de Salt. c. 36. T. II. p. 289. recte legi in cod. Marciano videri Πολύμνιαν, cuius nomen ἀπὸ τοῦ μεμνῆσθαι deriuari non iudicat *Lucianus*, quod putabat *Lambinus*, sed ideo eam memorat, quia est δεικτικὴ καὶ τῶν ἐννοηθέντων ἐξαγορευτικὴ, v. Anth. Steph. I, 67, 32. p. 94. (Τέρψιαϑ — Πολύμνια —) in Anth. I, 64, 7. (Signat cuncta manu etc.) ex Ouid. III, Art. 275.

In Tib. I, 5, 70. *Fors* a Brukh. notatum confirmat ex meis codd. recentior, et edd. 1475. 1481. 1493. duo codd. *sors*. v. Drak. ad Sil. XV, 105. Heyn. ad Virg. Ecl. IX, 5.

In Prop. III, 11, 6. lectionem *concha Erycina*, a Balbo expressam invenio in ed. Ven. Prop. 1475. Rhe-

giensi 1481. et praeter commentatores nonnullos defendunt Domitius ad Martial. II, 47, 2. et *Larcher* Mem. sur Venus p. 100. Quae tamen a *Beroaldo* iam a. 1487. proposita arridebat Burmanno, *Erythraea*, claris ductibus legitur in membranis *Venantii Lupacchini*.

In Tib. IV, 4. init. (*et tenerae* morbos etc.) pro *et* quod abest a Ven. 1475. habet quidem *o tenerae* MS. Schefferi aliique, ab Heyn. enumerati, sed *et* a tribus meis agnoscitur.

P. 1837. Vltimam voc. *Tethys* corripuit Balbus auctoritate loci Ovid. Fast. V, 22. *Tethys et extremo saepe recepta loco est;* quemadmodum Aldus iam exhibuit 1503. Vetustissimae autem edd. cum plerisque codd. *Et Thetis* — Gronovianus: *Et Themis* — Paulus autem Marsus Ven. 1485. ex sua edidit coniectura: *Extremo et Tethys;* producendam contendens propter Virg. Ge. I, 31. (Tethys amat.) quod tamen ob concurrentem caesuram dubio non caret. At si fides *Vossio* I. Art. 36. p. 293. *Priscianus* quoque produci eam affirmat. Quicquid eius sit, diversissimae sunt Τηθὺς et Θέτις. *Tethys* Oceani uxor, filia Coeli, mater Nerei et Doridis, avia Thetidis; quae *Tethys* pro oceano ponitur, universam terram ambiente et occidentem solem vesperi excipiente. (cf. Ouid. II, Met. 67. s. Valer. Flacc. II, 36.) At Thetis, Pelei uxor, filia Nerei et Doridis, una Nereidum, Tethyos neptis, maris tantum mediterranei praeses, nunquam pro oceano posita. Alteram ab altera optime omnium distinxit *Erythraeus* in Ind. Virg. V. Tethys, et rectius elegantissimae eruditionis viro, *Nodellio*, in Not. Crit. c. 5. p. 121. Cf. Voss. ad Catull. p. 76. et quos indicat Burm. ad Anth. Lat. III, 31, 9. V, 113, 1. qui aviam cum nepti saepius confusam esse ostendunt. Illud quidem fieri non potest, ut eruditissimus poeta, *Statius*, quam *rubram Thetyn* appellat IV. Theb. 388.

idem *Erythraeam Thetida* dixerit IV. Sylv. 6, 18. cum Marklando. Crediderim potius, scripsisse Papinium:

Nox, et *Erythraei niveis* signanda lapillis.

ut *nivei lapilli* margaritae sunt Hor. I, Serm. 2, 80. Senec. Hipp. 391. Sil. XII, 230. e rubro lucida concha mari Tib. II, 4, 30. Erythraei lapilli Martial. V, 38, 4.

P. 1838. Hemistichium (*sub iuga panda boves*) saepius occurrit ap. Ovid. (v. Heins. ad I. Art. 318. variantibus codicibus in *panda* et *curva*, quorum illud Nasoni in deliciis esse, docet Heinsius. Eadem varietas ap. Tib. I, 10, 46. ubi cum paucis codex meus recentior *panda*; duo antiquiores cum plurimis *curva*, quod haud scio an simpliciori Tibulli orationi magis conveniat. Styli genera commiscuit noster (Balbus); at *Flaminius* optimo iudicio vnum sibi exprimendum proposuit.

Propert. II, 25, 55. primae etiam editionis haec lectio est:

Sed tamen obsistam: teritur rubigine mucro
Ferreus, et parvo saepe liquore silex.

P. 1839. Catull. Eleg. ad Manl. LXIV, 18. (Quae dulcem curis etc.) in animo forsan habuit Burm. ad Prop. I, 3, 14. fin. alium falso *Catulli* nomine laudans.

Ouid. III, 1, 7. (Venit odoratos Elegïa *nexa* capillos) codicibus obnitentibus tentat Heinsius *pexa*, quia non additur, qua arbore nexa fuerit. Posset tamen generatim accipi, *non effusa comas*, *adstricta*.

Tib. I, 2, 2. lumina *victa* (non *vincta*) confirmant codd. penes Sant., cum antiquis edd. Ad Propert. IV, 11, 27. (Si fallo etc.) ex codd., quos recensui, Askewianum nunc meum, dele.

N. 192. p. 1842. Quod legitur ap. Balb. p. 179. carm. 79. *Canius* confirmare monetur receptam lectionem in Cic. de Off. III, 14. Quod interdum ecthlipsin negligit,

git, in eo quoque habet, quo se tueatur, veterum exemplum.

In Tib. I, 1, 55. lectionem vulg. formosae *vincla* puellae, confirmant duo Sant. codd. Tertius codex recentior: — formosae *cura* puellae.

Exquisitum verbi *dissimulare* (pro simulare s. assimulare) usum confirmat Ouid. Met. II, 373.

P. 1843. Propert. II, 10, 3. *graciles Musae* dictio est poeta summo dignissima, sumta a dicendi genere, quod rhetoribus est ἰσχνόν. Itaque hic non probo *Iacobsium*, in Germanis eruditis sane non ultimum, Animm. in Eurip. p. 173. corrigentem *Castalides*, et *hic* pro *sic*. *Sic* accipio *cum Musa tam gracili*. Auctor Culicis 1: Lusimus — gracili modulante Thalia, quod, nollem, pravum vocasset Heynius meus; Columell. X, 227. Ne a prosa quidem oratione plane alienum est, ut *Lysiaca gracilitas* Quint. XII, 10, 24. et §. 36. non possumus esse *tam graciles*. Simili virtute *tenuis* Cic. Orat. c. 24, 81. Statio V. Sylv. 3, 158. Mart. X, 103.

Prop. II, 18, 66. *immunda* — casa. Cod. Lupacch. *in nuda*, ut Balbus dixit, in obscuro carcere latere.

P. 1844. Ad Prop. IV, 1, 70. Solemne poëtis, sibi equos dare et currus, et locutionibus uti, ab re equestri desumtis. Cf. Arist. Vesp. 1017. Cic. ad Q. Fr. II, 15. Acron ad Hor. Od. II, 12, 9. Commentt. ad Nemes. Cyneg. 9. unde olim Columellam emendabam ap. Burm. ad Prop. III, 2, 21. nunc autem Ovidio antiquam lectionem assero Rem. 394.

Principio clivi noster anhelat equus,

suadente tum contextu, tum quinque meis codd. Temere poëtarum sospitator recepit *vester*.

P. 1845. *bis* productum non tam Balbi, quam, quo vixit, vitium est saeculi, quo in Manilio IV, 451. et Claudian. 37. Gigantom. 611, ea ratione vox edebatur,

sed haec a viris doctis postea correcta fuerunt. Arator lib. 2. p. m. 306. ne dicam, malum quantitatis auctorem esse, aspiratione saltem adiuvit: *Bis* halitum etc. Aspirationem autem posterioribus temporibus producendae syllabae frequenter fuisse adhibitam, ostendam in Add. ad Comm. in Terentianum v. 128.

Cum Prop. II, 2, 37. (humani partus dona) confertur Cic. de Or. I, 25, 115.

P. 1846. Ouid. Her. XVI, 11. antiquiss. edd. et nonn. codd. hunc verborum ordinem habent, quem Balbus assumsit: *nec duro caetera vultu.*

Vsus verbi *manere* cum dativo (quando sign. expectare) ne quid gravius dicam, valde suspectus est, uno certe loco fretus Catulli VIII, 15. Quae *tibi manet* vita? quod facili corruptione fieri potuit ex *tibi imminet.* Quae Sanctius pro Virgilianis laudat in Minerva II, 4, p. 180. (Et tibi poena manet) videntur esse Tib. I, 8, 77. ubi omnes constanter: *Et te poena manet.* Reliqua quae affert *Sanctius* et Heinsius ad Claud. II. in Eutr. 478. velut ex Cic. II. Phil. 5, 11. Virg. X, 303. 472. Sen. Oedip. 236. ea vel singulari cod. nituntur vel explicanda videntur per *perdurare.*

In Ouid. III, Tr. 2, 5. *quod lusi vero sine crimine* cum pro *vero* in meo cod. Parrhasiano *ne su* lineis supra scriptis, in aliis *verbo* legatur, propter contextum *versu* non ineptum videri possit.

Hac opportunitate data monendum duximus *Kinderlingium* ex antiquo fragmento membran. Ouidii Heroidum, quod saec. IX. aut X. scriptum putatur, duo versiculos evulgasse (in Allg. Litt. Anzeiger 1801, 193, p. 1357.) quibus omnes editiones carent, quosque genuinos putat, etsi alter in metri leges peccat, neuter Ouidio h. l. dignus est. Integrum fragmentum, in quo

et aliae varietates occurrunt (ex Her. XII, 166. ss.) ita scribitur:

Non valeo flammas effugere ipsa meas.
Ipsi me cantus herbaeque, artesque relinquunt.
Nil dea, nil *ecates* sacra potentis agunt.
Non mihi grata dies: noctesque vigilantur amarae,
Nec teneram misero pectore somnus *habet*. (male hoc probat K.)
Quae me non possum, potui sopire draconem.
Vtilior cuivis, quam mihi cura mea est.
Quos ego servavi *pelex* amplectitur artus,
Et nostri fructus illa laboris habet.
Forsitan et stulte dum te iactare, marite,
Quaeris, et iniustis auribus apta loqui.
In facie moresque meos nova crimina fingis,
Rideat et vitiis laeta sit illa meis,
Rideat et tyrio iaceat sublimis in ostro;
Flebit et ardores vincet adusta meos.
Dum ferrum flammaeque aderunt succusque veneni,
Hostis Medeae nullus inultus erit.
Ipsa nocet mihi, non tamen nocere ipsa (leg. *ipsa nocere*) *solebam,*
Ipsa ego quae potui laedere laesa queror.
Quod si forte preces praecordia ferra (ferrea) tangunt,
Nunc animis audi verba minora meis.
Tam tibi sum supplex, quod tu mihi saepe fuisti,
Nec moror ante pedes procubuisse tuos.
Si tibi sum vilis, communes respice natos,
Saeviet in partus dira noverca meos.
Hi nimium similes tibi sunt, et imagine tangor,
Et quotiens video, lumina nostra madent etc.

In Ep. XIII. 4. et 5. ita scribuntur:

Sed me cum fugeres, hic ubi ventus erat?
Tunc freta debuerant nostris obsistere remis.

Idem Kinderlingius ibid. p. 1858. s. ad Ouid. Fast. I, 646. ubi in vett. edd. legitur perperam *Corrigit* (Germania crines), affert Caroli Neapolis interpretationem verborum, qui recte ostendit, dici templum Concordiae restitutum ob victorias de Illyriis et Germanis reportatas, Ioh. Fel. Palesii autem, qui Commentarium Neapolis inseruit nouae editioni Facis Crit. Gruteri T. I., notam addit, qui recte vidit legendum esse *Porrigit*, quod iam Heins. restituerat, qui etiam *passos* reposuit pro *sparsos*.

XIV.

Brevior recensus editionum vett. graecorum scrr. nuper vulgatarum.

Dionis Cassii Historiarum romanarum fragmenta cum novis earumdem lectionibus a Iacobo Morellio, bibliothecae Venetae praefecto, primum Bassani, apud Remondinos, anno 1798. forma minori vulgata; nunc castigatius, formaque maiori, ad Reimarianam editionem accommodata, denuo excusa typis *I. I. Delance.* A. M. DCCC. VI. et 18. pp. in fol.

Quod *Chardonus Larochettius* in Millini Promt. encycl. cum de prima horum fragmm. edit. exponeret optauerat, ut librarius eadem illa forma, qua Reimari edit. Cass., recudi iuberet, Delancius optime perfecit. Accurate expressum est Italicum exemplar, vitiis operarum correctis, et versione latina duorum fragmentorum maiorum, quam editor in notis proposuerat, textui subiecta. Pauca huius Parisinae repetitionis exempla prodierunt. Chardonus in *Millini* Promt. (Magasin encyclop. T. VI. 6me An. n. 22. p. 287.) affert emendationem Villoisoni, qui p. 32. edit. primae, p. 7. ed. Paris. legit: *καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ πέραν θαλάσσης ἰέναι* ubi vulgo est *εἶναι.*

Hellas Veilchen, von *Herder* gepflückt, in einen Kranz gewunden von einem Freunde der griechischen Muse. (h. e. Helladis violae, ab Herdero decerptae, et in sertum redimitae, ab amico quodam graecae Musae). Chemnit. ap. Tasché 1801. 194. pp. in 4.

Graeco textui, eleganter quidem sed non sine multis operarum vitiis ita descripto, ut lectiones, quas Herd. probabiliter secutus est, exhiberentur, adposita est Herderi sive versio sive imitatio, ex eius Commentatt. sparsis (Zerstreuete Blätter) repetita, nullis adiectis adnotatt., quae tamen recte vel graeca illustrassent, vel obseruassent, ubi interpres nimium a vetere scriptore recessisset. Sunt autem alia etiam epigrammata Anth. a vernaculis poetis eleganter reddita, quae optandum fuisset, ut idem editor cum graecis repetiisset.

Luxdorphiana e Platone. Cum annotationibus edidit Olaus Wormius Mag. et Rect. Schol. Hothernes. Havniae 1801. ap. Schuboth. XVI. 78. pp. 4.

Non nisi titulus editionis, quae 1790. prodiit, mutatus est, omissumque, quod olim in eo legebatur: *sumtibus Petri Frid. Suhmii.* Est autem Particula I., nec quidquam praeterea prodiit, et continet parallela librorum V. (ex vers. graeca) et N. Test. atque Platonis a Luxdorphio collata, et iuxta se posita.

Tragicorum graecorum principum hae prodierunt editiones:

Aeschyli Tragoediae, quae supersunt, ac deperditarum fragmenta. Recensuit *Christian. Godofr. Schütz*, Vol. II. Persae et Agamemnon. Halis Sax. ap. Gebauer. MDCCC. Editio noua, 208. pp. 8.
C. G. Schütz in Aeschyli Tragoedias, quae supersunt, ac deperditarum fragmenta Commentarius. Vol. II. In Persas et Agamemnonem. 312. pp. 8. eod. a. (1801.)

Nec huius voluminis nec primi, editio noua aucta est, cum, quae eam in rem editor collegit, multa ac varia, separato volumine olim complexurus sit, ne aegre fiat emtoribus primae editionis; quod liberale consilium valde nobis probatur. Optassemus tamen, ut illius

nonnulla sustulisset sive typographica, sive alia vitia..

Idem Vir doctiss. textus omnium tragoediarum nouam instituit recensionem, adiunxitque latinam versionem, et aliquot animadverss. criticas:

Aeschyli Tragoediae septem. Denuo recensuit et versionem latinam adiecit *Christ. Godofr. Schütz.* Vol. I. Prometheus Vinctus. Septem aduersus Thebas. Persae. Supplices. Halae, ap. I. I. Gebauer. 1800. 339. pp. 8. mai. Vol. II. Agamemnon. Choëphorae. Eumenides. ib. eod. 328. pp. 8. mai.

Porsoni, Wakefieldi, Hermanni emendationibus, tum codicis Gudiani lectionibus, et schedis Spanhemianis usus est editor; et varietas quidem lectionis cuique volumini adiecta, non modo quibus locis Stanl. et Porsoni edd. ab hac discrepent, sed etiam, ubi lectionem pristinam vel ex ingenio vel ex codd. vel ex aliorum sententia nunc mutauerit editor, breuiter ostendit, atque continet etiam (inprimis vol. II.) coniecturas nonnullas nuper propositas, metrique restituendi in choricis pericula. Neque vero negari potest, esse multis locis ingeniosissime emendatam lectionem, verum incidimus in alia, quorum vulg. lectio non satis idonea de causa sollicitata, aut parum felicibus coniecturis tentata videretur. Versio latina et emendatae lectioni accommodata, et perspicua est. Non ingratum, opinor, fecisset lectoribus editor, si aut graeca fabularum argumenta repeti iussisset, aut ipse summaria cuiusque fabulae composuisset.

Iam ante aliquot annos nouam Dutheilius, V. C. molitus est Aeschyli editionem, sed eius, quantum scimus, non prodierunt nisi duo volumina, quibus textus gr. et versio francog. inest. Inscribuntur:

Aeschyli Tragoediarum Reliquiae, quas ad Londinensis quidem editionis fidem, sed exhibitarum in caeteris edd., nec non in quibusdam Mss. exemplaribus, lectionum varietate diligenter ponderata, recensuit, notis illustravit, ac denuo edidit *Fr. Ioa. Ga. de la Porte du Theil. Pars prima* superstites septem Tragoedias exhibens, *Tomus primus*. Parisiis, typis reip. Anno III, (ap. Nyon venduntur) *Tomus secundus*, ib. eod.

Théatre d'Aeschyle, traduit en françois, avec des notes philologiques et deux discours critiques. Par *F. J. G. de la Porte du Theil.* Première Partie, contenant les sept Tragédies entières, Tome I. II. —

Vnaquaeque tragoedia utriusque volum. separatim est suis paginarum numeris distincta ita, ut graecis gallica exacte respondeant. Leguntur autem hoc ordine: Supplices, Persae, Prometheus Vinctus, Septem c. Thebas (T. I.); Agamemnon, Choëphorae, Eumenides (T. II.)

Etsi editor, qui hoc maxime spectauit, ut poetae editionem popularibus suis probabilem curaret atque ita harum litterarum studia excitaret et aleret, non facile mutauit lectionem editionis Lond., quam quidem optimam haberi existimat, neque ipse codd. nondum collatos inspexit: tamen usum se esse profitetur edd. vett. omnibus et recentt., atque inde diligenter lectionis varietatem enotasse, tum Vauvilliersii patris collatione ἀνεκδότῳ codd. Pariss., atque ea etiam, quae inserta est Excerptis e bibl. nat. Paris., e quibus praesidiis paucissima loca emendauit. In versione autem (quae differt ab illa, quae in Theatri Graecorum Brunoeani noua edit. prodiit) inprimis verba poetae, quantum fieri poterat, fideliter reddere conatus est. Octo tabulis ex aere

expressis elegantissimis ornari suum opus iussit. Vna ex antiquo monumento villae Albaniae exhibet Atlantem humeris coelum cum Iove sustinentem (ad illustr. v. 348. Prom.) Sed Commentarius philologicus, quem uberrimum pollicitus est, et duae commentationes, in quibus etiam ordinis fabularum mutati rationem redditurus est, etiamnum desiderantur, etsi auctor reliqua volumina proxime secutura esse ostenderat. Textui nonnullae criticae animadverss. et Scholiastae explicationes subiectae sunt.

In noua huius poëtae editione adornanda iam dudum elaborasse *Godofr. Hermannum* nostrum, neminem fugere potest, postquam suae recensionis specimen Eumenidibus editis proposuit 1800. Atque ab eo cum alia, tum, in quo adhuc pessime peccatum fuit, accuratam et plenam variarum lectt. e codd. et edd. haustarum collationem certissime exspectamus, ut tandem, et quomodo recentior lectio orta sit, vere cognoscamus, et sumtibus in alias edd. faciendis leuemur.

Sophoclis Tragoediae septem cum animadversionibus *Sam. Musgravii*, M. D. Accedunt praeter variantes lectiones editionum optimarum, Sophoclis Fragmenta ex editione Brunckiana, nec non Index verborum. 1800. Oxonii e typogr. Clarend. To. I. 552. To. II. 552. pp. 4.

Repetitus est ed. Iohnson. textus, sed in animadverss. eum Musgravius (cuius mss. copias redemit Oxon. academia) saepe correxit, subacto usus ingenio; incidit vero in easdem interdum cum Brunkio coniecturas. Neque desunt exquisitae de verbis, oratione et sententia observationes. Et quamquam Musgr. non ita hunc laborem profligauit, ut in Euripide, tamen

multiplici utilitate commendatur. Editor anonymus addidit lectiones edd. Ald., utriusque Flor. Colinaei, Turn. et Brunk., Fragmenta ed. Brunk. atque eiusdem indicem Sophocl. admodum imperfectum, quem Index verborum e Soph. apud Suidam laudatorum praecedit. Copiosissimum verborum indicem adiectum habet ed. Etonensis 1786. 4 Scholia graeca Soph. tertio volumine comprehendentur.

Sophoclis Trachiniae ex recensione Brunckii. Varietate lectionis et Commentario adiecto in usum tironum illustrauit *Henr. Ludov. Iulius Billerbeck*, Gymn. Andr. Rector Doctorque Philos. Hildesiae, sumtu I. D. Gerstenbergii cIↃIↃcccI. 93. pp. 8.

In Sophoclis Trachinias Commentarius conscriptus ab *Henr. Lud. Iulio Billerbeck*, Andreani Rectore Hildesiensi: ib. eod. 367. pp.

Nihil mutatum est in Brunk. textu; graecis interdum latina adiiciuntur, quae ad scenicam rem pertinent. Subiectae sunt nonnullae animadverss. criticae, in quibus antt. lectiones, codd. varietates, emendationes quaedam indicantur, rarissime editoris iudicium interponitur. Commentarius locorum integrorum summam sententiam primum indicat, dein singula interpretatur verba, in quo nobis displicuit verbosa oratio, grammatica nonnullorum verborum deriuatio, et quod membrorum commentarii nulla est compages, ut nihil dicamus de locis, quorum interpretatio improbatur. Ad finem commentarii reiecta est (p. 335.) oeconomia dramatis, cui additur oeconomia Herculis Oetaei Senecae, et utriusque comparatio. De fabula Soph. ipsa eiusque moribus non satis est monitum. Hoepfneri editio

Tracch. innotuit Billerbekio, commentario iam operis tradito. Alium virum doctum, *Erfurdtium*, in critica editione fabulae versari scimus. Billerbekius iudices sperat secum reputaturos (quae sunt eius verba), ipsum miserum, ab omnibus fere adiumentis doctrinaeque praesidiis destitutum, plurimisque obrutum negotiis, animum exhilarandi et documentum assiduitatis parvulum exhibendi causa hoc opusculum condidisse. Sufficit hoc latinae orationis specimen.

Euripidis Phoenissae ad fidem Mss. emendatae, et brevibus notis, emendationum potissimum rationes reddentibus instructae, in usum studiosae iuventutis. Londini 1799. 127. pp. 8.

Secutus est etiam in hac fabula Eur. emendanda et illustranda *Porsonus* eamdem, quam in Hecuba et Oreste rationem, ita ut in crisi locorum magis quam interpretatione versaretur. Neque eius opibus recte uti possunt, nisi quibus et reliquarum criticarum edd. recentiorum est copia, et multa harum litterarum scientia iudiciumque subtile. Nam in emendationibus non pauca occurrunt, sub examen revocanda. Occupatur nunc vir doct. edenda Medea. Porsoni edd. tragg. Eurip. iam Lips. typis repetuntur.

Alcestis Euripidea. Edidit, diatriba recognita, et annotatione perpetua illustravit *Gottlob Adolph Wagner.* Lipsiae sumtibus Engelh. Beni. Suicquerti. cIɔIɔccc. XVI. 216. pp. 8. mai.

Tribus nominibus laudanda est haec editio. Primum Comm. de Alcestide, quam olim separatim editam, humaniss. vir retractauit, ita de argumento, fabula ipsa, moribus personarum, de iis quae contra Eurip. fabulam a nonnullis monita sunt, et de iis, qui in eodem argumento elaborarunt, disputat, ut non modo

egregia specimina ingenii subacti, subtilis iudicii, et rei scenicae omnium temporum scientiae, sed exemplum etiam proponat aliis in hoc genere sequendum. Deinde ad textum emendandum ea adhibita sunt praesidia, quibus editori licuit uti, et ut nullum fere neglectum est, ita ex iis probabiliter emendauit graecam orationem, subiectis aliis emendationibus et lectionibus. Tandem adnotatio est perpetua, quae interpretationem singulorum locorum et verborum nexu facillimo comprehendit, neque carptim proponit, atque, quomodo sententia integra prodeat, bene explicat. Et ut modum in laudandis locis aliorum scriptt. omninoque in philologica, quae vulgo dicitur, adnotatione tenuit editor, ita non meminimus praeteriisse, quod explicandum illustrandumue esset. Nam de singulis locis agere non constituimus. In latina autem oratione, cuius elegantia et puritate plerosque commentariorum auctores superat, pauca castiganda obseruauimus. Caeterum oculos valde offendunt minutae litterulae graecae, quibus textus descriptus est. Iisdem idem librarius, in eo genere fortassis nimiae parsimoniae studiosus, aliam fabulam Eurip. describi iussit, quae nuperrime prodiit:

Euripidis Ion, graece, ad optimas editiones, criticorum multorum notationes, et metricorum obseruationes recognitus; commentario perpetuo, prolegomenis, et indicibus illustratus, studio *Frider. Hülsemann*, Gothani, Philos. D. Ioannei Luneburg. Rectoris, Soc. Lat. Ien. Sodalis. Lipsiae, sumtu Schwickerti cIↄIↄcccI. XVIII, 313. pp. 8. mai.

Secutus editor est fere idem consilium, eandem rationem, quam in superiore Wagnerus, sed aliquanto am-

pliora sunt, quae dedit. Sic Comm. Euripidea, s. Prolegomena ad Ionem praemissa, continent disputationem paulò altius repetitam de indole philosophica et poëtica huius fabulae, historiam criticam textus eiusdem fabulae, obseruatt. de metris, quibus in ea usus est Eurip., comm. de mythorum Atticorum natura et indole, tum de fabulae nostrae mytho, argumento, oeconomia, moribus personarum, tempore actionis et ornatu scenico; quae singula recensere longum est, neque nunc licet. Textui subiecta est paulo uberior adnotatio critica lectionis et interpretationis. Commentarius perpetuus (cuius initium p. 177. factum est) non fabulae modo decursum persequitur, sententias locorum perspicue explicat, verba ipsa illustrat, sed multam etiam lectionis et variam ostentat copiam. Denique verborum index (qui in Wagneri ed. Alcest. simpliciter verba habet) eorum notiones et formas grammaticas explicat, interdum aliis exemplis et grammaticorum vett. locis confirmat. Neque enim facile defuit liber, unde suae aliquid peteret editioni Hülsemannus. Italicam et francogall. consuluit versionem, atque etiam Iodrelli anglice scriptas animaduerss. Non tamen harum copiarum satis promtus est usus; nam et ex Addendis et ex epistola praemissa sunt nonnulla conquirenda.

De aliis proxima Part. narrabitur. Non autem possumus, quin de nonnullis editionum quae parantur consiliis quaedam moneamus.

Nuper enim consilia inita atque divulgata sunt de nouis classicorum scriptorum editionibus et a *Geo. Alex. Rupertio*, Gymnasii Stadensis Rectore, et ab *Henr. Car. Abr. Eichstädtio*, Prof. Ien., quorum utri-

que alii Viri docti suam addixerunt operam. Et Rupertius quidem programmate Stadae d. 1. Iun. 1801. proposito contendit, alias classicorum scriptt. editiones esse ornatas copiosis commentariis, qui non nisi criticorum et philologorum usibus inserviant, nimiumque caras, alias glossariis instructas parum sufficientibus, alias animadversionibus ineptis et puerilibus oneratas, alias vitiosam, certe non satis emendatam, proponere lectionem. Ipsi amicisque constitutum est, ita has editiones curare, ut lectoribus cultioribus, qui ingenium et res vett. scriptt. accurate voluerint cognoscere, prosint atque placeant. Itaque primum textus classicorum operum quantum fieri poterit praesidiis omnibus adhibitis emendabitur, isque separatim cum breui narratione de vita, operibus, atque edd. scriptoris edetur, adiecto etiam rerum indice. Tum separatis voluminibus continebitur idoneus commentarius, qui nihil vulgare aut superfluum, omnia necessaria ad sensum et vim locorum plane intelligendam, proferet. Haec praeclare praecipiuntur; optamus ut opera consilio respondeat. Dieterichius, librarius Götting., sumtus his editionibus impendet, quarum prima voll. paschalibus nundinis a. 1803. promittuntur. Quamquam autem Rupertius censet, diuersum suum esse ab altero, quod diximus, instituto, cum hoc magis ad eos spectet, qui veteres ipsos possint legere: tamen, quantum intelleximus, non magnopere diuersae sunt, quae declarantur, editionum rationes. Nam *Eichstadius*, et ante eum *Böttigerus*, iam ita constituerant, multis eos et doctissimis viris inuitantibus, latinos scriptt. et primum quidem poetas, edere, ut non modo lectio quam emendatissima redderetur et breviter explicaretur, sed, separatis voluminibus, commentarii adderentur, quibus

copiae et criticae et exegeticae inessent bene elaboratae et ad usum faciles. Nouimus Eichstadium Lucretio, Gurlittum Iuvenali, Lenzium Statio, Schützium rhetoricis Cicer., alios aliis suam dicasse operam, neque leuem excitatam esse spem.

Inde ab a. 1800. *Iosephus Oehler*, typographus Vindobonensis, seriem editionum auctorum latinorum classicorum optimis vernaculis versi. adiunctis e sua officina coepit emittere, et admodum modico vendere pretio. Prodierunt adhuc (usque ad Oct. 1801. finem.)

Horatii Flacci opera 3. voll. quorum prima editio cum diuendita iam sit, altera a. 1802. curabitur.

Cornelius Nepos cum versione germ. Mich. Federi, 2. voll.

C. Cr. Sallustius, cum interpr. germ. I. C. Schlüteri 2. voll.

P. Virgilius Maro cum Vossii versione, 6. voll.

L. Annaeus Florus cum versione *Bertrandi* eiusque animadversionibus.

Aulus Persius Flaccus, addita versione G. Füllebornii.

M. Tullii Ciceronis Epistolae ad Div. cum A. C. Borhekii versione, V. voll.

Textus ex optimis edd. bene descriptus est, et fasciculus tribus plagg. constans venditur sex cruciatis, qui dicuntur, siue 1⅔ gross. Saxon. Pragae apud Widtmannum emi possunt.

Iam dudum Schwickertus constituerat, *Sophoclis* editionem commentariis omnibus adornatam Euripidis Lipsiensi editioni addere, et qui hanc curauerat, etiam ad illam dudum parauit plurima praesidia. Nunc cum Musgrauii animadverss. prodierint, nunciata est haec editio ita inscribenda:

Sophoclis Tragoediae VII. graece, et latine. Cum vetustis Scholiis et integris Stephani, Reiskii, Heathii, Vauvilliersii, Brunkii, Musgravii, aliorum excerptis animadversionibus, et indice verborum uberrimo. Curauit et suas adnotatt. addidit C. D. Beckius. II. voll. 4. quorum primum a. 1803. prodibit.

Editor vero non modo copiis aliorum interpretum, sed et versionibus utetur ita, ut nihil, quod in iis utiliter admonitum reperiatur, desiderari patiatur, efficiatque, ut splendidis illis et caris edd. carere possint philologi. Absoluta autem maiore editione, aliam minorem in usum eorum, qui non multum his libris impendere pecuniae et temporis possunt, curabit. Textus denuo recognitus describetur.

XV.

Relationes breviores.

De *statuis equestribus* nuper Vindobonensis anonymus, occasione monumenti in honorem Caroli Archiducis erigendi disputauit (*Ueber Ritterstatüen*, in der Zeitung für die elegante Welt 1801. n. 119. p. 953. s. et 120. p. 961. s.) ita, ut ostenderet recentiores omnes ab antiqua illa Marci Aurelii Imp. superari, et de hac nonnulla moneret, atque Falconeti, qui eam reprehenderat, statuam Petri I. equestrem vicissim vituperaret. Idem coniicit Castoris et Pollucis, quae dicuntur, signa exhibere potius celebres quosdam domitores equorum et in hippodromo graeco quodam fuisse collocata. De ipsa arte tales statuas fundendi exponit lib. Description des Travaux, qui ont précédé, accompagné, et suivi la fonte en bronze d'un seul jet de la statue equestre de Louis XV., le bien-aimé. Dressée sur les Mémoires de M. Lempereur — par M. *Mariette* — à Paris 1768. Veteres autem multo celerius huius generis opera perfecisse videntur, quam nostri artifices.

Havniae *Birgerus Thorlacius*, lector graecae linguae, libellum edidit: *Fabula de Psyche et Cupidine, disquisitio mythologica.*

Schmidtius Phiseldeckius in (*Eggersii*) Nouo Promtuario german. (Neues deutsches Magazin) Aug. et Sept. 1801. commentationem breuem, quae plus promisit,

quam praestitit, *de Homero et Homeridis* proposuit, qua graecos epicos poetas vett. paucis verbis recenset.

De *Hugii* libello super antiquitate artis scribendi subtiliter iudicauit Heynius in ephh. Gött. 1801. n. 175. p. 1737. ss. ostenditque, acutissimum auctorem tamen non effecisse nisi hoc, verisimilem esse antiquitatem scribendi artis, et potuisse carmina Homeri litteris mandata esse. De Fourmontio Heynius in ephh. Gött. 1792. p. 1965. censuerat, non eum confinxisse illa monumenta omnia, sed ex arbitrio composuisse fragmenta et interpolasse. In iisdem ephh. n. 182. p. 1809. etiam de Whitii Aegyptiacis (v. Vol. I. p. 354.) agitur. P. I. illorum Aegg. etiam de Serapeo (quod Ptolemaeus I. inchoavisse, II. absoluisse dicitur), de bibliotheca (quam vere ab Arabibus combustam esse contendit) disputatur, columnam iuxta Serapeum a Ptolemaeo Phil. exstructam esse coniicit. Nimium autem Abdollatifo confisus est, ut Gött. censor ostendit. Caet. II. volumen nondum prodiit.

Coralius regis Hisp. legatus Constantinopolin proficiscens, narrasse fertur Cibinii, doctum quendam Hispanum in urbe Africae occid. Marocco dicta, integrum Livium in Arab. linguam conversum invenisse. Iam alio tempore idem falso traditum est.

Prodiit a. 1800. s. l. et typ. nomine:

Fragmentum Petronii ex bibl. St. Galli antiquissimo Msto excerptum, nunc primum in lucem editum. Gallice vertit ac notis perpetuis illustravit *Lallemandus*, S. Th. D. 75. pp. 8.

Quod cum censor fragmenti in Ienensi Revis. litteraturae ultimorum trium quinquenniorum s. Supplementis ephh. litt. Ien. N. 103. pro genuino habuisset, *Ioh. Beckerus*, librarius Basil. nuper (in *Beckeri* Reichsan-

zeiger 1801. n. 295. p. 3873.) ostendit, auctorem nostrum et textus esse *Marchenam*, Hispanum, ducem in exercitu Moravii; eum cum aliis amicis primum notas illas conscripsisse, tum etiam ab eo textum compositum esse. Add. Goth. ephh. litt. 1801, n. 104. p. 860. s. ubi monetur, omne hoc fragmentum apologiam vitae lasciuae et libidinosae esse videri.

H. S. Hüsgenius, Francofurtensis artifex, nuper, nescimus unde, accepit duo praestantissima opera antiqua, duas tabulas Parii marmoris candidi (quas antiquas esse etiam color marm. flavescens ostendit), alt. 17. poll. latit. 14. poll., in quarum altera, opere anagl. 3. poll. protome Aristotelis cum parte pallii, facie in speciem nobiliorem quamdam efficta conspicitur; supra utrimque incisum est:

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ.
Ο ΝΙΚΟΜΑΧΟΥ.

Altera habet Platonis protomen, egregia forma generosam sublimitatem prodente, cum titulo:

ΠΛΑΤΩΝ. Ο
ΑΡΙΣΤΩΝΟΣ.

Censet Hüsg. has tabulas marmoreas in schola quadam graeca parieti infixas fuisse; manum autem operis omni ex parte optimam artis prodere aetatem. Aristotelis caput tegumentum habet, nudum est Platonis caput. Caeterum optime conservatae sunt. V. *Nou. Merc. german.* 1801. part. 10. m. Oct. p. 131—136. (Beschreibung zweier griech. Alterthümer, Plato und Aristoteles).

In eadem part. 10. Mercurii noui germ. leguntur etiam haec:

P. 142. ss. e litteris Angli per Graeciam iter facientis, scriptis Athenis d. 28. Iul. 1801. Corcyram (ubi magna inter nobiles et plebeios fuit contentio) insulam S. Mauri, Nicopolin, Leucadiam rupem, Ithacam, Naupactum (Patras), Delphos (ubi balneum Pythiae adhuc integrum est) Thebas (ubi reliquiae sunt duarum portarum) Athenas invisit. Vbique in imperio Osmanidarum magna tum fuit Anglorum veneratio. *Elginus* legatus Brit. Constantinopoli multos artifices Athenas misit, a quibus fere iam omnia anaglypha sunt eruta, quae olim Minervae templum ornabant. Illa antiqua opera et tituli in Angliam deportantur.

P. 146. s. Clarkius et Crippsius, Cantabrigienses, m. Martio a. 1801. campos Troicos inviserunt. cf. Hüttner. Englische Miscellen IV, part. 3. p. 181. s. De Hammer, Vindobonensis, non ut fama tulit, in Nilo periit. Sed Twedelius Anglus in Graecia occisus est. Quae reliquit, ad Carlyslium, qui Constantinopoli viuit, peruenerunt. Fauvelius et Schwarzius, qui nunc Vindobonae apud Com. Friesium viuit, Athenis multa opera detexerunt. Brownius secundo itinere in Aegyptum occupatur.

P. 151. s. Opera villae Albanae partim Neapolin translata sunt, partim inclusa cistis in Ripa grandi sunt. Dux Neapolit. artis antiquae operibus parum constat. Secunda Hamiltoniana vasorum collectio, non, ut narratum saepe est, in fluctibus periit.

Vinariae nuper (d. 24. Oct. 1801.) Adelphi Terentii, in vernaculum sermonem metrice conversi ab *Einsidelio*, Duc. Sax. Vin. Cubic. praefecto ita sunt editi, ut scena more antiquo ornaretur, et histriones personas haberent ad antiqua exempla formatas, nisi quantum nostrae scenae ratio mutari eas iussisset. V. *Böttigeri*

Comm. die Brüder des Terenz mit Masken aufgeführt auf dem Hoftheater in Weimar, im Iournal des Lux. und der Moden, 1801. Nov. p. 614. ss. Ineunte hoc anno (d. 2. Ian.) ibidem Euripidis Ion, hanc in rem (a *Gu. A. Schlegelio* aut alio adornatus) cum choris et antiquo habitu in scenam est productus. v. Zeitung für die elegante Welt 1802. N. 7. p. 49. ss.

Vt in aliis palatiis Matriti artis maxime pictoriae egregia cernuntur opera: ita inprimis palatium ducis Modinacholi continet nonnulla antiqua opera, maxime anaglypha. v. Zeitung f. die eleg. Welt N. 142. 1801. p. 1142.

Quid poetae veteres apud suos effecerint populos, disputare nuper coepit *Beuchtius* (Ueber den Einfluſs der alten Dichter auf ihre Nation von *Beucht*, erster Abschn. in: Eunomia eine Zeitschrift des 19. Iahrh. herausgeg. von Feſsler, 1801. Nov. p. 385 — 408.) et potissimum in graecis poëtis versatus est.

C. Brandesius, qui nuper patrio sermone, elegantem et subtilem librum de muliebri sexu eiusque omni cultu edidit (Betrachtungen über das weibliche Geschlecht und dessen Ausbildung in dem geselligen Leben, von *C. Brandes*, Commerzrath in Hannover. Hann. 1802. III. 8.) libro I. (T. I.) c. 7. etiam disputauit de feminarum apud Athenienses et Romanos conditione.

Chardon la Rochette copiosum atque doctum elaborauit opus de Graecorum hetaeris (Histoire des Cour-

tisanes grecques), quod quinque voluminibus, ad exemplum itinerum Anacharsidis institutum prodibit. Primum vol. de sorte feminarum graecarum omnino aget (qua de re etiam Lobinauii (Lobineau) praefatio ad versionem Aristoph. a Chardono in Mag. encycl. T. I. an. 2. edita exposuit. Sequentia unice pertinebunt ad hetaeras. Addetur versio epigrammatum eroticorum. Multum praestabit hoc opus simili cuidam in Francog. nuper ad supplendum Barthelemii opus edito. Idem *Chardonus* Anthologiam graecam ex cod. Palat. Vaticano, qui nunc Lutetiae est, edet, cum lat. versione, scholiis gr., commentario et indicibus, 8. aut 9. voll. 8. Propediem praemittet francogall. sermone scriptam Comm. de codice illo Palatino et de historia Anthologiae. v. Decade philos., 3 Trim. an IX. n. 25. p. 430. s.

Guil. Süvernius in ea, quam iam V. I. P. I. p. 185. indicauimus Comm. de Sophoclis Aiace Flagellif. potissimum in eam actionis partem inquisiuit, quae Aiacis necem sequitur. Neque enim rationes, quibus Iacobsius (in Additam. ad Sulzeri Theor. Art. IV, I, p. 118.) eam defendit, Süvernio satisfecerunt. Itaque docet fabulae argumentum non esse solum Aiacis fatum, sed illud arctissime coniunctum esse cum rebus graeci exercitus eiusque ducum. Quare cum Aiax se sua caede vindictae Agamemnonis subtraxerit, hunc voluisse corpus eius insepultum iacere; inde existere contentionem quandam, necessariam actionis partem, cui Vlysses imponit finem, partibus susceptis, quae iam v. 124. fuerant praeparatae. Artem autem Sophoclis in herois ingenio exornando bene declarat. Semper fere, inquit, Sophocles praesenti heroum calamitate collata cum for-

titudine saepe et diu probata efficit, tum ut intimo pectoris recessu sensum eius percipiamus, tum ut, quod humanitati par est tribui et concedi, eximie molliatur.

De *Iunio Mauriciano*, ICto, qui temporibus Antoninorum floruit, eiusque scriptis diligenter et docte disputasse cognouimus D. *Gottschalkium* in Collectione variarum Commentatt. ad recentius, inprimisque Saxonicum, ius potissimum pertinentium, Ienae 1800. edita (*Blätter für Iurisprudenz*, Polizey und Kultur überhaupt, besonders aber auch in den Herz. Sächs. Fürstl. Schwarzb. und Gräfl. Reuss. Plauischen Landen. Von D. *Chr. Assal*, und Hofadvok. *Oemler*, 1. B. 1800. 8.) m. Iulio s. partic. VII.

Waardenburgius Lingensis Gymn. Professor Prolusione a. 1801. *Observationes criticas ad aliquot hymnorum Homericorum loca* edidit, quae pertinent ad h. in Merc. 47. 125. s. 435. in Ven. 88. ss. in Cerer. 425. s. in Vest. 1. s. in Terram matr. 14. s. ut ex ephh. Gött. 1801, 207, p. 2071. s. comperimus.

Inepte nuper in Ephemm. elegantioribus hominibus scriptis (Zeitung für die elegante Welt, 1802. n. 5. p. 40.) quaesitum est, quid ex Scholiis in Hom. antiquis a Villois. editis, laboribusque Villoisoni exstiterit effectumque sit, (was aus den Resultaten dieser Beschäftigungen des Hrn. v. Vill. geworden?) Ineptam eam quaestionem diximus 1. quod inepte enunciata est, 2. quod in his ephh. legitur, quarum lectores Scholia in Hom. parum curabunt, 3. quod auctor Wolfii Pro-

legg. in Hom., et epp. Homericas, ed. Iliadis, et alias disputationes iis Scholiis potissimum excitatas; ignorasse videtur.

Homerus duorum Scamandri fontium alterum hieme calidum, alterum frigidum esse dixit, quae quidem communis fuit traditio. Nuper vero Clarkius atque Cripsius Angli, m. Mart. 1801. utrumque eodem gradu tepere senserunt. Iidem etiam Simoentem fluvium et montem Gargarum adierunt. v. Iournal de Paris 1801. n. 283. unde repetita haec sunt in Voigt Magazin für den neuesten Zustand der Naturkunde, III. B. 2. St. p. 242. ss.

Ant. Augustin Renouard, librarius Parisiensis, in eo est, ut historiam plenam et criticam editionum omnium, quas tres Aldi Manutii per integrum saeculum et quod excurrit Venetiis curarunt. v. eius ep. ad Millinum in huius Mag. encycl. T. II. A. 7. n. 8. p. 531. s. ubi invitat omnes, quibus aut editiones Aldinae sint melioribus chartis factae, aut Aldorum litterae ineditae, ut eas secum communicent. XV. annos auctor labori huic impendit, et collegit ipse tantum non omnes Aldinas editt.

De Persepolitanis titulis nuper etiam patrio sermone commentatus est *Frider. Münterus*, celeberrimus Havniensis theologus. *Undersoegelser um de Persepolitanske Inscriptioner ved D. Fred. Münter* — Havniae apud Seidelinum, 42. et 58. pp. 4. Adiecta est tabula aenea, qua Persepolitanae, Armeniae, Geor-

gianeo et antiquae Persicae literae inter se comparantur.

Mongesius nuper in Instit. nation. recitavit commentationem de aere antiquo, et de gladio aereo reperto nuper cum paruo militis signo et numis Romanis prope Corbeiam. Excerpta inde leguntur in la Decade philos. litt. et polit. An. IX. de la Rep. IV. Trim. N. 34. p. 396. coll. Magasin encycl. T. II. 7. An. p. 232. s. (Extrait d'un mémoire sur le bronze des anciens et sur une epée antique, lû à la séance publ. de l'Institut le 15. Messidor par le C. *Mongez.*) Gladius ille ad luxum magis quam ad usum spectasse videtur. Ex cupro puro nullum opus antiquum superest. Numi nonnulli sunt ex cupro cum zinco iuncto (laiton) facti. Frequentissimum est aes e cupro et stanno constans. Gladiis inde factis, quomodo et durities data sit et acies, docetur.

In variis Commentationibus, quas iunctim nuper *Frid. Adelungius* Petropoli edidit inscriptas, *Pausilippe*, edidit praeter narrationes nonnullas de Italiae urbibus et antiquitatibus, atque historicas reliquias (ut epistt. 2. Henrici VIII. regis Angl. ad Annam Boleyniam, ex iis quae Romae sunt exemplis) versiones *Nemesiani* eclogae funebris, Phlegontis Tralliani loci de historia spectri, et Bessarionis gr. libelli ad magistrum filiorum imp. Palaeologi leguntur.

Lutetiae nuper integra Italici itineris a Bartholomaeo, nobilissimo archaeologo, sucepti descriptio prodiit:

Voyage en Italie de M. l'A. *Barthélémy*, imprimé sur les lettres originales écrites au Comte de Caylus. Sed quae ad archaeologiam pertinent, ea iam Santacrocius (Saint Croix) Variis operibus Barth. 1797. editis inseruerat. (Fragmens d'un voyage litter. en Italie.)

VOL. II. PART. I. INSUNT:

COMMENTARII

SOCIETATIS PHILOLOGICAE

LIPSIENSIS

EDI CURAVIT

CHRISTIANUS DANIEL BECKIUS

VOL. SECUNDI PARTICULA II.

LIPSIAE ET PLAVIAE

IN COMM. GRAU, BIBL. CUR. ET MAURER BIBL. BEROL.

cIↄIↄcccII.

COMMENTARII

SOCIETATIS PHILOLOGICAE

LIPSIENSIS

EDI CURAVIT

CHRISTIANUS DANIEL BECKIUS

VOL. SECUNDI PARTICULA II.

LIPSIAE ET PLAVIAE

IN COMM. GRAU, BIBL. CUR. ET MAURER BIBL. BEROL.

cIↄIↄCCCII.

LECTORIBUS.

Quamquam et promisimus et sperauimus fore, ut huius voluminis partibus, non tenuibus, continerentur copiae philologicorum librorum, superiori anno emissorum, tamen ipsa earum amplitudo non capi potuit et comprehendi his angustis spatiis. Etenim recensendae proxima particula restant editiones nonnullorum historicorum veterum, et historiam antiquam et geographiam illustrantes libri, scripta Grammaticorum plura, in his unus, de cuius non vulgaribus praeceptis, atque luculentis accessionibus iam dudum dicere constitutum erat, commentationes de mythologia, libelli minores nonnulli, editiones Ciceronis scriptorum plurium, denique etiam aliorum nonnullorum auctorum vett., de quibus quidem postremis, ut de vita virtutibusque nonnullorum philologorum et archaeologorum, breuissime referendum videtur. Et, cum placuisset, addere huic particulae enumerationem librorum philologicorum, quos recentissimus Cata-

logus continet, omittendus nunc fuit Index rerum et observationum duobus voll. comprehensarum, qui separatim, cum prima particula Vol. III., edetur. Vt autem gratiae agendae sunt et iis, quorum commentationes has particulas ornant, et iis, qui libellos nobis editos miserunt, ita nec illorum eruditionem, nec horum beneuolentiam nobis, nec aliis nostram defuturam esse operam confidimus.

VOL. II. PART. II. INSUNT:

COMMENTARIORUM SOCIETATIS PHILOL.

VOL. II. PARTICULA II.

I.

Henr Aug. Schott, Phil. Doct. et AA. LL. M. *Observationes ad Dionysii Halic. artem rhetoricam.*

C. 1. §. 1. p. 226. (T. V. edit. Reisk.) ubi verba leguntur: *φέρε οὖν εἰς τοῦτο, ὦ Ἐχέκρατες, λέγωμέν σοι, ὥσπερ ὁδοῦ τινος ἀςιβοῦς τοῖς πολλοῖς ἡγεμόνες γινόμενοι, ἣν πάλαι παρὰ τῶν πατέρων τῆς ἡμεδαπῆς σοφίας παραλαβόντες ἔχομεν:* pro *ἣν πάλαι* scribendum esse *ἃ πάλαι*, ut verbum *λέγωμεν* habeat, quo referatur, iam latinus interpres bene vidit.

§. 4. p. 229. in. suadet noster scriptori orationis panegyricae, ut in ea orationis parte, quae de ratione et consilio, quo institutum fuerit certamen, exponit, illud inter et alia certaminum genera brevem instituat comparationem. *ἐν τούτῳ δὲ γενόμενος, μὴ ἁπλῶς παρέλθῃς τὸν τόπον, ἀλλὰ παραβαλεῖν χρὴ πρὸς τοὺς ἄλλους ἀγῶνας. τοῦτο δ' εὐπορήσεις τῷ λόγῳ, οἷον ἀπὸ καιροῦ παραβάλλων.* Structuram verborum: *τουτο δ' εὐπορησεις τῳ λογῳ,* ex vulgari loci scriptura admodum esse perturbatam, facile quisque intelligit. Hinc pro Dativis *τῳ λόγῳ* scribo *του λόγου*, et *τουτο* vel pro *κατα τουτο* accipiendum puto: *quod attinet ad*

hanc rem (si talem instituas comparationem) *abunde tibi suppetet materia orationis;* vel in τουτου mutandum, ita ut cum του λογου coniungatur: *materia huius partis orationis*, sc. qua instituitur haec comparatio,. (ita λογος de parte quadam orationis dicitur eod. cap. §. 2. p. 227. ex. c. 2. §. 3. in. et all. ll. ut latinum *oratio* Cic. de orat. l. 2. c. 78. §. 317.) *abunde tibi suppetet.* Similis formula §. 6. in. legitur: οὐδε γαρ ἐν τουτῳ γενομενος ἀπορησεις ἐπαινου.

§. 6. p. 230. ubi de iis disputat, quae in laudem coronae, qua victores ornari soleant, et arboris, quae coronis conficiendis inserviat, dicenda sint, olivam inter alia eo quoque nomine laudari iubet, καὶ ὅτι συναγωνίζεται πρὸς τὸν λόγον, δι' οὗ πανηγύρεις κοσμοῦνται. Explicatio horum verborum, quae primo obtuitu obscuriora esse videntur, haud dubie ex iis petenda, quae proxime antecedunt: καὶ ὅτι οἰκειότατον τοῖς ἀγωνιζομένοις· τὰ γὰρ γυμνάσια διὰ τοῦ ἐλαίου διαπονεῖται· „*dicendum est, maxime propriam esse* (*oli*„*vam*) *certantium* (ad eos proxime pertinere), *quum* „*certamina olei* (quo ungi solent membra athletarum) „*ope conficiantur.*" Comparatur oliva cum oratione in conventibus illis publicis recitari solita, hac quidem de causa, quod illa (oliva) ad corpora athletarum certamini futuro praeparanda adhibeatur, haec (oratio) splendorem et dignitatem certaminis augeat, et athletas ad fortitudinem excitet. (Solebant enim in conventibus illis publicis praeter eas, de quibus noster hoc Imo cap. praecepit, aliae quoque orationes recitari, quae maxime in athletis ad fortitudinem excitandis versarentur, λογοι προτρεπτικοι τοις ἀθληταις. vid. c. 7.) Sic oliva (certaminis ratione habita) socia quasi exsistit orationi, συναγωνιζεται προς τον λογον.

§. 7. p. 232. verba: ἡ δὲ λέξις ἄλλη μὲν, κατὰ τὴν

ἑκάςων φύσιν, ἢ βούλησιν non suo loco posita videntur, sed ab ea, cui perperam adiecta leguntur, sectione (ubi de iis, quae dicenda sint, non de modo exponitur) seiungenda, et ad initium sectionis sequentis, quae tota de dictione orationibus Panegyricis accommodata agit, referenda. Tum non facile patet, quid sibi illa velint: ἡ δὲ λέξις ἄλλη μὲν (sic vertenda: reliqua elocutio debet quidem s. potest naturae s. indoli, aut voluntati singulorum scil. scriptorum esse accommodata)? Quomodo de *reliqua elocutione* loqui poterat, qui in antecedd. de elocutione nihil omnino praeceperat? Hac de causa post μὲν excidisse arbitror voculam ἀλλων, vel ἀλλοις suppl. ἐςι, ita ut sensus totius loci hic sit: „*Quod autem ad elocutionem attinet, alius quidem* „(*scriptor*) *aliam sequi solet* (eamque perpetuam) *prout* „*natura* (*indoles*) *et voluntas uniuscuiusque exigit.* „(ἄλλη μεν (sc. ἐςι,) ἀλλων). *Suaderem tamen* (scri- „ptoribus orationum Panegyricarum), *si quid valere* „*oportet meam sententiam, ut non unius eiusdemque* „*generis elocutio, sed varia et ex pluribus composita* „*adhiberetur.*“

§. 8. p. 232. Quum elocutionem in orationibus panegyricis ita conformandam esse monuisset, ut alia simpliciter pronuncientur, alia more Isocratico membris sibi oppositis et comparibus, alia divisis efferantur, haec addit: ταύτην γὰρ τὴν ὁδὸν καὶ τὸν τοῦ ἡμεδαποῦ χοροῦ ἡγεμόνα τε καὶ κορυφαῖον οἶδα μετιόντα, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἢ ἐν τοῖς πλείςοις· εἰ μή τις πρὸς εἶδος γράφειν τι προὔθετο. Voculam τις quae sub finem loci legitur, omittendam esse, bene intellexit latinus interpres, qui haec ita reddidit: „*scio enim, nostratis chori ducem* „*et praesultorem hanc viam vel in pluribus* (*ut ita di-* „*cam*) *sectatum fuisse: nisi quidpiam in aliquo prae-* „*cipuo genere scribere proposuisset.*“ Nam quum illa

εἰ μη etc. cum antecedentibus arctissime sint coniuncta, non possunt in universum dicta esse: si *quis* forte: sed ad illum ἡγεμονα κ. κορυφαιον (sub quo haud dubie Isocrates antea commemoratus intelligitur, ad cuius auctoritatem saepius provocat, ut c. 5, in.) debent referri. Tum pro εἰδος γραφειν τι scribi malim: εἰδος τι γρ. ut τι non a γραφειν pendeat, sed c. εἰδος coniungatur: nisi ubi consilium cepisset, uni cuidam (certo) elocutionis generi accommodate scribendi.

Ead. §. ex. p. 233. Exemplis quibusdam allatis, quibus ostenditur, quanam ratione elocutio ita debeat conformari, ut accommodata sit ipsis sententiis, haec sequuntur: εἰ μὴ ἄρα τις πρὸς τὴν ἀξίαν τινὰ ἰδέαν λόγου διὰ πάντων παρέχοιτο. Ex hac vulgari loci scriptura necesse est ἀξιαν pro substantivo habeatur, et c. προς την iungatur (hoc sensu: „*nisi aliquis dignitatis causa ubique*, s. per omnem orationem, *unum aliquod* „*elocutionis genus praebeat*" vel: *nisi aliquis per omnem orat. elocutionis genus praebeat, quod sit* προς την ἀξιαν, *quod accedat ad dignitatem orationis panegyr. ei sit accommodatum.*) Utroque modo voculae illae: προς την sensui totius loci obesse magis, quam prodesse videntur. Priori rationi obstat, quod non facile patet, quid usus unius eiusdemque dicendi generis ad dignitatem pertineat? Posteriori structura verborum adversatur, quae ita contortior redditur. Malim igitur eas omnino pro spuriis habere. Potuit enim προς illud facile ex iis, quae med. §. leguntur: „εἰ μη τις προς" nostro loco et sententiae et verborum ratione habita simillimis, oculorum lapsu inferri; quae praepositio quum non facile cum seq. ἀξιαν concilianda videretur, nisi ἀξιαν pro substantivo haberetur, sponte patet, unde articulus quoque (την) exortus fuerit. Utraque voce omissa, sententia loci facilis et expedita

prodit haec: nisi aliquis per omnem orationem unum velit elocutionis genus, idque dignum (oratione panegyr.) exhibere.

C. 2. §. 1. p. 234. in. Echecrati mox nuptias celebraturo hanc de oratione nuptiali scriptionem, tanquam amicitiae signum, maxime commendatam esse cupit. ἀλλ᾽ οὖν ἔςω σοι ὥσπερ τι δῶρον παρ᾽ ἐμοῦ εἰς συντέλειάν τε καὶ κόσμον τῶν γάμων, τὸ μηδὲ τῶν περὶ τούτων εἰωθότων λέγεσθαι, μηδ᾽ αὐτῶν ἀπείρως ἔχειν etc. Sensum horum verborum non recte cepisse videtur latinus interpres, qui ita expressit: „*ut nec expers, nec* „*ignarus sis eorum, quae de his dici consuevere.*“ τα περι τουτων (γαμων) ειωθοτα λεγεσθαι manifeste opponuntur τοις αυτοις (μηδ᾽ αυτων scil. γαμων). Ipse scriptor paulo obscurius et inverso ordine enunciavit, quae ita enunciari debebant: *habeas hoc a me tanquam aliquod munus ad usum et ornamentum nuptiarum, quo non modo ipsarum nuptiarum, sed etiam earum, quae de iis dici soleant, gnarus fias ac peritus.*

C. 2. §. 2. p. 234. Monuerat scriptor §. 1. Echecratem iampridem, quum Dionysii scholas rhetoricas frequentaret, scriptiones dictionesque tractasse, quae non abhorrerent ab orationibus nuptialibus. Exemplum huius rei adfert §. 2. in. inde petitum, quod inter alia exercitationum genera tironibus proposita haec potissimum quaestio tractata fuerit: utrumne sit uxor ducenda? προκεχείρηται γαρ ἐν τοῖς (ἀσκήμασι s. γυμνάσμασι, nam tale quid post τοῖς excidisse orationis series ostendit) μάλιςα καὶ τοῦτο πρὸ πάντων τοῖς νεωτέροις εἰς γραφὴν. εἰ γαμητέον. Tum haec adduntur: οὐ πόῤῥω δ᾽ οὐδὲ νῦν ὁ ὑφ᾽ ἡμῶν προχειριζόμενος λόγος τῆς περὶ τὰς τοιαύτας ἰδέας τῶν λόγων θήρας, ἀμέλει γέ τοι οὐδὲ τούτοις, οἷσπέρ που καὶ ἐν ταῖς θέσεσιν ἀπὸ θεῶν, καὶ ὅτι οὗτοι οἱ εὑρόντες καὶ δείξαντες τοὺς γάμους τοῖς

ἀνθρώποις. Sponte patet, verba τούτοις, οἵσπερ" pendere ab οὐ πόῤῥω scil. ἐςι. Hinc rectius scribitur οὐδὲ τουτων (ut antea της θηρας. Simil. πόῤῥω cum Genitivo structur apud nostrum c. 5. §. 2. ex. p. 253.) Tum post θεων add. χρωμεθα (rel. ad οἵσπερ) et plenius interpungas, deleta vocula καί. Ita sensum totius loci huc redire videmus: *neque nunc* (οὐδε νυν oppon. iis, quae olim fuerant tractata, ἀσκημασι) *oratio quam propositam habemus, de qua exponere constituimus,* (λογος γάμηλιος) *aliena est ab investigatione rerum dicendarum, quae circa talia orationum genera* (ἀσκηματα illa, s. θεσεις antea commemoratas, ad nuptias pertinentes) *versetur, neque profecto ab iis, quibus in thesibus a Diis petitis uti solemus:* (sequuntur exempla) *quod illi nuptias invenerint et ostenderint hominibus* etc.

§. 3. p. 235. ex. In oratione nuptiali ea vult breviter commemorari, quibus coitus hominum differat ab eo, qui inter animalia obtineat: ὅτι τὰ μὲν ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχε μίγνυται· ὁ δ' ἄνθρωπος τάξιν τινα καὶ νόμον ἐξεῦρε τοῦ γάμου etc. In his post τα μεν addendum vel θηρια, vel ἀλλα (subint. φυτα et ζωα quae proxime praecedunt.)

§. 3. p. 236. In laudem nuptiarum inter alia hoc dicendum putat: ὅτι θνητὸν ὄν γε τὸ ἀνθρώπειον, ἐκ τῆς μίξεως καὶ κοινωνίας τοῦ γάμου ἀθάνατον γέγονεν ἐκ τῆς διαδοχῆς τῶν ἐπιγινομένων· ὥσπερ φῶς ἀναπτόμενον καὶ διαμένον καὶ τοῖς ἐπιγινομένοις, τῇ γεννήσει τοῦ ἀνθρώπου, καὶ μήποτε ἀποσβεννύμενον. In his verbis manifestum interpolationis signum deprehendisse mihi videor. Quum hominum genus coniugii ope immortalitatem quandam adeptum fuerit, comparari vult cum lumine, quod nunquam exstinguatur. Iam non video, quid sibi velint verba in altera periodi parte,

qua imago proponitur, obvia τῃ γεννησει του ἀνθρωπου, quae minime ad imaginem, sed ad rem ipsam cuius causa illa adhibita fuerat, pertinent. Videtur ea interpres aliquis aut librarius vel superioribus illis ἀθανατον γεγονεν, vel iis, quae proxime praecedunt, τοις ἐπιγινομενοις glossematis loco addidisse. Verum haec ipsa καὶ τοις ἐπιγινομ. mihi displicere fateor. Quanquam enim omnino cum voc. διαμενον recte possunt coniungi (hoc sensu: lumen, quod etiam in usum posterorum permaneat) tamen h. l. et otiosa sunt et aures ideo offendunt, quod lin. anteced. idem vocab. adhibitum fuerat. Omnis oratio rectius procedit, si, his omissis, locus ita legitur: ὥσπερ φως ἀναπτομενον, καὶ διαμενον, καὶ μηποτε ἀποσβεννυμενον.

§. 5. p. 237. καὶ πρὸς λύπας τε καὶ δυσχερῆ τὰ ἐν τῷ βίῳ γάμος χρησιμώτατος, κουφότερα ταῦτα παρασκευάζων, ὥσπερ φορτία μεταδιδόντων ἡμων ταῖς ἑαυτῶν γυναιξὶ τῶν δυσχερῶν. Quum vocab. μεταδιδοναι (omni loci structura iubente) cum των δυσχερων coniungi debeat, comma quod vulgo post παρασκευαζων ponitur, tollendum et post ὥσπερ φορτια ponendum esse patet, ita ut his verbis explicentur illa κουφοτερα ταυτα. Bene reddidit latinus interpres: *quippe quae haec tanquam onera reddunt leviora, cum molestiarum omnium uxores faciamus participes.*

§. 7. p. 240. ex. 41. in. Ostendit noster, unde laudes eorum, qui coniugium inituri sint, peti debeant. Inter alia hoc commemorat: εἰ δὲ δὴ ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους εἰσὶν, ὅτι αὔξησις καὶ οἰκειότης συγγενείας ἄλλη ἐπ' ἄλλῃ γέγονε, καὶ δεσμὸς βεβαιότερος καὶ ἰσχυρότερος. Non patet, quid sibi velit illud οικειοτης συγγενειας ἀλλη ἐπ' ἀλλῃ. Hinc suspicor, scribendum esse: ὅτι αὔξησις της συγγενειας, καὶ οἰκειοτης ἀλλη ἐπ' ἀλλῃ γεγονε, καὶ δεσμος etc. hoc sensu: *si ex eadem fuerint*

gente (sponsus et sponsa) *dicendum est, adfinitatem illam iam auctam esse* (coniugio), *aliam necessitudinem ad aliam accessisse, et vinculum* (huius necessitudinis) *multo validius et firmius exstitisse.*

§. 8. in. p. 241. εἰ δὲ δὴ αὐτὸς εἴης ὁ γαμῶν ὁ τὸν λόγον διαθέμενος, περὶ αὐτοῦ τούτου προοιμιαςέον χαριέντως, ὥσπεροῦν καὶ σοὶ ποιητέον, ὅτι — Videntur partim ea, quae sequuntur, partim ordo verborum et usus articuli (ὁ γαμων) suadere, ut ὁ γαμων pro subiecto, non cum latino interprete (qui ita vertit: *si autem tu ipse, qui orationem haberes, uxorem duceres*) pro praedicato habeatur; sensusque loci ita constituatur: *si tibi ipsi, qui uxorem ducturus sis, illa oratio* (nuptialis) *sit habenda* etc. Quodsi ita statuitur, intelligimus vim verborum: ὥσπερουν καὶ σοὶ ποιητέον, quae ita interpretor, ut σοι ad Echecratem (quem §. 1. allocutus fuerat) referam: id quod tibi quoque, mi Echecrates, faciendum. Ipse Echecrates nuptias suas mox celebraturus, orationem nuptialem recitare voluit. Huc maxime spectare videntur verba §. 1. obvia, de quibus supra monui: το μηδε των περὶ τουτων ειωθοτων λεγεσθαι, μηδ' αὐτων ἀπειρως ἐχειν.

C. 3. §. 3. p. 244. ex. 115. in. In oratione natalitia dicit locum, ubi quis natus fuerit, esse spectandum. Ἀπὸ δὲ τούτου ἰτέον καὶ ἐπὶ τοὺς τόπους ἐν οἷς τίς γέγονε. πρῶτον μὲν ἀπὸ τοῦ περιέχοντος τὸ ἔθνος Ἀσίαν, Εὐρώπην. καὶ τούτου αὖ πάλιν, Ἑλληνικὸν, ἢ βαρβαρικόν. ἢ σοφίαν, ἢ ἀνδρίαν τοῦ ἔθνους, ἤ τι τοιοῦτον ἐπισημαινόμενον. εἶτα ἐπὶ τὸ περιεχόμενον· τίς ἡ πόλις καὶ ἡ μητρόπολις αὐτῶν· ἐχομένη ἡ πόλις μητροπόλεως τῇ τιμῇ τῇ μεγάλῃ, πολυάνθρωπος, εὔφορος πρὸς ἀνδρῶν ἀρετὴν, ἢ ἄν τι ἕτερον ἀνδραγάθημα τῆς πόλεως. Hic locus pluribus vitiis laborat, neque a latino interprete ubique recte intellectus fuisse videtur. Primum

post Ἀσιαν (p. 244. l. 12.) excidit haud dubie particula ἢ, quae in diversis rei partibus vel speciebus enumerandis addi solet. Versio latini interpretis (*primum quidem ab eo, quod nationem continet, ad Asiam viz. ad Europam*) qui vel legisse, vel legi voluisse videtur: εἰς Ἀσιαν, Εὐρωπην, scil. ἰτεον, propemodum sensu est destituta. Asia et Europa pertinent ad τα περιεχοντα το ἐθνος, quae qualia sint, iam exemplis allatis ostenditur. Nam ratione terrae vel Asia, vel Europa (quae tanquam partes totius orbis terrarum nominantur) ratione incolarum vel Hellenico, vel barbaro (ad Graecos non pertinente) populorum genere, ratione virtutum ἢ σοφίᾳ, ἢ ανδρίᾳ ἢ τινι τοιούτῳ (i. e. genere hominum sapientum, fortium, etc.) continetur quasi natio, cui adscriptus est homo, cuius natalia oratione celebrantur. Tum l. 15. ἐπισημαινομενον perperam ab interprete lat. ad antec. τοιουτον refertur (*si aliquid eiusmodi praeclarum in se habuerit.*) ἐπισημαινεσθαι tale quid (τοιουτον τι) dicitur orator (ut §. 2. p. 244. lin. 3. 7. et all. ll.) qui talia indicat, laudat. Coniungendum potius cum ἰτεον (§. in.) ita ut hic sit totius ῥησεως sensus: *hinc transire oportet oratorem ad loca, ubi aliquis natus fuerit, ita ut primum ratione eorum quibus contineatur populus* (quae eum quasi circumdent) *Asiam vel Europam* (i. q. pertinere hanc gentem ad Asiam vel Europam) *hic rursus Hellenicam vel Barbaram nationem* (Genitivo τουτου utitur pro ἐκ τουτου vel ἀπο τουτων. Asia et Europa comprehendit το Ἑλληνικον et βαρβαρικον.) *tum sapientiam, fortitudinem, vel tale quid commemoret, laudet.* Aliud mendum latet in sequentibus: εἰτα ἐπι το περιεχομενον etc. Rationem porro habendam esse dicit eorum, quae contineantur (in gente) et in iis quidem primum quaerendum: quaenam sit eorum (quorum natalia celebrentur)

urbs aut metropolis? Iam primum non video quonam sensu dicatur quaerendum esse de *metropoli illorum hominum?* Nam si urbs aliqua metropolis esse dicitur, respici solet vel ad urbes, quas illa coloniis suis auxerit et amplificaverit, vel ad omnem gentem, et terram, cuius sit urbs primaria. Illud vero *αὐτων* ob omnem seriem orationis ad ipsos illos, quorum causa λογοι γενεθλιακοι scribantur, debet referri. Neque profecto multum ad laudem alicuius conferre videtur, quod metropolin terrae et gentis, ad quam ipse pertineat, laudemus. Deinde, si monuerat, quaerendum esse, qualis sit et urbs eorum (in qua nati fuerint) et metropolis, non video, quamobrem in sequentibus de illa tantum (πολει) neque simul de metropoli locos quosdam communes attulerit. His de causis locum nostrum parva mutatione ita emendandum puto: *εἶτα ἐπι το περιεχομενον· τις ἡ πολις αὐτων· ὅτι* (vel *οἷον ἐι*) *ἡ μητρόπολις* (scil. ἐςι), *ἢ ὅτι ἐχομενη ἡ πολις* etc. In iis, quae de πολει adduntur: *ἐχομενη ἡ πολις* etc. otiosa sunt verba *τῃ μεγάλῃ* addita vocabulo *τῃ τιμῃ*. Hinc post *τιμῃ* comma poni velim, et voculam *τῃ* ante *μεγαλῃ* (quae in cod. reg. 1. plane deest) vel omitti, vel in *ὅτι* mutari, quae particula (*ὅτι*) a nostro saepius iterari solet, ita ut *μεγαλη* aeque ac *ἐχομενη*, *πολυανθρωπος*, *εὔφορος* ad *ἡ πολις* pertineat: *ἢ ὅτι ἐχομένη ἡ πόλις μητροπόλεως τῃ τιμῃ*, (*ὅτι*) *μεγαλη*, *πολυανθρωπος*. Sensus totius: *tum ad ea, quae continentur populo, veniendum, dicendumque, qualis sit urbs eorum, v. c. esse eam metropolin, vel eam proxime excipere metropolin dignitate, esse amplam (magnam) frequentem populo*, etc. Quae deinde sequuntur: *ἔπειτα τα μεν περιεχομενα — προσοντων*, bene se habent, nisi quod pro: *ὅτι οὐκ ἀδοξου, γενους ἐνδοξου*, scribendum sit: *ὅτι οὐκ ἀδοξου γενους, ἀλλ'*

ἐνδόξου; quam scripturam latinus interpres versione expressit.

§. 4. p. 245. ex. κἂν ᾖ μικρὸς, ὅτι μείζων τὴν τῆς ψυχῆς ἀρετὴν, κατὰ τὸν Τυδέα, κατὰ τὸν Κόνωνα. Haec verba, (quibus scriptor noster significat, quaenam in laudem hominis, cuius dies natalis oratione celebretur, dici debeant, si parva sit atque exigua corporis statura) rectius ponuntur post verba: εἰ μέγας ἐςὶ — κατὰ τὸν Ἀχιλλέα. „*Si magnus fuerit, cum Aiace; si pulcher et fortis, cum Achille compares.*" His enim manifesto opponuntur illa, quae perperam §. ex. leguntur. Tum sequuntur, quae ad animi virtutes praedicandas pertinent: και εἰ εὔβουλος etc.

§. 5. p. 246. in. Haud dubie exciderunt vocabula quaedam, unde verba: οἷος τις τὰ περὶ τὸν βίον, εἰ φιλόκαλος, εἰ φιλοπρεπής etc. et accusativus, qui mox sequitur, ἐπιτικως ἐπαγοντα, pendeant, v. c. ἔπειτα χρη λεγειν, ἀναγκαιον δε και λεγειν, διατυπωτεον λογῳ, aut talia quaedam.

C. 4. §. 1. De oratione epithalamia haec dicit: ἐχόμενος δε τοι μάλιςα και ἀκόλουθος εἴη τοῖς ἀμίκτοις τῶν λόγων σχεδὸν, εἷς καὶ ὁ αὐτὸς ὢν τῷ γαμικῷ; ubi non observatum inveni ab interpretibus, comma post σχεδον esse tollendum, et post των λόγων ponendum, ita ut σχεδον ad seqq. pertineat: quae fere non differt ab oratione nuptiali. Id patet ex seqq. ubi, rationem prolaturus, cur σχεδον (fere) tantum, neque in omnibus utramque orationem ab altera non differre monuerit, addit, tempore tantum differre. In his ipsis, quae sequuntur, ordo singularum enunciationum paullulum perturbatus esse videtur. Ita scribi malim: ἐπὶ τετελεσμένοις τοῖς γάμοις λεγόμενος οὗτος, καὶ ὥσπερ ἀντὶ Ὑμεναίων ἐπαδόμενος τοῖς γάμοις· οὐ μὴν τοῖς γ' ἄλλοις ἀπάδων τοῦ προειρημένου.

§. 2. p. 249. *ὥσπερ δ' ἐν τοῖς γαμικοῖς ἠξιοῦμεν πρὸς τοῖς ἄλλοις ἐπισκοπεῖν, οἷον, εἰ ἐκ τῆς αὐτῆς πατρίδος, εἰ ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους, οὑτωσὶ δὲ μηδ' ἐν τούτῳ παρὰ φαῦλον ποιεῖσθαι τὸ μέρος τοῦ λόγου τούτου.* Ipsa sententiae ratio ostendit, vocabulum *οἷον* esse delendum. Nam quaestiones illae, quarum rationem vult haberi ab oratore, utrum eandem habeant patriam, ad eandem pertineant gentem (sponsus et sponsa), non exempli loco laudantur. Quum in antecedd. omnia fere indicasset, quae in laudem eorum, qui coniugium essent inituri, dici possent ac deberent, restabat, ut moneret, oratori in his orationibus epithalamiis, aeque ac in nuptialibus illis, *γαμηλίοις* dictis (vd. c. 2. §. 7.) videndum esse, utrum eadem gaudeant patria, eadem gente; neque hunc locum omnino silentio praetereundum.

C. 5. §. 1. p. 252. Orationes, quae ad legatos ab imperatoribus in urbes et provincias missos habeantur, propterea habendas esse dicit, ut iis nos ipsos et patriam maxime commendemus. *ὅπως καὶ αὐτοὺς διὰ τοιούτου τρόπου, καὶ πρὸς ἡμᾶς καὶ πρὸς τὰς αὐτῶν πατρίδας οἰκειοτέρως διακεῖσθαι παρασκευάσαιμεν.* Scribendum: *προς τας ἡμων πατριδας*, ob personam I. plur. *παρασκευασαιμεν*. Non potest *ἀρχοντων* illorum, sed eorum, qui talem orationem recitent, patria intelligi. Eadem de causa §. 2. ead. pag. lin. 16. *αὐτῶν* in *αὐτῶν* mutandum.

§. 2. p. 253. Monuerat scriptor, initium orationis ad legatum a principe missum habendae ita esse conformandum, ut orator causam adferat, cur ipse potissimum prae aliis fuerit ad id negotium suscipiendum electus. His addit: *ἐχέτω δ' ἐν τούτῳ καὶ θεραπείαν τινα τοῦ ἄρχοντος, ὡς ἀποδεχομένου τοὺς τοιούτους ἅπαντας, καὶ οἷον αὐτοῦ χεῖρα ὀρέγοντος·* *διόπερ καὶ*

ἑτοιμότερον ὑπήκουσε· καὶ ὅτι ἦν μὲν καὶ ἀκούειν τοῦτο εὐθὺς περὶ αὐτοῦ πολὺ δ' ἔτι ἐναργέςερον τῇ ὄψει αὐτῇ πέφηνεν ἀτεχνῶς, οἷον ἐκ τοῦ προσώπου καὶ τῆς φαιδρότητος, ὥσπερ ἐν κατόπτρῳ, τοῦ ἔθους καὶ τῆς πρὸς ταῦτα δεξιότητος φανερῶν γινομένων. Sensus hic est: *contineat (oratio) hac in parte* (ubi orator enarrat, cur ipse potissimum ad dicendum accesserit) *simul laudem quandam illius legati, quippe qui tales (oratores) omnes benevole admittat, et quasi ipse manum porrigat iis* (quae amoris vel benevolentiae significatio esse solet) *quapropter (orator) lubentius obsecutus fuerit (mandato, quod ad orationem habendam pertineret); addendumque, licuisse quidem illud* (ὅτι ἀποδεχεται τους τοιουτους ἁπαντας) *ab aliis confestim audire, verum multo manifestius vultu eius* (ἀρχοντος) *declarari, ex cuius hilaritate, tanquam e speculo, pateat, eum usu et consuetudine dexteritatem quandam ad talia tractanda nactum fuisse.* (i. e. saepius iam hoc legati munere functum esse, ideoque lubentem, benevolum, hilarem ad huius provinciae administrationem accedere, lubentem benevolumque admittere oratorem, qui ipsi hanc dignitatem gratuletur, et se suamque civitatem commendet.) Putaveram olim, posse illa: και ὁτι ἠν μεν ad ipsum oratorem referri (hoc sensu: licuisse quidem illud ab aliis audire, scil. ὁτι ἑτοιμοτερον ὑπηκουσε, at multo manifestius ex vultus hilaritate apparere, quae dexteritatem eius ad negotia illa pertractanda i. e. tales orationes habendas usu et consuetudine comparatam prodat. Sed vereor, ne hac ratione orator ipse nimium se laudare videatur. Versio latini interpretis neque Graecis, neque orationis seriei ubique convenit. P. ead. lin. 14. pro κατακλεισας rectius scribitur κατακλεισαντα propter accusativos antecedentes: οὕτω δε προκαταςησαμενον — ἑξης

ἰτεὰν — ποιήσαμενον, etc. Denique l. 16. ἐπι το αὐτο ἔθνος illud αὐτο (quod h. l. sensu caret) omittendum.

§. 3. p. 254. (ubi de laudibus legati praecipit) in verbis: χρήση δὲ καὶ ἐνταῦθα τοῖς ἐγκωμιαστικοῖς λόγοις scrib. χρηστεον, quia accusativi sequuntur: διεξιοντα, προαγοντα, ἐπισημαινομενον etc.

§. 4. p. 255. Laudatis legati virtutibus, brevem iubet cohortationem addi, qua ipse admoneatur, ut urbi faveat: καὶ ἐντεῦθεν προτροπὴ καὶ παράκλησις πρὸς εὔνοιαν τῆς πόλεως, ἐπισημηνάμενον, ὅτι χρηστὴν ἐλπίδα περὶ τούτου ἔχουσι. Φανερὸν γάρ τοι ἀπὸ τοῦ οὕτως ἀποδέξασθαι τὴν πόλιν, ἀπὸ τοῦ φιλανθρώπως καὶ εὐπροσηγόρως ἅπασι προσενεχθῆναι καὶ ὁμιλῆσαι, ὅτι εἰκότως τοῦτο ἐποίησεν. τοιαύτη γὰρ ἡ πόλις, οἵα ἀμείβεσθαι τοὺς εὖ χρησαμένους ἑαυτῇ. Nequeo de vocabulo ἐπισημηνάμενον Sylburgio consentire, qui accusativum ab anteced. voc. χρη (και τουτων χρη μνημονευειν) pendere arbitratur. Nam verba, quae interiecta leguntur: καὶ ἐντευθεν προτροπη καὶ παρακλησις προς εὐνοιαν της πολεως (scil. ἐστω) impediunt, quo minus recte possit accusativus sequi pendens a vocula χρη. Malim aut voc. ἐπισημηναμενον textu removere (ita ut ante ὁτι subintelligatur: *dicendum*, s. *addendum est*, cfr. simill. ll. c. 3. §. 4. p. 295. l. 14. 15. 16. c. 5. §. 2. p. 253. l. 12. et all. Facile potuit ἐπισημηναμενον glossematis loco addi, ut loco modo laud. c. 5. §. 2. p. 233. l. 12. ubi post ποιησαμενον in cod. reg. 1. leguntur verba: καὶ αὐτο τουτο ἐπισημηναμενον,) aut, si hoc minus placuerit, scribere: ἐν ᾧ ἐπισημαινοιο, s. ἐπισημαινῃ. Latinus interpres in eo erravit, quod subiectum, ad quod verba: οὕτως ἀποδεξασθαι, Φιλανθρωπως — ὁμιλησαι, et ἐποιησεν pertinerent, την πολιν esse putaret (manifestum enim ex eo, quod urbs tam benigne eum exceperit omnesque humanitate ac comitate adeo singulari prose-

cuta fuerit, cumque iis sermones miscuerit, ipsam non sine ratione hoc fecisse. Verum, hac ratione probata, neque, quanam ratione verba illa argumento possint inservire eorum, quae proxime praecedunt: ὅτι χρηςὴν ἐλπιδα περι τουτου ἐχουσι, neque, quinam sint illi ἀπάντες, quos urbs humanitate singulari prosecuta fuerit, recte intelligi potest. Subiectum puta ipsum ἀρχοντα illum s. ἡγουμενον. Sensus: sequatur iam sermo, qui legatum ad benevolentiam erga civitatem cohortetur; ubi hoc dicendum est, civitatem, (vel: cives) optimam hac de re spem alere. Etenim exinde, quod ita (benevole) receperit tutelam urbis, et cum omnibus (civibus) tanta humanitate atque comitate fuerit versatus, patere, eum hoc non temere, non sine ratione fecisse; quippe cum ita sit animata civitas, ut iis, qui bene de ea mereri studeant, gratias referat. (i. e. hinc sperare licet, fore, ut civitatem omni, qua fieri possit, ratione magis magisque sibi reddat devinctam.)

§. 5. p. 256. l. 7. 8. Ubi laudes ipsius urbis in eiusmodi oratione pertractantur, inter alia dici vult περὶ χώρας τῆς ὑποτελοῦς, ἀφ' ἧς ἡ πρόσοδος, εἰ μὲν πολλὴ εἴη, εἰν ἰσχὺν τῆς πόλεως ἀμαφέροντα· ει δ' ὀλίγη, ὅτι ἀρκεῖται καὶ ταύτῃ. Pro ἀναφεροντα scrib. ἀναφερουσα. Pertinet enim ad antec. ἡ πρόσοδος, proventus, reditus. ἀναφερειν saepe de proventibus, qui ex aliqua re proficiscuntur. Sensus igitur: de regione stipendiaria (quae tributa, vectigalia solvit) unde reditus proficiscuntur, qui si magni sunt, ad robur, potentiam civitatis augendam redeunt (s. dicendum est, eos ad robur civit. augendum redire) etc. Latinus interpr. vertit: ad urbis robur et potentiam etiam hoc (sc. quod ex regione stipend. multi reditus proficiscantur) referendum (ab oratore). Sed nil praecedit, quod accusativum postulet.

§. 6. p. 257. Sub finem orationis iubetur orator, si forte hucusque dignitate quadam et gloria gavisus fuerit, hoc addere, se sperare, fore, ut, tali archonte imperante, non tantum conservare possit hanc dignitatem, sed etiam augere. εἰ δὲ τῶν ἤδη προευδοκιμηκότων καὶ προειρηκότων ἀνεπαχθῶς περὶ αὐτῶν εἰπόντες τὸ μὴ φυλαχθήσεσθαι μόνον etc. Vocabulum προειρηκοτων h. l. sensu caret. Scribendum conieci: πρὸεςηκότων, quod antecedentibus non omnino inconveniens esse putaverim. Nam πρόεςηκοτες saepissime dicuntur, qui rempublicam administrant. Verba περι αὐτων post ἀνεπαχθως cum hoc ipso vocab. propius coniungenda: ita ut hae res (τιμὴ καὶ δόξα) nullam ipsis invidiam facerent.

C. 6. §. 1. p. 258. Disputationem de oratione funebri ita exorditur, ut mortem et quaecunque ad mortem pertineant, ingrata quidem, sed necessaria esse moneat. ἀπευκτὰ μὲν γὰρ τὰ τοιαῦτα· ἀναγκαῖα δ' ἀνθρώποις γ' οὖσι, καὶ παρελθοῦσιν εἰς τὸν ἀνθρώπινον βίον. ἀνθρώπῳ γὰρ γενομένῳ κατὰ τὸν τοῦ Καλαίσχρου τοῦ τῶν τριάκοντα, βέβαιον μὲν οὐδὲν, μὴ ὅτι καὶ τὸ θανεῖν γενομένῳ, καὶ ζῶντι, εἰ μὴ οἷόν τ' ἐκτὸς ἄτης βαίνειν. In his primum non patet, quid sibi velit illud τον in verb. κατὰ τὸν τοῦ Καλαίσχρου. Vel λογον addendum, vel scrib. κατὰ τὸ τοῦ Καλαίσχρου (ut c. 4. §. 3. p. 250. τὸ τοῦ Ὁμήρου). Tum offendunt illa γενομενῳ καὶ ζωντι post θανειν posita, quum fere eadem ab initio huius ρησεως legantur: ἀνθρωπῳ γὰρ γενομενῳ. Rectius h. l. omittuntur, ita ut omnis locus ita legatur: ἀνθρωπῳ γὰρ γενομενῳ καὶ ζωντι, κατὰ τὸ τοῦ Καλαισχρου — ὅτι μὴ τὸ θανειν (ut bene coni. Sylburg. pro vulg. μὴ ὅτι) εἰ μη οἱον τ' ἐκτος ἀτης (ex Wolfii mente pro αὐτης) βαινειν. Ceterum non possum latino interpreti adsentiri, qui verba γενομενῳ και ζωντι vertit: sive recens natus sit, sive in provectiori aetate vitae

cursum

cursum peragat. ἀνθρ. γενομενος non videtur multum a ζωντι differre. γενομενος i. q. ὤν, ut c. 1. §. 4. p. 229. lin. 2. §. 6. p. 230. lin. 7. et al. ζωντι perspicuitatis causa additur: ei, qui homo est, qui vivit.

Quod ad ea attinet, quae proxime sequuntur (ubi scriptor de duplici genere λογων ἐπιταφιων exponit). ἐπειδὴ τοίνυν ἀμφοῖν δύο λόγοι μεμηχάνηνται: illud ἀμφοιν (quod h. l. aperte falsum est) ex depravato ἐπιταφιοι ortum videtur. Tum p. 259. l. 4. pro ἐπιταφιος οὑτως ὀνομαζομενος rectius: αὐτος (scil. λογος. Nominativis absolutis utitur). Ceterum, quae hoc cap. de λογοις ἐπιταφ. dicit, periodo paulo longiori comprehenduntur, quae brevioribus quibusdam incisis interiectis: ὀνομα γε μην ἀμφοιν; tum: παραδειγματα αὐτων; porro: οὐκ ἀπορησομεν; denique: πολυς τε καταλογαδην, obscurior redditur. Apodosin continere videntur verba: ληξομεν δ' οὐδε νυν, ἐς' αν γενος ανθρωπων, και το χρεων ἐπικρατουν ᾗ. Quandoquidem duo exstant harum orationum genera (publicarum et privatarum) quae tamen uno eodemque nomine insigniuntur, atque utriusque generis exempla et apud antiquos et apud recentiores scriptores permulta licet invenire, neque nunc negligemus. In verbis p. 259. obviis: πολύς τε καταλογάδην ἐςὶ τοιούτων λόγων, vel addendum αριθμος, aut tale quid, quo referatur πολυς, vel scribendum πολυ (πολυ των τοιουτων λογων ἐςι i. q. πολλοι εἰσι τοιουτοι λογοι.)

§. 2. p. 261. ex. ubi de laudibus mortuorum celebrandis agit, verba pessime depravata leguntur. Omnis locus ita se habet: εἰ δ' ἐπί τινος εὐκλείας λόγος γίνοιτο, ὅτι πατρὸς ἀγαθοῦ, καὶ προγόνων, καὶ ἐν βραχεῖ περὶ αὐτῶν εἰπεῖν τὸν ἔπαινον, ὁποῖοι δημοσίᾳ, ὁποῖοι ἰδίᾳ, ὁποῖοι ἐν λόγοις, ὁποῖοι ἐν βίῳ, και εἴ τι ἐν ἔργοις, ἢ ἐν πράξεσιν, ἤ τινα τοιαῦτα, ἢ ποιότης του

προσώπου παρέχοι ἐκ τῆς Φύσεως, ὅτι εὐΦυὴς εἰς πάντα. κοινὸς δὲ ὁ τοιοῦτος.

Quaeritur, quonam referenda sint verba: ἡ ποιότης τοῦ προσώπου παρέχοι ἐκ τῆς Φύσεως, ὅτι εὐΦυὴς εἰς παντα: aut si (εἰ ἡ necessario inserendum esset post ἡ, etsi cetera non mutarentur) *qualitas personae* (προσωπον h. l. non vultus, sed omnis persona, ut aliis ll. v. c. §. 4. p. 263. §. 5. p. 266.) *ex ipsa natura* (*indole*) *hominis signum suppeditet, quo ostendat, esse eum ad omnia gerenda aptum?* Quum antecedentia - και ἐν βραχει περι αὐτων εἰπειν τον ἐπαινον — ἡ ἐν πραξεσιν (omni orationis serie iubente) ad maiores, προγονους, hominum mortuorum, qui concione funebri ornantur, pertineant, (ita ut fontes indicentur, unde laudatio eorum sit petenda) necesse est ex vulgari loci scriptura verba: η ποιοτης tam arcte cum antecedentibus coniuncta ad eosdem referantur. Sed plura huic sententiae obstant. Nam 1) si illa ποιοτης του προσ. ad προγονους (maiores) pertineret, non bene potuisset singulari numero scribi: ὁτι ευΦυης εἰς παντα. 2) debebat omnino scriptor breviter commemorare, quanam ratione etiam mortuorum ipsorum (neque προγονων tantum) Φυσις, indoles naturalis sit laudanda. Nam sect. 2. in. (p. 260. lin. 6.) eam diserte refert inter locos communes, τοπους, e quibus sit laudatio mortuorum petenda (πατριδος, γενους, Φυσεως, ἀγωγης, πραξεως). Iam quum in iis, quae proxime sequuntur, sect. 3. in. confestim ἀγωγης (vitae rationis) mentio fiat, hinc sponte patet, nostrum h. l., ubi Φυσιν et ποιοτητα των προσ. commemorat, de mortuis ipsis, non de maioribus eorum cogitasse. Eodem modo offendunt verba: κοινος δε ὁ τοιουτος. Si subintelligere velis λογος ἐπιταΦιος (ut sit: concio funebris, quae plurium, των ἐν πολεμοις πεσοντων, causa habetur, talis est, i. e. hac ratione

quam modo indicavi, conformatur), repugnarent haec antecedentibus, quae, ut ipse scriptor ead. pag. lin. 2. 3. innuere videtur, non tam de concionibus funebribus publicis, quam de privatis disputata sunt. Sin cum alio interprete suppleas τοπος (huiusmodi locus est communis) otiosissima foret haec scriptoris admonitio. Hae difficultates tolli videntur, si, puncto posito post πραξεσιν, locum ita legas: ἢ εἰ (quam partic. inserit cod. Colb.) τινα τοιαῦτα ἡ ποιότης τοῦ προσώπου παρέχοι ἐκ τῆς φύσεως, ὅτι εὐφυὴς εἰς πάντα ὁ τοιοῦτος. Monuerat scriptor in antecedentibus, si sermo incidat de famae celebritate, maiores mortuorum esse commemorandos, eorumque virtutes breviter laudandas. His statim subiungit, quae ad φυσιν mortuorum praedicandam pertinent: „*aut, si ipsa qualitas personae* (quae „laudanda est) *ex omni indole naturali talia quaedam* „(laudis argumenta) *suppeditet, dicendum est, esse ta-* „*lem* (tali φυσει praeditum) *ad omnia gerenda aptum.*" Illud κοινος originem debere videtur librario, cuius oculi in sequentem lin. aberraverant.

§. 3. p. 262. singulas mortuorum virtutes laudari iubet: ὁπόταν δὲ περὶ ἑνός τινος λέγωμεν, περὶ τῆς ἀρετῆς ποιησόμεθα τὸν λόγον, οἷον περὶ ἀνδρίας, περὶ δικαιοσύνης, περὶ σοφίας, ὁποῖος περὶ τὴν πόλιν· ἐν τούτοις ὁποῖος ἰδίᾳ περὶ ἑκαςα, ὁποῖος περὶ φίλους, ὁποῖος περὶ ἐχθρούς. Verba ἐν τούτοις vix recte intelligi possunt, nisi, quae proxime praecedunt: ὁποῖος περὶ τὴν πολιν post ἐν τουτοις collocentur, hac ratione: περι σοφιας. ἐν τουτοις, ὁποιος περι την πολιν, ὁποιος ἰδιᾳ περι ἑκαςα: „*de fortitudine, iustitia, sapientia dicemus. Et in his quidem* (ubi virtutes illas laudamus) *indicabimus, qualis fuerit erga civitatem, qualis privatim erga singulos*" (ita ut inde comprobentur, quae de virtutibus eorum dicta fuerint.) Ceterum h. l. obiter addere

mationem quandam, nihil a sonis cassis diversam. Similiter in verbis: εἰ ἀκόλουθον τοῖς περὶ τὸ τοῦ σώματος καλὸν σπουδάσουσι, καὶ περὶ τὸ καλὸν τὸ ἐπὶ τῇ ψυχῇ σπουδάσαι καὶ μᾶλλον, ὅσῳ τιμιώτερον ψυχὴ σώματος, εἰ μὴ καὶ αὐτοὺς ἀσκοῦντας, ἀλλὰ τοῖς ἀσκήσασι πειθομένους, particula εἰ non habet, quo referatur. Putaveram olim, vel membrum aliquod, e quo verba: εἰ ἀκόλουθον penderent, plane periisse, ita ut vera totius loci lectio vix ac ne vix quidem restitui posset, vel pro εἰ esse ὅτι scribendum, (subint. dicendum est). Sed iam vestigia lectionis genuinae partim in illis εἰδεναι και ταυτα, quae eo loco, quo vulgo ponuntur, otiosissima esse quisque intelligit, partim in vocabulo παρακλησις, quod ante εἰ ἀκόλουθον proxime praecedit, et in codd. quibusdam cum his ipsis sequentibus verbis connectitur, ideoque ob hanc ipsam lectionis inconstantiam iam ab alio interprete pro spurio habitum est, deprehendisse mihi videor; ita ut, et verbis: εἰδεναι και ταυτα, et voc. παρακλήσις deletis, atque puncto posito post ἀποδείξεων scribatur: παρατιθέναι δὲ καὶ ταῦτα· ὅτι ἀκόλουθον etc. Addit scriptor vbb. παρατιθεναι δε και ταυτα, quia iam non de illo discrimine loqui pergit, sed nova quaedam argumenta tractare incipit, quibus talium orationum usus possit defendi. Iam fateor quidem, posse hanc emendationem paulo audaciorem videri. Sed occurrunt profecto in hoc Dionysii nostri libello (ut iam aliquoties vidimus) plura eiusmodi loca, quibus nonnisi aliqua verborum transpositione medela possit adferri. Verba παρατιθ. δε κ. ταυτα nescio quo casu a scribis post οὕτος ὢν ἐκείνων inserta, atque ita mutilata sunt, ut scriberetur ειδεναι και ταυτα. Iam quum vocula παρα eo, quo recte collocata est, loco (post αποδειξεων) relicta fuisset, ceteris perperam translatis, alius forte librarius, ut lacunam

expleret, inde composuit παράκλησις, quod antecedentibus optime convenire videretur. Denique ὅτι facillime in εἰ mutari potuisse, vix est, quod moneam. Sensus totius loci ita emendati huc redit: *Tum haec quoque addenda, decere eos, qui* (ἀκόλουθον εἶναι saepe de iis, quae facere decet, oportet, ut c. 6. §. 5. p. 266.) *aliquam corporis praestantiam (aliquod corporis bonum) sibi comparaverint*, (malim σπουδάσασι pro σπουδάσουσι scribere, quum athletae, ubi certamen subeunt, illam corporis praestantiam, i. e. firmitatem, et agilitatem, non sibi comparaturi sint, sed comparatam adhibituri) *eo maiorem operam navare bonis, quae ad animum pertineant, quo magis animus corpori praestet, ita quidem, ut, etsi ipsi non exerceantur, tamen persuaderi sibi ab iis sinant, qui animum exercuerint.*

II.

Frid. Aug. Wolfii, Prof. Hal. in locos quosdam Platonis, Apollonii Rhod. et Suetonii animadversiones, in Catall. nonnullis lectt. Halenss. prolusionis loco exhibitae.

Alcibiad. primi p. 109. C. In verbis καὶ ὁπότε καὶ μὴ omissum putamus alterum ὁπότε ante μή, culpa librarii. Id verbum Plato ex accurate loquendi lege vix potuit ipse omittere; sicut laboret sermo, si eodem in versu scribas καὶ οἷς δεῖ καὶ μή.

P. 116. *A* scrib. εἰ προσεῖπες αὐτήν, non προεῖπες cum vulgo. Res clara est, ut et illud, quod p. 120. *D*. repono, πότερον εἰκὸς ἀμείνους γίγνεσθαι φύσεις, pro φήσεις. Primum hoc legens, nihil aliud quam mendum putabam typographi esse; ac praeiverunt correctionem Ficinus et Cornarius.

P. 122. *A.* Ὅταν δείσῃ, δοῦλον ὄντα, ubi etiam Steph. haesit. Sed ipsa vocula ὅταν, quae nobis primam suspicionem movebat, relinquitur ab illo et firmatur. Nos leniori medela corrigimus, ἅτ', ἂν δείσῃ, δοῦλον ὄντα.

P. 129. *C.* nihili est forma τομῇ, Cornarii autem ἡμιτομῇ, plane somnium. Scrib. ex Polluce X, 141. τομεῖ. Nam, τὰ σκυτοτόμου σκεύη, inquit ille, τομεὺς ἐν Πλάτωνος Ἀλκιβιάδῃ εἰρημένος. *Scalprum sutorium* est.

P. 132. E. ubi nunc legitur, ἔν ἐστι τῶν τοιούτων, legendum censemus, ἔνεστί τι τῶν τοιούτων, aut certe ἕν ἐστι τὶ τῶν τοιούτων. Vulgatum nobis suspectum facit bene loquentium consuetudo.

P. 111. A. Δικαίως ἐπαινοῖντ' ἂν αὐτῶν εἰς διδασκαλίαν. Vitiata haec esse, nemo non videat. Quae ad sententiae et dictionis Platonicae sanitatem redigere nobis videmur sic legendo, Δικαίως ἐπαινοίη γ' ἂν αὐτῶν τὶς διδασκαλίαν. In quo presse sequimur litterarum vestigia.

Menonis c. 5. Discipulus hic Gorgiae denuo interrogatus a Socrate; quae sit accurata definitio virtutis (ἀρετῆς), respondet: τί ἄλλο γ' ἢ ἄρχειν οἷόν τε εἶναι τῶν ἀνθρώπων? Huius definitionis vitium arguit Socrates, docens, eam iusto circumscriptiorem omnes homines, praeter peritum rei publicae administrandae, possessione virtutis excludere. Is error facile irrepere potuit in iis civitatibus et temporibus, quibus vir civilis et politicus unus erat omnia. Itaque Socrates, ut angustias definitionis demonstret, Menonem admonet de filio familias et de servo h. e. mancipio; cui contemptissimo tum generi hominum, tamen, non minus quam equis et canibus venaticis, virtus quaedam tribuebatur; Ἀλλ' ἆρα, inquit, καὶ παιδὸς ἀρετὴ ἡ αὐτή, ὦ Μένων; καὶ δούλου, ἄρχειν οἵῳ τε εἶναι τοῦ δεσπότου? Hisce verbis haud levius quam ipsi definitioni vitium inesse apparet. Dativus enim οἵῳ nihil habet quo referatur; quoniam a pronomine ἡ αὐτὴ regi seu pendere h. l. nequit; totumque membrum, καὶ δούλου — δεσπότου, novam interrogationem inepte et frigide orditur. Cui utrique molestiae medebimur, sic lenissime corrigendo et tenore orationis continuando: Ἀλλ' ἆρα καὶ παιδὸς ἀρετὴ ἡ αὐτή, ὦ Μένων, καὶ δούλου, ἄρχειν οἵω τε εἶναι τοῦ δεσπότου?

Vocativus ὦ Μένων, post quem signum interrogandi tollimus, interiectus est more Graeco; nostro more alium locum sortiretur. Tantilla res primum offendit editores. Alterum paullo gravius est, quod οἵῳ, mutamus in accus. dualem οἵω, qui ad utrumque pertinet, puerum et mancipium, ut sensus hic sit: *An tu putas istam, quam dicis, virtutem eandem esse utriusque horum, ut possint imperare?* Sed quod adiicit τοῦ δεσπότου, facit hoc, ut eo clarius ostendat, quam absurda sit definitio, quia adiectione illa omnino tollitur conditio servi. Nam *aliis* imperare etiam servus olim poterat ac debebat interdum, vel δεσπότου nomine vel suo ipsius. Quippe notum est genus lautius servorum, quod collecto peculio emebat sibi servos, qui vicariam operam praestarent, et apud Romanos proprio vocabulo *Vicarii* dicerentur. Verum id minime tollebat servi conditionem et statum. Id vero tollit, si servus, sciens imperandi, imperat ipsi domino, ipsis liberis. Quapropter addit Socrates, καὶ δοκεῖ σοι ἔτι ἂν δοῦλος εἶναι ὁ ἄρχων? negatque Meno, nullo pacto negaturus, si aliud, quam quod constituimus, audiisset.

P. 82. *C.* Steph. Εἰ ἐν ταύτῃ δυοῖν ποδοῖν, ταύτῃ δὲ ἑνὸς μόνου, ἄλλο τι ἅπαξ ἦν ἂν δυοῖν ποδοῖν τὸ χωρίον? Hic corrigendum est εἰ ἦν, quo simul hypotheticae constructionis lex et usus sermonis restituitur. Nihili est ἐν ταύτῃ. — Mox gravius mendum irrepsit.

P. 84. *E.* Οὐκοῦν ἐστὶν αὕτη γραμμὴ ἐκ γωνίας εἰς γωνίαν τινὰ τέμνουσα δίχα ἕκαστον τούτων τῶν χωρίων. Offendit in his statim pronomen male abundans, neque id magis in Graecis ferendum est, quam in Ficini translatione, *ab angulo in angulum aliquam.* Tum verbum deest complendae sententiae. Id vero in vicinia erat. Scrib. γραμμή, ἣ ἐκ γωνίας εἰς γωνίαν τείνει

τέμνουσα. Illud proprium vocabulum est geometricae disciplinae.

P. 85. C. Εἰ δὲ αὐτῷ ἐν τις ἀνερήσεται πολλάκις τὰ αὐτὰ ταῦτα, καὶ πολλαχοῦ — Nobis scribendum videtur πολλαχῇ. De variis enim quaerendi *modis* agitur, non de *locis*.

P. 86. A. perpusillum haeret vitium, et hoc quidem iam ab aliis animadversum, sed a nemine recte sublatum: Ἐνέσονται αὐτῷ ἀληθεῖς δόξαι, αἳ ἐρωτήσεις ἐπεγερθεῖσαι ἐπιστῆμαι γίγνονται. Quod ibi Sydenhamus in nota ad anglicam interpretationem excogitavit, αἳ ἐν ἐρωτήσεσι, longe ineptissimum est et vix Graecum. Ac multo tolerabilius erat, quod olim Cornarius coniecerat, ἐρωτήσεσιν. At ne hoc quidem verum est. Nam ἐρώτησις est *actio interrogandi*; ipsa vero *proposita quaestio* seu *interrogatum* est ἐρώτημα s. ἐρωτώμενον. Ita scriptores optimi, ita Plato ubique loquitur. Ponendum ergo una, abiecta littera, ἐρωτήσει, i. e. *sciscitando*, ut vertit Ficinus.

P. 92. C. Τούτους γοῦν οἶδα οἳ εἰσιν. Non exspectatur h. l. *qui* sint, sed *quales* sint. Id autem discrimen Graecus sermo diligentius servat, quam Latinus. Ideo scribendum est, οἷοι εἰσιν.

P. 94. C. palaestrici alīunde ignoti nomen legitur, Εὐάδωρος. Verum omni analogiae repugnat haec scriptura, satisque nota sunt nomina Εὔδωρος Εὐδώρη.

P. 95. B. Καὶ ὁμολογεῖν διδάσκαλοί τε εἶναι, ἢ διδακτὸν ἀρετήν. Et vis sententiae et praegressa particula nos iubent corrigere, καὶ διδακτὸν ἀρ. κ. τ. λ.

Apollon. Rhod. I, 8. Exposito argumento carminis ita v. 5. pergit poeta: Τοίην γὰρ Πελίης φάτιν ἔκλυεν, ὥς μιν ὀπίσσω Μοῖρα μένει στυγερή, τοῦδ' ἀνέρος, ὅντιν' ἴδοιτο δημόθεν οἰοπέδιλον, ὑπ' ἐννεσίῃσι δαμῆναι. Δηρὸν δ' οὐ μετέπειτα τεὴν κατὰ βάξιν Ἰήσων — Haec

in postremo versu constans olim lectio fuit, libris etiam scriptis firmata. Sed negant optimi Intpp. videre se, quo pertineat illud τεήν: nam ineptum esse, et hoc vere, putant, si ad Peliam referatur; nec minus importunum, si ad Apollinem, cuius invocatio iam versu quarto desierit. Quare Cuperus Obss. III, 7. coniecit θεήν, (quasi θείην, *divinam*) eamque scripturam reposuit Brunckius. Sic vero pro vocula alicuius potestatis accepimus nihili commentum, inscite fictum ex comparativo θεώτερος, qui formatur a nomine θεός; quod pro adiect. θεῖος usurpatum est nemini. Itaque recte Brunckii error notatur Ruhnkenio Epist. crit. p. 193., qui ipse legendum censet τοίην, correpta syllaba priore; quam ad rem Toupii Emendd. in Suid. P. III. p. 66. (p. 566. ed. Lips.) laudat, ubi vocem τοῖος cum similibus prima nunc brevi, nunc longa, efferri docemur. Atque hoc sane certissimum est, tum in poetis Atticis, tum in iis posterioris aevi, qui licentias iambici generis in epicos versus invexerunt, quales in primis multi sunt in Anthologia. Ex hoc autem numero eximendus est Apollonius, egregius, si quis alius, faciendorum versuum artifex, et ab Homerico exemplo, uti tunc emendatum ferebatur, haud temere recedens. Iam apud Homerum quidem, quamvis in centenis versibus nusquam nec τοῖος, nec ποῖος, nec τοιοῦτος, nec aliud cognatum quicquam reperiatur prima correpta, οἷος tamen quater ita legitur, bis in Il. ν. 275. σ. 105. bis in Odyss. η, 312. υ, 89. Quibus locis utendum putaverit, qui Ruhnkenii opinionem tueri velit. Quod fieri si posset, nobis maxime cupientibus fieret, qui hunc Criticum in summo ingenio prope ἄπταιστον ubique cognovimus. Sed alius generis est vocula οἷος, quae significatione sua vicem encliticae subit, alius contra demonstrativa τοῖος.

Adde, quod, quum hac saepissime utatur Apollonius, in ea ne semel quidem quantitatem legitimam negligit, neque id adeo in altera οἷος facit, ullo loco. Quae res quantum habeat momenti, nemo illo viro intelligit rectius.

Quocirca, ne illud attingam, quam invenusta sit eiusdem verbi in tam paucis versibus repetitio, ad antiquam lectionem et interpretationem revertamur eam, quam nulli eruditorum ante Cuperum displicuisse putamus, et quae fortasse hodie quoque latuisset neminem, nisi primi quatuor versus pro invocatione a reliquis seiuncti essent. Verum, ut paullo altius repetamus, negamus etiam, esse h. l. *poeticam invocationem*, non modo iustam, quali ad priscorum Epicorum normam in eodem argumento personatus Orpheus usus est, sed *ne ullam quidem* simpliciter. Primum enim, quid est, quod v. 22. tandem Musas sibi ὑποφήτορας ἀοιδῆς exoptat? Ita, opinor, non potuisset facere, si initio Musarum praesidem vel perfunctorie invocasset. Immo non invocat eum, nec tanquam Μουσαγέτην appellat; nihil plane aliud nisi *ab Apolline se Argonautarum canendorum exordium ducere* praefatur. Ἀρχόμενος ἐκ σέο Φοῖβε i. e. ἀρχόμενος ἐκ Φοίβου. Nimirum quod eum alloquitur velut praesentem, nota figura est cum vi quadam *narrantium*, non *poetica invocatio*. Talem si ponere voluisset Apollonius, gravius id profecto fecisset auctor Batrachomyomachiae, quum Ἀρχόμενος Μουσῶν ἱερὸν χορὸν ἐξ Ἑλικῶνος ἐλθεῖν εἰς ἐὸν ἦτορ ἐπεύχεται; gravius ipse Ovidius, etsi is in prolixo carmine Metamorphoseon invocationem expositioni intexens, parum religiose praestitit reverentiam, ut id ἀφοσιώσεως ἕνεκα fecisse videatur; non immerito, siquidem omnis haec cerimonia iam dudum in vanum morem abierat. Sed haec omnia si cui forte minus

persuadeant quod volumus, compareat denique simillimam rationem suppares Dionysii Periegetae, poema geographicum, tenuem et pedestri sermone digniorem materiam sic ordientis: Ἀρχόμενος γαῖάν τε καὶ εὐρέα πόντον ἀείδειν, Καὶ ποταμοὺς πόλιάς τε καὶ ἀνδρῶν ἄκριτα φῦλα, Μνήσομαι Ὠκεανοῖο βαθυῤῥόου — Num his verbis invocat Oceanum, cui tamen nullus poeta unquam quicquam se debuisse narravit? an orditur potius a levi honore dei terram cingentis et fluviorum omnium patris? Ἐν γὰρ ἐκείνῳ, inquit, Πᾶσα χθὼν, ἅτε νῆσος ἀπείριτος, ἐστεφάνωται — tum doctrinam ipsam ingreditur. Idem facit Argonautarum poeta in Phoebo memorando, oraculi causa, quod ab illo editum statim affert, quippe quod praecipuam occasionem expeditionis fuisse constet. Hinc si mox τέχνην κατὰ βάξιν dicit, ad *eundem* redit *deum*, quem antea auctorem omnis rei nominaverat. Qua in conversione si quid frigidi sit, scriptoris ea culpa videri debeat, non nostra: nostra foret culpa, si poetae, interdum frigidiori et minus ingenioso, auferre aliquid laboraremus, quod ipse de industria quaesivit, neque omnino nobis quidem inepta aut importuna videtur haec ratio, quam in mediis carminibus persaepe adhibitam legimus absque offensione.

Sueton. Caesaris initio hodieque dubitant Intpp., an librum integrum habeamus, nec ne. Nobis vero nihil probabilius, et prope certius videtur, quam caput operi truncatum esse, uno aut altero folio avulso, vel per madorem corrupto. Plutarchi quidem, longe aliam rationem sequentis, exemplum ad codd. nostrorum fidem tuendam afferri nullo modo potest; neque videtur Suetonius, si alibi Caesaris prosapiam et primos annos gentisque Iuliae historiam persecutus erat, neglecturus fuisse summam rerum breviter inde excer-

pere, ne in uno Iul. Caesare ab ea via discederet, quam in reliquis instituit omnibus. De verbis *sequentibus Coss.* nihil dicamus: sed appellatio *Divi*, sic praesertim insolenter subiecta nomini, satis aperte alienam manum significat. Denique verba, *flamen Dialis destinatus*, adscripsit haud dubie aliquis illustrando *sacerdotio* in seqq.; atque verba *Iul. Caesar Divus* ante *annum* posita sunt ad factam lacunam in principio utcunque supplendam. Quae verba quum aut diverso modo legantur, aut plane absint a nonnullis codd., etiam uno eorum, quibus nos utimur, iis deletis puncta, notam lacunae, substituenda censemus.

C. 8. vellem adiecisset Ernestius, quae aliae intelligi possent coloniae, quam quas Casaub. indicavit. Neque enim dubium est, quin sermo sit de iisdem Gallis Transpadanis, de quibus Asconius loquitur, qui haud contenti iure Latii (unde *Latinae* vocantur *coloniae*), iam etiam ius suffragiorum et honorum sibi postulabant. Sic et olim Lips. ad Tac. Ann. XI, 23.

C. 9. *extr.* qui dicuntur vulgo *Lambrani*, sane populus est nemini commemoratus. Sed, nisi forte a glossatore adscripta sunt verba, *per — Transpadanos*, unice praeferenda est correctio *Ambronas* s. *Ambrones*. Id nomen commune fuit pluribus populis Celticis, latrocinari passim solitis, qui et aliunde et ex historia Marii innotuerunt. Cf. Strab. VII. p. 183. Plut. Mar. p. 53. ed. noviss. et passim Mannertum in Geogr. Germ.

C. 20. male probatur Lipsii et Torrentii opinio et coniectura in verbis, *quum quid per iocum* etc. Aliter enim loqui debuisset Auctor, si de seria scriptione egisset; importunumque fuisset ita addere *per iocum*: simul ipsa orationis forma vulgatum ordinem verborum tuetur. Intelligi autem possunt plura genera testationum, in quibus iocus talis locum haberet: in seriis

quidem rebus nemo passus esset, scriptum publicae fidei causa signandum eiusmodi ludibriis auctoritatem suam periclitari, quod verissime sensit I. F. Gronov.

C. 22 *pr.* scribendum est — *Gallias* — *cuivis emolumento et opportunitate idoneas et materiâ triumphorum*, ubi vulgo legitur: *Galliam* — *cuius emol. et opport. idonea sit materia* triumphorum. Necesse erat hic ab initio provinciam memorari generatim, ubi ex Latina consuetudine plurali numero unice erat locus, (cf. v. g. cap. 28.) mox deinceps partes provinciae, *Galliam Cisalpinam et Transal.* Ceterum *Gallias* etiam mirus consensus codd. et vett. edd. defendit. Profecto facetum est, firmamentum vulgaris scripturae quaeri in vocabulo *cuius*, quod ipsum corruptum esse, sequentia manifesto ostendunt. Nam, ut alia ommittam, nulla ratio est praesentis *sit*, quoniam id de emolumentis provinciae ex praeterito tempore et mente Caesaris, non ex Scriptoris, dici appareti. Hinc iam sponte fluit emendatio illa. Praeterea nunc quisque de vi totius sententiae aliter statuet, quam factum videbit ab Ernestio, si exquisitam et propriam potestatem vocis *emolumentum* cogitet, de qua post alios monuit Ruhnken. ad Vellei. 2, 78. Quippe ipsi triumphi emolumentorum et successuum in republ. gradus videbantur Caesari futuri esse. Denique usus ablativi *emolumento* pro *in emolum.* hic nullus esset, etsi sic absolute dr. *ludis*, *feriis*, *comitiis;* etiam apud ipsum Cic. ad Att. XIV, 12. *Legem a Dictatore comitiis latam.*

Eod. cap. extremo ita statuendum est, Caesarem, si sana mente fuit, illud de *insultando capitibus* non potuisse in istam sententiam dicere, quae tam promptum convicium in ipsius mores ciere deberet. Cf. c. 49. Nimirum ferociam minatur victoris, prostratum

et

et iacentem hostem pedibus conculcantis. Vid. Serv. ad Virg. Aen. IX, 643. At vero ambiguitate quadam verbi non satis cavit, ne acerbum dictum ad obcenitatem torqueretur; id quod commemoratio mollitiei in voce *feminae* satis declarat.

III.

Obss. ad Cicer. Epp. ad Fam. maiorem partem criticarum spec. II. Ad orat. lat. in schola Thomana pridie Kal. Ian. a. C. CIƆIƆCCCII. audiendam invitat *Frid. Guil. Ehrenfr. Rostius*. Lips. XV. pp. in 4.

I, 9. *qui cum illa sentirent in republ., quae ego agebam, semperque sensissent.* Legendum V. D. putat *sensissem*, coniectura ab hoc omni loco aliena. Coniunctivo nullus hic locus est, praecedente *agebam*.

II, 10. male defendit *operibus*, referendum existimans ad priora, *aggeribus*, *vineis*, *turribus*, quemadmodum *tanto negotio* verbis *quintum vicesimum iam diem* respondeat. Ne autem generis nomen offendat enumeratis demum speciebus positum, locos affert ex Liv. XXI, 7. *quin opera ac vineae desererentur;* et Quinctil. Inst. Orat. XII, 8. *sed operibus et cuniculis et insidiis et occultis artibus rem gerat.* Verum, utcunque illud sit, *operibus* nullo pacto tolerari posse arbitror. Quid enim? quorsum illud *tantis?* num quae Ciceroni gloria ex operum *magnitudine* nasci poterat? Minime vero. Tenendum est *tantis opibus*, i. e. tanta contentione,

quod et codd. omnium et nonnullarum editionum fide nititur.

VI, 1. in fine: *Sed quia nemo est tam afflictus — esse debitum.* Benedictus e variis variorum codd. lectionibus hunc verborum contextum fecit: *Sed — studeat, nisi id quod egit, possit novare aliquid et reficere: omne — debitum;* eorumque verborum sensum esse dicit: „Quia nunc nemo, si vel maxime afflictus sit et doleat de reip. oppressae calamitate, tamen dolore suo quidquam proficere, mederi reip. malis, et pristinam eius formam instaurare possit, quando nihil aliud, nisi quod iam frustra et malo eventu suscepit, moliri conabitur; omne nunc consilium studiumque meum saltem rerum privatarum curae impendam, idque tuae inprimis gentisque tuae saluti dicabo." Merito haec displicent Rostio, tum quod particula *tam* non potest significare vel *maxime*, tum quod sic satis ieiune locutus esset Cicero, tum denique propter parum subtilem verborum cohaerentiam: quia una via ad conservandam remp. nihil profecimus, tuae privatae rei consulemus. Sequi potius debebat, aliam viam ingrediemur. Vulgatam recte explicat auctor sic; „etsi intelligo, me hoc tempore parum posse, pro amicis tamen, quia nemo est tam afflictus, qui, cum omissis reliquis curis uni rei maximum impendat studium, non possit aliquid efficere, omni meo consilio, opera et studio enitar, ut tibi tuisque liberis profuisse reperiar." Similiter IV, 14. *de mea autem voluntate — praesto futurum;* et VI, 22. *Ego, quid possim, nescio — fuisse.*

VI, 5. *Quare ad eam spem, quam extra ordinem* ect. Hunc locum valde corruptum arbitratur, primum quidem ob repugnantiam, quae in sqq. *haec ornam. — communia* deprehenditur, deinde quod *tua praecipue* potius ad *dignit. et virtutem*, quam ad *ornamenta*, vo-

cabulum in parenthesi positum, referri debeant, denique quod *summa virtus* non possit in eodem viro laudari, in quo iam *virtus* laudata sit. Emendationem auctor nullam attulit, nisi quod legendum iudicat *sed virtutem tuam.* Quodsi mihi, quid sentiam, dicere liceat, putaverim aut omitti debere cum libris vett. et MSS. *extra ordinem*, aut legi cum cod. quodam *ex ordine*, i. e. aeque ac de ceteris. In sqq. *et* mutari velim in *sed*, ac pro *virtutem* requiri videtur, quod Gronovius substituit, *eruditionem.* Quamquam haec scripsi admodum dubitanter.

VI, 7. tuetur vulg. lectionem *mendum scripturae* contra Benedictum et Weiskium, qui posuerunt *emendandum scr.*, repugnante usu dicendi.

VII, 8. consentit cum Manutio, *potius* ad superiora referente, ut suppleri debeat fere tale quid: *quam ut pro consuetudine agerent.* Nollem addidisset auctor: „si vero emendatione opus fuerit, malim pro *continuo* ponere *omnino. Sie antworteten lieber gar nicht.*" Id esse debebat *omnino non*, nam *non omnino* significat: *non quovis respectu.*

VI, 12. probatur lectio: *quod si mihi per me efficiendum fuisset*, perperam, opinor, quia *per* non potest esse, *in mea caussa.* Quare equidem praeoptaverim *pro me.*

VIII, 3. coniecit: *inde Hirrum cuncti iam non faciendum flagitare*, idque iam habet I. F. Gronov. ab auctore non commemoratus.

VIII, 13. Codd. quorundam lectionem a Benedicto receptam: *quemadmodum hoc Pompeius laturus iste? cum cognoscam quidnam reip. fnturus sit: si aut non curet* etc. ideo improbat V. D., quod verba illa: *futurus sit*, ad Caesarem, haec autem: non *curet*, ad Pompeium referantur.[1] Nec satisfecit Weiskius, cui eiicienti verba

aut non possit, tanquam interposita, ἀποσιώπησις locum habere videtur. Prioris enim membri omissionem non nisi in poetis se invenisse ait, e. g. Ouid. Heroid. XIII, 164. *Sive (quod haud timeo) sive superstes eris.* Quam Rostius proposuit ipse correctionem, *aut quidnam reip. futurum sit, si non curet*, eam suaserat iam Pantagathus, cuius non debebat mentio intermitti.

IX, 19. tenendum censet: *recta enim porta domum meam venisse*, utpote lectionem ceteris difficiliorem. Sic IX, 7. *vincere autem hos, aut illos, necesse esse*, ubi repetendum e prioribus *vide*.

XIII, 10. *Sed tamen caussa communis* etc. Nihil mutari vult auctor, sed communem dicit Varroni caussam fuisse cum ordine a Tullio valde dilecto; non ita quidem, ut amaret illum ordinem, quod per se intelligebatur, neque omnino opus erat ad iungendam cum eo societatem, quam ex lucri studio petiisse poterat.

XV, 4. *compulsi* explicatur sic, ut idem sit quod *congregati*, sc. *in unum*.

Ibid. in ead. ep. *Idem post iniuriam acceptam — meam non modo non calamitatem etc.* Disceditur ab Ernestii sententia, ante *meam* interponentis *ego* ob vocc. *quam tu*. Ciceronem enim, nusquam de exsilio suo gloriatum, multo minus hoc loco id facere potuisse, ubi caussas exponat, cur laudis nunc studiosior sit, quam olim. Pertinere potius illa verba ad Catonis de ea re iudicium.

XV, 5. scriptum fuisse existimat: FORIS SPQR INDUSTRIA; sequens autem *administrari* accepit pro *curari, laudari, ornari.* Quodnam, obsecro, istud arbitrium est, novas comminisci et inauditas verborum significationes? praesertim nostro in loco, quem Graevius ab omni parte expeditum dedit. Quippe is sequitur vulgatum *administrare*, quod pluribus exemplis

ostendit saepenumero poni absolute, ita ut subintelligatur rem aut id, quod administratur.

IV.

Prolusio de Erote Socratis in Symposio Platonis Examini in Lyceo Gubenensi d. V. Nov. cIɔIɔcccI. habendo praemissa a M. *Henr. Lud. Hartmanno* Conrect. Gubenae ex officina Brükneriana. 4. pp. 16.

Inde a p. 4—10. auctor Socratis orationis capp. XXI—XXIX. comprehensae sententias primarias excerpsit; ex quibus luculentissime apparere iudicat, Socratis de Amore sententiam esse hanc: „Amor est cupiditas omnia ea possidendi, quae vel externa forma, vel internis virtutibus commendantur, et vel ad oblectationem vel ad felicitatem faciunt, et quum demum ex iis rebus, ad quas refertur, pretium eius appareat, per se nec pulcher nec turpis dici potest. Natura amoris est ea, ut id, quod sectatur, summa contentione consequi studeat, vtque fervor eius tum demum exstinguatur, quum, quod quaesierat, consecutus est, mox autem denuo accendatur, quum alia res amore digna offertur. Porro amor suam vim ita exserit, vt certa quadam aetate vel corpore vel animo, quod immortalitatem pariat, producere et edere studeamus. Non vituperandus, sed tamen minus nobilis et minus purus est amor, qui ad corpus pertinet, et sapientiae virtutique promovendae

studet. Qui iam mature pulchrum sectatur, et ita versatur, vt amorem ab initio in vnam aliquam rem vel personam pulchram convertat, et deinde sensim sensimque ad plures transferat, is, comparatione instituta, ad hanc persuasionem necessario pervenit, animi virtutes corporis pulcritudini praeferendas esse, et veram ipsius pulcritudinis naturam facile perspicit."

Ex his facile licet perspicere, amorem a Socrate latissimo sensu spectari, et omnino de cupiditate vsurpari, qua homines ad omnia ea, quae virtutibus quibusdam excellant, feruntur. Deinde apparet etiam, Socratem omnes notas, quibus Amorem, daemonem, insignivit, ab amore, animi affectione mutuatum esse, atque adeo Amori omnia ea tribuisse, quae proprie tantum in animi affectionem eiusdem nominis cadant. Patet hoc ex omnibus iis locis, vbi Ἐρως ad aliud quid, v. c. ad pulchrum ac bonum, ad sapientiam, virtutem, felicitatem et similia referri dicitur: etiam ex iis, vbi ἔρως cum vocabulis *voluntatem* et *cupiditatem* indicantibus (ut c. 24, 5. 8.) coniungitur, ita ut significatu non differant: denique etiam ex iis, vbi ἔρως *mori* ac *reviviscere* dicitur, quae verba intelligenda sunt de cupiditate evanescente et redeunte.

P. 13. auctor mythum de natalibus Amoris, qui suae sententiae aduersari videatur, cum eadem ita conciliat, vt contendat, non esse verisimile, vberiorem amoris descriptionem mytho illi originem debere, ex quo ea quidem, quibus Socrates docet, quis et qualis Amor sit, elici possint; non possit vltima de operibus Amoris pars: contra quam maxime probabile esse, Socratem mythum illum omni suae de amore sententiae accommodavisse, idque et ingenio Socratis, non tam voluptatis, quam vtilitatis causa verba facientis, dignum esse, et a rei natura postulari, quum nemo mytho

de aliqua re fingendo prius operam dare possit, quam certam de ea sententiam mente coneperit.

Ceterum in omni Socratis oratione omnium gravissima ea auctori videtur esse pars, quae de ἔργοις ἔρωτος (a cap. 25.) exponit, quum ita Socrates in ea de amore agere fingatur, vt suum ipsius amorem depingere, atque, quo se rerum pulcrarum amor ducat, et quasi amore adolescentes prosequatur, significare videatur.

Restat, vt paucis moneatur de eo, quod auctor tetigit p. 5. not. 9. Nimirum, quum Diotimae ingenium celebretur doctrinis fuisse expolitissimum, quaeri potest, quomodo istam sibi elegantiam comparare potuerit, quum constet, graecarum feminarum institutionem sat angustis limitibus fuisse circumscriptam. Hanc ob causam Hartmannus eam auctore Proclo in Com. in Polit. Plat. p. 420. ed. Basil. 1534. Pythagoreis feminis annumerat, quae haud dubie liberaliori educatione et institutione vsae fuerint. Vberius haec tractavit Fr. Schlegelius in libro: Die Griechen und Römer. Historische und kritische Versuche über das klassische Alterthum. Erst. Band. Neustrelitz 1797.

V.

Frid. Guil. Sturzii symbolae ad defensionem Henr. Stephani ab emendandi libidinis crimine, quod Zeunius ei obiecit. Adiectae sunt aliae nonnullae ad Xenophontis locos aliquos obseruationes.

Quamuis *Fischerus* maxime (in defensione locorum quorundam Platonicorum ab emendandi libidine Henr. Stephani aliorumque, quam constat additam esse editioni quatuor primorum Platonis dialogorum) et *Zeunius* (in notis ad Xenophontis opera passim) *Henricum Stephanum* saepissime, nec raro cum acerbitate quadam animi, egregie exagitauerint, et coniecturas, quibus diuinum eius ingenium sanare locos veterum scriptorum laborantes conabatur, tanquam superfluas et inanes et temerarias damnauerint, impietatisque in veterum sancta monumenta eundem accusauerint: tamen ego, cum persuasum mihi haberem, typographo illi eruditissimo nos plurima et maxima debere beneficia, cumque intellexissem, non semper iustam videri posse duram istam virorum doctorum de eo sententiam, paucis quibusdam exemplis e *Xenophontis* operibus collectis ostendere constitui, Stephano iniuriam fecisse Zeunium, quanquam hunc alias illi temere obsecutum esse facile est obseruatu. In libello de rep. Lacedaem. 3, 5. vbi pro lectione ἐμφυῶσαι, quae extat in Iuntina, Aldina, Basileensi anni 1545. aliisque antiquis editio-

nibus, Zeunius cum Stephaniana secunda et Leunclauiana tertia e *Stobaeo* recepit ἐμφῦσαι, narrat nobis Zeunius, Stephanum pro ἐμφυῶσαι rescribere maluisse ἐμφυσιῶσαι. quo nihil est iniustius. Stephanus enim diserte adnotauit haec: „Scribere malim ἐμφῦσαι cum „Stobaeo, quam ἐμφυῶσαι aut ἐμφυσιῶσαι.“ Fortassis iniustitia illa nata ex eo fuerit, quod in margine editionis Stephanianae, vt Leunclauianae, positae sunt lectiones ἐμφυῶσαι et ἐμφυσιῶσαι, quas Zeunius pro Stephani coniecturis male habuerit. At poterat ille ac debebat scire, in marginibus istarum editionum saepe breuiter commemorari lectiones in codicibus MSS. vel in antiquioribus editionibus repertas. Et sane ἐμφυσιῶσαι scribitur in codice MS. bibliothecae senatoriae Lipsiensis, quem Stephano antiquiorem esse ostendi in praefatione lexici Xenophontei volumini primo a me praemissa p. 14. Quidni igitur in talem codicem etiam Stephanus inciderit? Multo iustius reprehendi possit Zeunius ipse, qui actiuum ἐμφῦσαι h. l. et Memm. 1, 4, 6. passiue accipi iusserit, cum tamen id vetet linguae natura, quippe quae, vbi passiuo opus est, flagitat formam ἐμφῦναι.

De re equestri 3, 2. Stephanus edidit ἐξαιροῖτο (ὁ χαλινὸς) pro ἐξαίροιτο, quod ante ipsius tempora legebatur, et quod Zeunius recepit, male a Stephano ἐξαιροῖτο editum fuisse, affirmans, et in rem suam laudans 6, 7. Ego vero iterum Stephanum rectius versatum esse contendo. Nam ἐξαίρειν significat *attollere*, *in altum tollere*, non *auferre*, *detrahere*, qua notione sane in loco vexato propter oppositum ἐμβάλλοιτο opus est, et quam Zeunius in indice perperam tribuit suo ἐξαίρειν, cum illa sit verbi ἐξαιρεῖν. Ille autem locus, quem Zeunius laudat, prorsus dissimilis est. Nam 6, 7. legitur: τὴν δὲ κορυφαίαν τῇ δεξιᾷ αἰρέτω, h. e. *attollat*,

vt recte vertit *Camerarius.* Neque verbum αἴρειν ibi oppositum est verbo ἐμβάλλειν, sed verba τὴν δὲ — αἰρέτω pertinent ad describendam rationem τοῦ ὀρθῶς ἐμβάλλειν τὸν χαλινόν.

De rep. Laced. 11, 10. dicit Zeunius: „Stephanus „pro ἐπιφαίνηται iubet legi ἐπιφέρηται, quod, tan„quam superuacuum, recte damnat Morus.“ In quo dupliciter fallit lectores. Nam primo Stephanus non ἐπιφαίνηται mutari voluit in ἐπιφέρηται, sed hoc verbum in margine posuit haud dubie ideo, quoniam in codice aliquo MS. inuenerat. Deinde Morus simpliciter haec scripsit: „In marg. Leuncl. et Steph. ἐπιφέ„ρηται, sine necessitate.“ Quis vero propterea dixerit, Morum hoc verbum tanquam superuacuum damnasse?

Verum quo saepius Zeunius reuocare solet lectiones editionum Stephano antiquiorum, in quo eum non raro optime versatum esse nemo facile negauerit, eo magis mirandum est, eum nonnunquam sine vlla idonea causa Stephano obsecutum esse. Cuius generis vel vnum exemplum nunc quidem sufficere puto. Scilicet de venat. 6, 15. vbi canes in editionibus Stephano prioribus dicuntur ἐξίλλουσαι τὰ ἴχνη, Stephano ita obtemperauit, vt lectionem *Budaei* et *Brodaei* reciperet: ἐξειλοῦσαι, cum tamen re vera haec duo verba non nisi forma differre constet: id quod satis demonstrauit *Ruhnkenius* ad *Timaei* lexicon Platon. p. 51. sq. vbi etiam *Hemsterhusii* obseruatio legi potest, qui in vno codice inuenit ἐξιλάνυσαι, pro quo librarius dare debuit ἐξελινῦσαι, in altero ἐξίλλουσαι. Ne vero putes, Zeunium nondum vti potuisse tantorum virorum doctrina, Timaei lexicon Ruhnkenius primum edidit anno 1754. Zeunii autem editio opusculorum Xenophontis politicorum, equestrium et venaticorum pro-

diit anno 1778. et ipse Zeunius ad libellum de rep. Laced. 4, 3. Timaei lexicon laudauit. Lectio ἐξίλλουσαι videtur etiam per ea confirmari, quae in margg. Steph. et Leuncl. extant: ἐξιλλοῦσαι et ἐξιλάουσαι. Nam Λ et Λ facile inter se permutari, quis nescit? *Gailius* V. Cl. e suis codicibus nihil enotauit in libello nuper edito: *Traité de la Chasse de Xénophon*, atque adeo in iis reperisse videtur ἐξειλοῦσαι.

Minus in viro docto, qui toties in alios inuehebatur, ferri potest, quod in indice Opusculor. polit. equestr. et venat. haec posuit: „ἐπιφαίνειν, aduenire praeter opinionem, A. XI, 8.". Videtur enim formas ἐπιφανῇ et ἐπιφανῶσιν, quae ibi leguntur, pro actiuis habuisse, cum reuera sint passiuae, sed pro mediis positae, vt saepius apud Xenophontem aliosque scriptores. Nam statim subiungit: „ἐπιφαίνεσθαι, superuenire, M. VIII, 15." ita ut diserte distinxerit actiuum et medium.

Iam occasione hac oblata locos nonnullos Xenophonteos, in quibus Zeunius aliique interpretes vel nihil omnino, vel nimis pauca ad interpretationem attulerunt, et quos me ipsum in lexico Xenophonteo satis prolixe tractare chartarum angustia vetuit, explicare studebo paulo diligentius. Tales sunt loci, vbi in acie occurrit nomen ἐπιστάτης, quod *Zeunius* in indice supra laudato explicauit: „qui sequitur vel „stat post πρωτοστάτην et in indice Cyropaediae: „qui a tergo stat in acie." Paulo luculentius *Hutchinsonus* in vocabulorum ad rem militarem spectantium explicatione: „qui post πρωτοστάτην statim locum nactus est: adeo vt quilibet ordinis versus, τοῦ λόχου στίχος, ex protostatis et epistatis alterne collocatis compositus sit." Sed optime, opinor, vis nominis cognoscitur ex his *Suidae* verbis: ἐπιστάτης· ὁ

τοῦ λόχου (cum *Kustero* tamen legendum est λοχαγοῦ) ὀπίσω τεταγμένος· ὁ δὲ μετ' αὐτὸν, πρωτοστάτης· ὁ δὲ μετὰ τοῦτον, πάλιν ἐπιστάτης· ὡς εἶναι τὸν ὅλον στίχον ἐκ πρωτοστατῶν καὶ ἐπιστατῶν συγκείμενον. [Ex his enim haec notio videtur enasci: Quando λόχος v. c. milites sedecim continet, hi sedecim omnes stationem habent alter post alterum, ita vt λοχαγὸς stet primo loco, is vero miles, qui post λοχαγὸν collocatus est, ἐπιστάτης nominetur. Qui est post hunc ἐπιστάτην, is vocatur πρωτοστάτης, quem qui sequitur, iterum ἐπιστάτης, et qui hunc ἐπιστάτην excipit, iterum πρωτοστάτης, eumque sequens rursus ἐπιστάτης appellatur, et sic porro. Sed vltimus vocatur οὐραγὸς, quem praecedit πρωτοστάτης septimus. In tali igitur locho fuerunt septem πρωτοστάται, totidemque ἐπιστάται, alternis in altitudine aciei se inuicem excipientes, quanquam etiam οὐραγὸς interdum appellatus fuit, qui alias ἐπιστάτης. Certe *Suidas* superioribus adiecit haec: ἔνιοι δὲ λοχαγὸν μὲν, τὸν πρωτωστάτην λέγουσι· καὶ οὐραγὸν, τὸν ἐπιστάτην· τοὺς ἐν μέσῳ δὲ, οὐχ ὡσαύτως· ἀλλ' ἐπιστάτην μὲν, τὸν μετὰ τὸν πρωτοστάτην, ἤτοι τὸν δεύτερον· τὸν δὲ τρίτον ἀπὸ τοῦ πρωτοστάτου, ὑποστάτην. Sed haec postrema Suidae minus pertinent ad locos Xenophonteos, omninoque ita refingenda videntur: ἔν. δὲ, τὸν λοχαγὸν μὲν, πρωτοστ. λέγουσι· καὶ τὸν οὐρ. ἐπιστάτην· et reliqua pertinere puto ad eiusmodi aciem, vbi pauciores, quam supra dixi, in altitudine collocati fuerunt. Ex hac ratione vel ἐπιστάτης mox esset is, qui sequitur πρωτοστάτην, mox i. q. οὐραγός, vel is, qui alias ἐπιστάτης, vocatus fuisse putandus esset ὁ μετὰ τὸν πρωτοστάτην siue ὁ δεύτερος. Verum nihil haec, inquam, ad Xenophontem. Plura peti possunt ex iis scriptoribus, quos in lexico Xenophonteo commemoraui.

Multo magis interpretatione indigere videbatur locus in libello de vectigalib. 3, 9. sq. ᾧ μὲν γὰρ ἂν δέκα μναῖ εἰσφορὰ μένηται, ὥσπερ ναυτικὸν σχεδὸν ἐπίπεμπτον αὐτῷ γίγνεται τριώβολον τῆς ἡμέρας λαμβάνοντι· ᾧ δέ γ' ἂν πέντε μναῖ, πλεῖον ἢ ἐπίτριτον. οἱ δέ γε πλεῖστοι Ἀθηναίων πλείονα λήψονται κατ' ἐνιαυτὸν, ἢ ὅσα ἂν εἰσενέγκωσιν. οἱ γὰρ μνᾶν προτελέσαντες, ἐγγὺς δυοῖν μναῖν πρόσοδον ἕξουσι. *Zeunius* nihil explicandi causa addidit, nisi quod in indice posuit haec: „ἐπίτριτος, „sesquitertius," Et „ἐπίπεμπτος, sesquiquintus, h. „e. quartus cum dimidio." Quae interpretamenta non in hunc locum cadere, paulo inferius patebit. Scilicet siue quis decem minas contulerit, h. e. 6000 obolos, siue quinque minas, h. e. 3000 obolos, siue vnam minam, h. e. 600 obolos, si quisque nihil nisi ναυτικὸν, h. e. tantum quantum singulis diebus accipit miles classiarius, nimirum tres obolos, in singulos dies sibi pactus fuerit, atque ita diebus 360, quot dies annum Atticum constituunt, obolos 1080: prodit summa minarum pene duarum vsurae loco, np. vna mina cum quatuor partibus alterius minae in quinque partes diuisae (1 $\frac{4}{5}$ minae), siue vna mina et 480 oboli. Qui igitur decem minas contulit, ei pene quinta pars sortis (σχεδὸν ἐπίπεμπτον) prouenit; qui quinque, is recipit tertiam sortis partem cum octoginta obolis (πλεῖον ἢ ἐπίτριτον); qui vnam minam, quales sunt plerique, quippe pauperes, ei redeunt vna mina et 480 oboli, atque adeo plus quam contulerat. Itaque qui decem minas contulit, ei desunt ad quintam sortis partem quotannis oboli 120; qui quinque, ei ad tertiam sortis partem accedunt oboli 80; qui denique vnam minam, ei redundant 480 oboli. Ex his iam satis intelligi arbitror, nomina ἐπίπεμπτος et ἐπίτριτος hoc quidem loco non differre a nominibus πέμπτος et τρίτος, atque

ea perperam a Zeunio explicata fuisse. Cum vero videatur fieri posse, vt quis dubitet, an recte ego anno Attico tribuerim 360 dies, cum *Zeunius* (ad eundem de vectigalibus libellum 4, 23.) statuerit 365: opus est, vt, quae opinionis meae argumenta habeam, paucis declarem. Nimirum etsi *Macrobius* (Saturnal. 1. 12.) Graecos trecentis quinquaginta quatuor diebus annum computasse auctor est, qui est annus lunaris, et quanquam Solon ἠξίωσε Ἀθηναίους τὰς ἡμέρας κατὰ σελήνην (quae sunt verba *Diogenis Laertii* 1, 59.): tamen eius annum non prorsus lunarem, quamuis nec omnino solarem, fuisse, persuaserunt mihi hae rationes. Primo *Herodotus* (1, 32.) Solonem inducit haec Croeso dicentem: ἐς ἑβδομήκοντα ἔτεα οὖρον τῆς ζόης ἀνθρώπῳ προτίθημι. οὗτοι ἐόντες ἐνιαυτοὶ ἑβδομήκοντα, παρέχονται ἡμέρας διηκοσίας, καὶ πεντάκις χιλίας, καὶ διςμυρίας (h. e. anni septuaginta efficiunt dies 25,200.), ἐμβολίμου μηνὸς μὴ γενομένου. His autem diebus 25,200 per septuaginta diuisis, cuique anno contingunt dies 360. neque ratio haberi potest mensium intercalarium, ubi anni simpliciter fit mentio. Cum enim *Solon* (ap. Herodot. l. l.) haec adiecerit: εἰ δέ τις (ita lego pro εἰ δὲ δὴ) ἐθελήσει τοὔτερον τῶν ἐτέων μηνὶ μακρότερον γίνεσθαι, ἵνα δὴ αἱ ὧραι συμβαίνωσι παραγινόμεναι ἐς τὸ δέον, μῆνες μὲν παρὰ τὰ ἑβδομήκοντα ἔτεα οἱ ἐμβόλιμοι γίνονται τριάκοντα πέντε· ἡμέραι δὲ ἐκ τῶν μηνῶν τούτων, χίλιαι πεντήκοντα. τούτων τῶν ἁπασέων ἡμερέων, τῶν ἐς τὰ ἑβδομήκοντα ἔτεα, ἐουσέων πεντήκοντα, καὶ διηκοσίων, καὶ ἑξακισχιλίων, καὶ διςμυρίων (26,250 dies): singuli anni, si pares existere velis, continuerint tamen non 365 dies, sed 375, ita vt per annos 70 residui sint dies fere 683, quoniam ad complendos annos septuaginta solares non nisi $367\frac{1}{2}$ diebus opus erat, non 1050, si quidem cuique anno Attico

vulgari tribuas dies 360. Quapropter vix dubitandum putabam, quin Herodotus in referenda hac altera ratione errauerit. Saltem librariis deberi hunc errorem non credebam, cum ob alias rationes, tum ob locum *Herodoti* 2, 4. vbi rursus narrat, Graecos διὰ τρίτου ἔτεος ἐμβόλιμον ἐπεμβάλλειν. Etiam *Scaliger* (de emendat. tempp. lib. 1. extr. p. 59. sq.) talem annum vocauit *annum commentitium Herodoti*. Certe Atticis eum non in vsu fuisse, pene quouis pignore contenderò, et ipse Solon neque dixisse fingitur, ab Atticis talem intercalationem fieri, neque se eam fieri vellet sed tantum simpliciter dicit: *si quis velit* etc. Vero autem annum Atticum etiam Solonis aetate complexum fuisse dies 360, luculenter demonstrat nobile illud aenigma *Cleobuli Lindii* apud *Diog. Laert.* 1, 91.

εἷς ὁ πατήρ, παῖδες δὲ δυώδεκα· τῶν δὲ ἑκάστῳ
παῖδες τριήκοντα, διάνδιχα εἶδος ἔχουσαι·
αἱ μὲν, λευκαὶ ἔασιν ἰδεῖν· αἱ δ' αὖτε, μέλαιναι·
ἀθάνατοι δέ τε οὖσαι ἀποφθινύθουσιν ἅπασαι.

Vbi cum *Marquardo Gudio* pro τριήκοντα, quam lectionem et metrum et sententia damnat, legendum *Menagius* putat δὶς τριάκοντα, vt intelligantur triginta dies, totidemque noctes, quarum illae recte dici possunt albae, hae nigrae. *Stobaei* tamen lectio: κοῦραι ἑξήκοντα, eundem sensum fundit, atque etiam verior videtur. Cum vero Cleobulus fuerit Solonis non solum aequalis, sed etiam amicus (*v. Diog. Laert.* 1, 93.); qui haud dubie, quae mens Solonis fuerit, optime sciebat: aenigma istud pro genuino certissimoque sententiae a me propositae testimonio habendum esse, quilibet perspicit. Omninoque vel Solon, cum ciues iussit τὰς ἡμέρας κατὰ σελήνην ἄγειν, ipse noluit alium annum, quam 360 dierum, quae tamen ratio minus probabilis videtur ob locum *Hesiodi* ἐργ.

766. vbi iam ante Solonem τριακὰς est *vltimus quisque cuiuslibet mensis dies*, vel efficere non potuit, ut populares eius voluntati obtemperarent. Certum enim est, Cleostratum demum, qui sexaginta fere annis post Solonem floruit, annum lunarem Athenis introduxisse. Sed tamen etiam post illius tempora populus semper vsus est mensibus τριακονθημέροις, etiam post annum lunarem ab Hipparcho magis emendatum, atque adeo semper annum habuit dierum 360. v. *Scaliger* l. l. p. 63. Possem id multis ac perspicuis veterum scriptorum testimoniis confirmare, nisi dudum ab aliis factum esse monere mallem, v. c. a *Scaligero* l. l. p. 23. sq. ab *Henr. Norisio* de anno et epochis Syromacedonum diss. 1. c. 1. p. 3—5. et *Ioh. Iac. Rambachio* in archaeolog. Untersuchungen p. 4.—6. et p. 30. sq.

Postremo lubet etiam aliquid afferre, de quo et ipse incertus eram, et alii librorum veterum editores videntur incerti fuisse. Scilicet, cum tamen receptae sint accentuum notae in libris plerisque, quaeritur, vtrum tertia persona optatiui passiui et medii in praesenti et aoristo secundo verborum e τίθεσθαι compositorum scribenda sit παροξυτόνως siue potius cum circumflexo, an προπαροξυτόνως. *Fischerus* quidem ad *Welleri* Grammat. Graec T, II. p. 469. affert primo exempla formae in εῖτο, vt θεῖτο, προθεῖτο, μεταθεῖντο, προθεῖντο, deinde ex Ionioa ratione προσθέοιτο, ὑποθέοιτο, vnde quis putet, syllabam penultimam, vbi litera ε ex antepenultima eiecta sit, contractione facta circumflectendam esse, sed affert etiam ἔνθοιτο, ἐγκατάθοιτο, πρόσθοιτο, ξυνεπίθοιντο, ἐπίθοιτο, et hoc quidem e Codice Altorfino *Xenoph.* Cyrop. 8, 5, 7. vbi etiam Zeunius ita rescripsit ex edit. Castal. et codicibns Brodaei et Camerarii pro ἐπιθεῖτο. Sed Anabas. 3, 4, 1. idem Zeunius dedit ἐπιθοῖντο,

θοῖντο, nulla ratione addita, quanquam §. 21. Codex Guelph. et editt. vett. exhibent ἐπίθοιντο. Ibidem 4, 2, 9. et 15. omnes legunt ἐπιθοῖντο. Sic 1, 9, 5. plerique habent συνθοῖτο, etiam Zeunius, sed Stephanus, et qui eum secuti sunt, συνθεῖτο. In Cyropaed. 6, 1, 15. omnes ediderunt ὑπεκτίθοιτο, et 8, 2, 2. παρατίθοιτο. Eodem modo Zeunius in *Xenoph.* Oecon. 17, 14. e Cod. Guelph. coniunctiuum dedit καταθῶνται pro κατάθωνται, ut in reliquis scribitur. Videntur igitur Grammatici non recte praecepisse, vel editores et librarii nimis inconstantes fuisse. Nam *Wellerus* v. c. (in Capite de accentu verborum) tempora indefinita et tempora disyllaba, quae priorem habeant longam, dicit seruare accentum simplicis in compositis, reliqua vero compositorum tempora accentum ad antepenultimam referre, nisi ultima fuerit longa. Et auctores Grammaticae Marchicae p. 1062. in verbis compositis aiunt accentum retrahi, vbi verbum simplex non circumflexum sit, sed circumflexum verbi simplicis manere etiam in compositis. Sane conveniunt haec praecepta in multa exempla, v. c. ἐπῆλθον, κατῆλθον, προσῆλθον, συνῆλθον, ἀνθιστῆται, ἀφιστῆται, καθιστῶνται. At non in omnia. *Fischerus* saltem l. l. p. 470. habet ἐπίθωνται, ξύνθωνται, διάθηται, ἐπίθηται, μετάθηται, πρόθηται, cum tamen simplex scribatur θῶνται ac θῆται, et Zeunius demum primus editorum, vt vidimus, praetulit καταθῶνται, cum tamen penultima syllaba sit longa, et simplex disyllabum, et temporis indefiniti. Quae cum ita sint, parum abest, quin vera videatur *Fischeri* sententia, qui optatiui praesentis duplicem formam statuit: τιθέομαι et τίθομαι, sed aoristum secundum ἐθόμην deducit a praesenti θέομαι, ita vt optatiuum praesentis vel παροξυτόνως vel προπαροξυτόνως scribere liceat, sed optatiuus aoristi secundi

semper scribendus sit προπαροξυτόνως, v. c. ἐπίθοιτο, non ἐπιθοῖτο, etc. Si cui tamen hoc displicet, statuat ille, omnem diuersitatem ortam esse a librariorum vel ignorantia vel inconstantia. Omnino velim, vt meliora me doceant viri harum rerum periti.

VI.

De nonnullis scriptorum Xenophontis editionibus disseritur.

Inde ab aliquot annis pluribus nobilissimi Atheni. historici [1]) scriptis emendandis atque explicandis, quam olim, diligentiam suam atque operam impenderunt doctissimi Viri. Ea quae praeterito anno in eo genere fuerint, atque nuper admodum, scripta, et edita, breviter enarrabimus. Neque enim ita nunc licet nobis, in tanta, qui recensendi supersunt, librorum multitudine, descendere in singulas partes illorum, ut de locis nonnullis Xen., eorumque correctionibus dispiciamus. Quam quidem disputationem, quam primum opportunum fuerit, constituimus ingredi.

Quatuor abhinc annis *Beni. Weiskius*, qui iam a. 1794. Memorabilia Xen. in patrium sermonem conversa doctis animadversionibus illustraverat, omnia

---

1) Iudicare de eo coepit nuper *Geo. Frid. Creuzerus*, qui ut a. 1798. vernaculo sermone Herodoti atque Thucydidis instituit comparationem, ita a. 1799. Particulam I. edidit Comm. de Xenophonte historico simulque historiae scribendae ratione, quam inde ab Herod. et Thuc. scriptores Graeci secuti sunt. Lips. 8.

Xen. opera coepit edere, et prodiit nuper quartum volumen, ita inscriptum: *Xenophontis Athen. Scripta in usum lectorum graecis litteris tinctorum commentariis ad rerum et verborum intelligentiam illustrata a Beniamin Weiske*, AA. M. Scholae Port. Conr. *Volumen* IV. *Historiam Graecam et Agesilaum continens.* Lipsiae sumt. Casp. Fritsch. 1801. XXXVI. 475. pp. 8. mai.

Vt consilium editoris spectauit ad eos lectores, qui et litterarum graecarum non imperiti omnino essent, et rerum ipsarum causa Xenophontem legerent: ita, quo illud consilium verissime teneret, praetermissa cum varietatis codd. in singulis locis notatione tum explicatione facilium vocabb. et grammaticarum observationum, de locorum difficiliorum vera lectione et sensu, de exquisito verborum usu, de rerum narratarum indole et veritate, de temporis rationibus computandis, de artificio et elegantia scriptionis potissimum admonuit, inque his eum servavit modum prudenter, eam brevitatem sectatus est, ut haec editio non nimiam excresceret in voluminum molem. Ad lectorum studia iuvanda plurimum prosunt et summaria sectionibus praemissa, quibus illarum argumenta continentur, et disputationes uberiores de libris praefixae. Ita T. I. propositae sunt duae disputatt., altera de ingenio Xenoph., altera de natura et usu disciplinae Cyri. In recentissimo quod nunciavimus volumine post praef. p. XI. ss. leguntur *Quaestiones ad Xenoph. historiam graecam praecognoscendae.* Primum ostenditur, nihil ab initio huic historiae deesse; etenim Xenoph. continuasse Thucyd. historiam, quacum suam arctissime nexam esse voluerit, et, si non, ut ille, bellum Peloponn. solum est complexus, sed longius evagatus, peccatum hoc est ipsius scriptoris. Deinde de chrono-

logia operis disputatur. In qua re maluit Dodwelli Annales, quam Mori commentationem, sequi, etsi etiam Dodw. nonnulla reliquit non satis expedita, omninoque de a. 3. et 4. Ol. XLVIII. nihil monuit, ita ut incertum sit, an putauerit in historia Xen. esse insignem lacunam, a qua suspicione se non plane abhorrere W. profitetur. Tum de iis, quae huic historiae propria sunt, copiose agit. Nam iustam eam esse et auctoris studio prorsus elaboratam historiam censet, non commentarios, etsi loca quaedam iusto breuiora et obscura insunt. Et quamquam actiones multas leviores, pugnas item et velitationes curiosius et diligentius, quam opus erat, persequitur: tamen eum monet in historia Graecorum, i. e. in diversis multorum populorum rebus enarrandis atque in earum rerum delectu eos usus spectasse, qui pro earundem rerum natura et conditione inde sperari possunt, ut reip. administrandae, belli gerendi, vitae honeste et prudenter agendae praecepta inde peterentur. Creuzeri iudicia nonnulla in Xen. iniquiora impugnantur. De fide etiam Xen. sententia dicta est. Non negatur, eum Lacedaemoniorum nimis studiosum, minus amicum Argivis, esse, ceterum plurima aequitatis et veritatis dedisse documenta. Tandem quaeritur, cur Hellen. libri a ratione, quam in Cyripaedia et Anabasi secutus est Xen., adeo diuersi, et tam parum sui similes, in aliis locis sicci et obscuri, in aliis modice copiosi, neque lectu iniucundi, reperiantur. Coniecerunt nonnulli, Xenophontem iis non ultimam admouisse manum. Weiskio Xenophon videtur ex illis esse scriptoribus, qui celeriter egregios ingenii fetus gignunt, neque ad eos plane formandos novam et diligentem adhibent curam. Itaque vitiorum partem aliquam affectae autoris aetati, maiorem librariorum culpae tribuit atque temporum iniu-

tiae. Nam alia integra loca exciderunt, alia in angustum contracta sunt, alia transposita, alia corrupta; cuius generis loca plura indicat W., de quibus subtilius ageremus, si descendere altius in eam disputationem liceret. Neque vero sperandum est fore, ut libri scripti his vitiis medelam parent. Nam pauci innotuerunt, et quamvis e Beioti Comm. de Eparitis quinque Parisini laudentur, tamen et recentiores plerique sunt, et manasse e communi fonte videntur. Editor a Villoisone V. C. nuper accepit Xenoph. editionem Iuntinam variis lectt. in margine scriptis, sed ab ignoto homine, ornatam, et Henr. Valesii notas inedd. in Xenoph. opera; quas copias liberalitas viri doctiss. non invidebit philologis. Sectionibus Xen. Hist. praefixit Olympp. annos cum summariis uberioribus; aliorum iudiciis et observationibus ita usus est, ut ab iis non raro discederet, ut in Exc. ad II, 3, 31. ubi de cognomine Theramenis, ὁ Κόθορνος eiusque ratione a X. reddita agitur. In Agesilao explicando etiam maius se studium, quam in historia graeca, posuisse ipse ostendit. Praemissa ei est p. 405. ss. defensio libelli, quem a Valken. impugnatum esse constat, et a C. G. Kühnio nostro iam 23. abhinc annis propugnatum. Confutatis, certe labefactatis, Valkenarii rationibus, ipse aliis argumentis docet, libellum esse Xenophonteum, maxime quod sententiae et oratio cum Xenoph. conveniant, neque male aut frigide sit encomium Agesilai scriptum; quam in rem diligenter persecutus est singulas eius partes. Si quae tamen manent dubitationes, ut manere nobis visae sunt, eae partim ex vitiis libelli, quae non dissimulavit ingenuus editor, partim ex studio impostorum antiquiorum, sui ingenii commenta quam simillima iis reddendi quorum nomina mentiuntur, existunt.

Lexicon Xenophonteum. Volumen primum. Lipsiae in libr. Gleditschia. cIↄIↄCCXCI. 791. pp. 8. mai.

Qui Vuelsianae edit. repetitionem Lipsiensem a. 1763 curauerat, *Car. Aug. Thiemius*, postea Scholae Thom. Conrector, mortuus d. 25. Oct. 1795., iam dudum promiserat uberrimum Indicem Xenophonteum. Cum aetate iam prouectus esset, quae elaborauerat, commisit *Frid. Guil. Sturzio* V. Cl. disciplinae suae alumno doctissimo. Ea autem non nisi usque ad voc. γίγγλυμος composita erant atque ordinata. Successit igitur eius labori Sturzius, et iam huius volum., quod in voc. Δῶρον desinit, perfecit partem. Et quanta copia sit et ubertas huius indicis, vel ex eo colligi potest, quod non nisi quatuor litteras hoc volumen complexum est. Scilicet non modo singula vocabb. et loca diligenter sunt notata, significatus verborum apte dispositi, sententiae locorum explicatae, sed etiam lectiones variae in plerisque locis notatae et iudicatae, grammaticorum vett. obseruationes in usum adhibitae, laudati viri docti, qui vocabb. quaedam et dicendi formulas illustrauerint, exposita et geographica et historica, excerpta quae a commentariorum auctoribus et interpretibus erant disputata. Thiemius enim constituerat primum peculiari volumine comprehendere quae ad rem criticam Xen. facerent, postea autem ea indici inserere maluit. Quamquam autem St. intellexerat, nonnulla in angustius posse redigi, tamen religioni habuit, ab exemplo et praecepto magistri recedere, qui suum ei apparatum iam a. 1786. concesserat. Itaque lectoribus consultum est, qui, nullo aut non sufficiente ipsis praesidio adiuti, ipsi legere recte Xen. scripta volunt. Etiam coniecturae VV. DD. quae in aliis opp. leguntur, allatae sunt (v. V. Διαίρειν). Lectiones a solis Grammaticis memoratae non omittuntur, ut γηρεὶς, etsi in Ety-

mol. M. Ξενοφάνης pro Xenophonte restituendus videtur. Nec omissa sunt, quae de rebus ap. Xen. recentius disputata leguntur, ut de daemonio Socratis p. 617. Alia ex antiquitate diligentius illustrantur, ut δόλιχος. Forsitan locis non integris exscribendis (ut in δόξα) ut magis parceretur chartis, optandum erat. Caeterum praemisit St. varietatem lectionis et e cod. Lipsiensi, et e Gailii codd. ad nonnullos Xen. libros, atque paginarum in praecipuis edd. comparationem.

Non facere potuimus quin per hanc occasionem, quae nuper Gailius de locis nonn. huius Lexici parum probabiliter disputauit, cum lectoribus nostris communicaremus.

Observations de *I. B. Gail* sur le Lexicon Xenophonteum de M. Sturz, Mag. encyclop. par Millin, T. IV. 7me An. n. 13. an. 10. p. 33—41.

Lectiones varias quas ex Gailii notis repetiit St., ipse monet non plenas esse, seque ostendit iterum contulisse codices, unde petitae sunt, omninoque suscepisse laborem immensum comparandi omnes codd. Pariss. Xenoph., certe in locis difficilioribus, atque in Hist. graeca invenisse plurimas egregias lectiones. Eo labore plurimum proderit communibus litteris Vir doctus, qui etiam humanitatem et modestiam in suis opinionibus proferendis, aliorum meritis laudandis, hac quidem commentatione probauit.

Agitur de duobus locis Hist. Gr. Xenoph. Alter est VII, 5, 12. ubi monet Sturzium, διαβὰς nec *iter factum* nec *per loca difficilia* indicare, imo sensum esse (coll. n. 10.): dum Agesilaus urbem tuebatur, Archidamum *traiecisse* Eurotam, quod impeditum difficultatibus videbatur (propter frigus et rapiditatem cursus aquarum niuibus auctarum): διαβαίνειν esse traverser à gué, et διαβατήρια sacrifices pour un heureux *traiet à gué*, quod

talis traiectio fuerit semper periculosa. Similiter etiam Thebani Epaminonda duce Eurotam traiecerant, pontibus non usi, quod ex Plut. Ages. docetur, e quo etiam signif. v. διαβαινειν confirmatur. Ex eodem et aliis scriptt. etiam patet, Epaminondam non intrasse Spartam, quod Polyb. IX. p. 547. affirmat. Discrepant autem Plutarchus et Xenophon; ille Epaminondam, hic Archidamum narrauit Eurotam traiecisse; unde concludi posse, ipse G. vidit, διαβὰς ap. Xenoph. non valere, quod censuit. Itaque usum v. διαβαίνειν confirmat ipsius Xen. loco Hist. Gr. IV, 6, 2. ed. Mori, ubi διέβη Morus explicat: ex Peloponneso in Graeciam propriam transiit; sed ita graece dici διαβ. (e loco in alium transire) negat G. et reddit *trajicere* Acheloum. Nam fluvium non esse nominatum, quod Graecis notissimus esset. Omnino plura loca emendari et explicari rectius ope tabulae geogr. posse monet. Sic Hist. Gr. IV, 1, (imo 4.) 19. ubi κατὰ Τεγέαν vitiosum est, scribit κατὰ Τενέαν, quod erat Corinthiae terrae opidum. Vtrumque nomen iam apud vett. interdum confusum est. v. Strab. VIII. p. 262.

Alter locus (p. 37. ss. tractatus) est VII, 2, 2. διαβαίνειν εἰς Πρασιάς. Quamquam enim in illo itinere non fluvius traiiciendus erat, tamen per aquas fuisse eundum contendit G. Nam Phliunte Prasias iter facientibus aut sinus Argolicus erat traiiciendus, (Thucyd. II, 56.) aut, quod breuius et tutius fuit, ne iter innotesceret Argiuis et Arcadibus, Spartae et Phliuntis hostibus, montes qui Arcadiam ab Argolide separant transscendendi. Vtrauis via erat per aquas iter faciendum. Nam maritima urbs Prasiae dicuntur, Thuc. II, 56. Steph. Byz. Ptol. III, 6. etc. Secundam viam iniisse Phliasios ex ipso Xen. G. colligit. Nam cum exercitus, qui Spartanis succurrebat., ex populis diversis et

partim remotis constaret, eos Phliunte coniungi oportebat, inde iter suum occultare in montanis regionibus, de quibus dictum est. Probabiliter Lernae fl. traiiciendus fuit. Ad eum fluuium, distinctum a cognomine lacu, Strabo sitam esse Phliuntem dicit, et Argiuis adtribuit, quam tamen Thuc. maritimam facit Lacedd. urbem. Scilicet nunc ab Argiuis, nunc a Lacedd. occupata est, et propius admouenda finibus Argolidis atque Lernae, quam in nostris tabb. geogrr. fit.

Cum ea, quae ex hac disputatione excerpta proposuimus, communicassemus cum Sturzio V. Cl.: hanc nobis misit epistolam, quam integram inseruimus:

C. D. Beckio, Viro Amicissimo, S. P. D.
Frid. Guil. Sturzius.

Cum te sciam et gratus recorder semper mihi rebusque meis maxime cupiuisse, cumque huius epistolae argumentum simul pertineat ad bonas literas, quibus vterque operam dare nunquam desinimus, cum denique apparere inde cuilibet possit, quantis laboribus opus fuerit ad lexicon Xenoph. construendum, et quam pauculis verbis vsus sim, vbi poteram plurimas paginas complere: cuius generis specimen etiam nuper me tibi misisse memineris: vix dubitabam, quin tu non solum amice, vt soles, lecturus esses hanc meam epistolam, verum etiam Commentariis philol. inserere haud dedignaturus. Nimirum *Gailius* V. D. in Observationibus ad lexici Xenoph. quod edere coepi, Vol. I. quas nosti in *Millini* Mag. encyclop. legi, putauit, me parum recte versatum esse in explicando verbo διαβαίνειν, duobus maxime in locis. Et potest sane in tanta locorum, qui tractandi fuerunt, copia saepius id mihi accidisse. Num vero de isto verbo et de istis locis recte sic statuisset *Gailius*, equidem dubitabam. En igitur meas

dubitandi rationes. Tu primus mihi iudex eris, sed deinde etiam omnes, qui et *Gailii* animadversiones et meam responsionem legerint.

Cur ego *Hist. Gr.* 7, 5, 12. διαβὰς non verterim: *traiecto Eurota*, sed simpliciter: *facto itinere per loca impedita*, primo hanc causam habui, quod fluuius non esset commemoratus. Non vero hanc solam mihi causam fuisse, vel ex eo patet, quod illum ipsum locum *hist. Gr.* 4, 6, 2. quem V. D. attulit, vt ostenderet, διαβαίνειν etiam simpliciter positum significare *traiicere fluuium pedibus eundo s. vadando*, posui in iis locis, in quibus verti posse dixi *nauigare*, *nauibus traiicere*. Altera igitur, et multo quidem potior, caussa fuit ipsa historia, qua non minus quam geographia vtendum ei esse, qui rite versari in explicandis scriptorum veterum libris velit, *Gailius* ipse negare nullo modo, opinor, audebit. Scilicet *Xenophon* c. 4. §. 24. Archidamum narrat bellum in Arcadia contra Arcadas gessisse, et in proelio quodam vicisse quidem, sed adeo vulneratum fuisse, vt Lacedaemonii sub eius imperio militantes, vbi illud vidissent, animis conciderint. Deinde §. 25. refert, inducias factas esse, et Lacedaemonios sublatis interfectorum cadaueribus discessisse. Inde ab illo praelio nullam Archidami mentionem facit, donec 7, 5, 12. eum narrat cum manu centum virorum aduersus Epaminondam profectum esse. Iam cum tantus fuerit Lacedaemoniorum in Archidamum vel amor vel fiducia, vt se sine eo impares hostibus fore persuasum sibi haberent: quis eos ducem tam egregium in Arcadia reliquisse vulneratum crediderit? Ex mea igitur sententia Archidamus post illam pugnam et post inducias factas reuertisse cum suis Spartam putandus est et vulnus curasse, atque adeo Epaminonda adueniente iam versabatur Spartae,

nec opus erat, vt Eurotam, quo illuc perueniret, traiiceret. Curando autem vulneri satis illum temporis nactum esse, quiuis intelliget, qui legerit 7, 4, 26 — 7, 5, 10. Primo enim Arcades Cromnum obsidebant, deinde aduersus Eleos se conuertebant, tum Mantineenses legatos ad Thebanos mittebant de expeditione contra Arcadas suscipienda; quae omnia dum aguntur, dum ad expeditionem se Thebani parant, dumque Epaminondas Spartam aggreditur, quin elapsi sint menses complures, qui videntur Archidamo sanando satis fuisse, quis est qui dubitet? Commodum igitur ille, cum Epaminondas aduenit, conualuerat, sed cum paucis tantum copiis in vrbe relictus fuerat ab Agesilao, qui cum maxima exercitus parte iam in Arcadiam erat profectus, atque adeo, quanquam exiguam eius partem in urbem patriam reduxerat ante Epaminondae aduentum, Archidamo tamen suppetias statim ferre non potuit, quippe suarum rerum satagens. Agesilaum igitur et Epaminondam traiicere Eurotam oportuit, non item Archidamum, quippe cui per inuia et impedita et angusta loca proficiscendum fuisse, docet non solum *Plutarchus* Ages. 34. (διαθέοντα διὰ τῶν στενωπῶν), sed etiam *Xenophon*, dum diserte dicit, Thebanos ὑπερδέξια χωρία ἔχοντας, quo pertinet vocabulum *difficilia*, quo vsus sum in lexico, et multo magis dum dicit: διαβὰς ὅπερ ἐδόκει τὶ ἔχειν κώλυμα, h. e. si ad verbum vertas: *iter faciens per locum, qui videbatur nonnihil impedimenti habere*, vel *superatis iis omnibus quae videbantur n. i. h.* Puto enim, siue ὅπερ simpliciter explices ἐκεῖνο s. πᾶν ὅπερ, siue χωρίου (*terrain*) ὅπερ, rem eodem redire. Quid vero? Num haec adeo abstrusa sunt et obscura, vt vnus ego illustrare illa et explicare possim? Immo aperta et luculenta esse omnia, videbit ipse *Gailius*, modo momenta

omnia recte perpenderit, et modo cauerit, ne porro se induci patiatur per vncos illos, quibus in nonnullis editionibus inclusa sunt verba ὅπερ — κώλυμα, dudum tamen sublatos a *Moro* et *Schneidero*. Neque enim literarum Graecarum Professor ignorare potuit, talia signa non ab ipsis scriptoribus antiquis profecta, sed recentiorum Grammaticorum commentum esse: fieri autem potuit, vt tum, cum observationes suas scriberet, rei notissimae non recordaretur. Non minus superfluum esset, virum eruditissimum docere velle, circa Spartam, quin in ipsa vrbe, non defuisse loca impedita et aspera et salebrosa. (ἀνωμάλους καὶ βουνώδεις τόπους vocat *Polybius*) Caeterum nec 4, 6, 2. de vado, verum de nauibus, cogitandum esse, demonstrari aeque facile potest. Nam Achaei ex Achaia in Acarnaniam ituri, vel debebant, antequam ad Acheloum peruenirent, sinum Corinthiacum et Euenum fluuium traiicere, et in vtroque traiiciendo nauibus egebant, vel poterant per mare Ionium illuc nauigare, ne tacto quidem Acheloo. Quae res intelligi satis, ni fallor, possunt e Thucyd. 2, 33. et 83. et *Liu.* 27, 29. ut multos alios locos taceam. Et *Xenophon* §. 14. diserte dicit, Agesilaum, qui Achaeis in illa contra Acarnanas expeditione auxilia duxerat, terrestri itinere per Aetoliam reuertisse eo vsque, ubi Rhium est, et, ταύτῃ, inquit, διαβὰς (h. e. *faucibus Corinthii sinus traiectis.* cf. *Liu.* 28, 7.) οἴκαδε ἀπῆλθε. Atqui hunc quoque locum de nauigando accipiendum esse, non de vado, cum res ipsa clamet, tum apparet ex iis, quae statim adiecta sunt: καὶ γὰρ τὸν ἐκ Καλυδῶνος (quam Achaei, eius socii, tenebant. v. §. 1.) ἔκπλουν (np. per Euenum) ἐς Πελοπόννησον (atque adeo in Achaiam) οἱ Ἀθηναῖοι ἐκώλυον τριήρεσιν.

Sed quomodo de altero loco (*Hist. Gr.* 7, 2, 2.)

dissentire a me V. D. potuerit, non ego quidem capio, nisi forte id factum putes ad ostentandam egregiam suam situs locorum scientiam: quod tamen nimis ridiculum et ineptum foret, neque adeo mihi ita videri profiteor, putans potius, eum festinantem et forte grauioribus rebus intentum non obseruasse, quae ego scripsissem. Nam ego diserte scripsi, in itinere Phliunte Prasias faciundo nullam quidem fluminis traiectionem memorari, sed §. 3. tamen διαδῦναι dici, qui iter illud fecerunt, et praeterea diserte adieci, conferenda esse, quae dixissem in v. διαδύεσθαι. (Ita enim, non διαδύειν, debebam p. 672. et 681. scribere.) Ibi autem eadem dixi, quae *Gailius*, np. posse locum omnino intelligi de itinere molesto, et fluuiis, montibus, hostibus, aliisque impedimentis obsepto. Non igitur differt, si quid video, mea sententia a sententia *Gailii*, neque differre poterat, nisi geographiae omnino essem rudis. Quae cum ita sint, opto quidem, vt V. D. si forte porro quaedam in lexico Xenoph. vel in aliis meis libris inuenerit, de quibus ipsi dissentiendum a me videatur, ne inuideat mihi suas animaduersiones, quippe reprehensionem iustam et idoneis argumentis nixam facile ferenti, sed vt diligenter, antequam in publicum emittat reprehensionem, circumspiciat omnia et accurate perpendat. Sunt enim permulta in *Xenophontis* libris, quibus recte interpretandis non parem esse tenuem meam geographiae veteris scientiam, ingenue profiteri non erubesco.

Superest vt de illo loco (*Hist. Gr.* 4, 4, 19. non 4, 1, 19.), quo vsus est *Gailius*, vt ostenderet, quam necessaria veterum scriptorum interpreti esset orbis antiqui notitia, nonnulla dicam. Scilicet corruptum ibi esse nomen Τεγέαν, iam *Leunclauius* vidit. *Gailius* quidem scribi iubet Τενέαν, et posset ille laudandus vi-

deri propter hanc coniecturam, quia Tenea sane erat terrae Corinthiae oppidulum. Sed laudem omnem praecepit *Koeppenius* olim noster, qui dudum ita legendum existimauit.

Caeterum quod *Gailius* non solum per literas mihi significauit, sed etiam in nupera libelli *de venatione* versione et in Obseruationib. ad lex. Xenoph. pollicitus est, se codices illos MSS. quos ego minus diligenter collatos ab eo fuisse ostenderam, denuo et accuratius velle conferre, laude dignissimus est, et laetaberis tu, Vir Exc. haud dubie mecum, si opera mea et animaduersio hunc aliquando tulerit fructum. De Cynegetico ab eodem V. D. in linguam patriam translato et notulis instructo iudicium meum qualecunque cognosces é praefatione, quam praemisi lexici Xenoph. Voluminî II. quod iam ante plures menses prodiisset, nisi nimia esset ac pene detestabilis typographi nostri tarditas.

Denique vt tu diu valeas et perferendis laboribus grauissimis par sis, vtque porro me ames, ex animo opto. Scripsi Gerae a. d. VI. Id. Febr. A. C. CIϽIϽCCCII.

Gailius enim nuper versionem Cynegett. Xen. cum adnotatt. etiam criticis edidit, cuius non multa descripta sunt formulis exempla, ut, quod ipse consilium profitetur (Mag. enc. T. IV. 7. An. n. 13. p. 41.) cognosceret doctorum hominum iudicia de difficilibus locis opusculi:

Cynégétiques ou Traité de la Chasse de Xénophon traduit en français d'après deux manuscrits collationnés pour la première fois, accompagné de notes critiques et de dissertations sur le pardalis, le panther et autres animaux, pouvant faire suite aux éditions de Buffon par Deterville et Saugrain, a Paris an IX. (1801.) chez l'Auteur. un vol. in 18.

In eodem Millini Promtuario (Mag. encycl. T. IV.

7. An. n. 13.) p. 76 — 88. leguntur Anonymi (littera B insigniti) Observations sur la traduction que I. B. Gail a donné du Traité de la Chasse de Xénophon; quarum auctor gerit personam acerbi censoris, quod et editor confidentius provocasse criticos est visus, et laudibus eius versio nimiis ornata. Nam editorem aeque imperitum graecae ac patriae linguae esse contendit. Sic grauiter notantur, quae aduersus Pollucis Onom. V, 58. de ὤμοις et ὠμοπλάταις parum intelligenter disputauit, atque examinatur versio loci Xen. Cyneg. c. 4, 1. de canibus venaticis, cuius non modo melior francog. interpretatio proponitur, sed et singula verba accurate explicantur.

Huic censurae Gailius respondit, edito nuperrime libello:

Réponse de *I. B. Gail*, professeur de litterature grecque au collége de France, à la critique de son traité de la chasse, par *E. Clavier*, magistrat et maintenant éditeur du Plutarque d'Amiot. A Paris (1802) chez Fuchs, 40. pp. in 8.

Is non modo breuiter est, et humanissime, a Millino recensitus, Mag. encycl. T. IV. 7. An. N. 16. p. 562. s. sed ab ipso etiam aduersario, Clavierio 2), acerbius tractatus ibid. p. 492 — 510. Ipsum libelli indicem petit Clav., cum Tract. de venatione non *Xenophontis* nomine addito laudetur; et recte, inquit censor, nam Xen. ita *vertere* est eum *creare*. Nonnulla inde excerpere placuit. Chironis mater Pelopeia appellatur non nisi a Schol. Statii Achill. I. p. 596. Νύμφη ναὶς Eurip. Hel. 187. Apoll. Rhod. 1, 656. et saepius, ubi non est proprium nomen. Pollucis locum, ubi ἐφιςάμενος

---

2) Is ostendit, esse etiam secundam Responsionis editionem auctam epistola discipuli cuiusdam G.

in suam rem vertit Gail., sibi favere Clav. docet. Reprehendit (p. 495.) quod G. in Praefat. Anthologiae graecae poet. Par. 1801. 8. p. 12. et T. IV. 7. An. Mag. Encycl. p. 37. in Xen. Hist. gr. IV, 4, 19. reponat Τενέαν, non laudato Koeppenio, correctionis auctore. Ἀρκυωρον p. 497. docet, non esse posse canem, sed servum retia servantem (gar-lien des filets). P. 500. s. Clav. invehitur in Anacreontis versionem Gailianam, et plura eius vitia notat. P. 501. s. eodem modo exagitat recentissimum eius librum: *Anthologie poétique grecque* avec la traduction interlinéaire latine et française, et des notes grammaticales et critiques, 1801. Tractat etiam p. 502. s. eum Xen. Hist. gr. locum, ad quem de voc. διαβὰς disputauit G. Nam Plutarchi locum in Ages. non agere de illa expeditione, sed de aliqua praecedente; de ea autem quam Xen. ibi enarrat, ap. Plut. c. 34. exponi. Inde intelligi, non Archidamum traiecisse Eurotam, sed pugnam in ipsa urbe evenisse. P. 503. s. nouam explicationem Théocr. Id. I, 27. ss. quam dedit G. examinat, et ostendit, ἑλιχρυσον non plantam, sed ornamentum esse, ἕλιξ autem adiectivum *involutum*, *intortum*. Alia ex G. notis adferuntur inscitiae graecarum litt. atque antiquitatis, et confidentiae exempla. Laudatur etiam Sturzii iudicium de Gailio in praef. Lex. Xen. latum.

Ξενοφωντος Ἀπομνημονευματων Βιβλια τεσσαρα. Commentarii dictorum factorumque Socratis ad defendendum eum scripti a Xenophonte Libris IV. Cum Apologia Socratis eidem auctori vulgo adscripta. Ex fide librorum editorum scriptorumque et Virorum doctorum coniecturis annotationibusque recensuit et interpretatus est *Io. Gottlob Schneider*, Saxo. Lipsiae sumt. C. Fritsch. CIↃIↃCCCI. 352. pp. 8 mai.

Cura-

Curauerat Schneiderus, Traiecto-Viadrinae academiae ornamentum, repetitionem edit. Zeuniae Lipsiensem a. 1790. ita ut Zeunii adnotatt. nouas aliquot e libro eius, suas paucas, adderet, nonnulla de locis quibusdam in praef. subtiliter disputaret. Nunc ex subsidiis iis omnibus, quae superiores edd. adhibuerant (praemittitur librorum edd. et scriptorum, quorum ope commentarii hi emendati sunt, luculentus catalogus) textum denuo recensuit, argumenta breviora Vueiskii monitu apposuit, ex amplis VV. DD. commentariis, quae ad rem pertinere viderentur, excerpsit, reliqua omisit (quod nollemus in Ruhnken. et Valken. factum, nam nemo poterit nunc edit. Lips. quarta a. 1772. carere), correctiones et annotationes nouas plures adiunxit, Indicem verborum et nominum auxit et correxit, in fine autem proposuit et Epimetrum doctissimum *descriptionem partium domus graecae* et vocabulorum, quibus eae designantur interpretationem continens p. 267-293. et annotationibus addenda satis larga. In epimetro illo versatur V. D. ita, ut errores quosdam in fabrica domorum graecarum explicanda admissos corrigeret, quum plerique Vitruvii auctoritati confiderent, qui tamen nec ad Xenoph. aetatem pertinet, et ipse in nonnullis errauit vocabulis et nominibus interpretandis. (Accedit quod Vitruvii lectio etiamnum valde corrupta est, inprimis in vocabulis graecis. Iocundus enim illius scriptoris textum valde contaminauit eiiciendo loca et interpolando ex arbitrio; quod ex iudicio V. D. qui in eo ex edit. principe et cod. Gudiano restituendo cum maxime elaborat, intelleximus.) Barthelemium recte monet descripsisse aedes priuatas in inferiorem partem, andronitin, et superiorem s. sublimem, gynaeconitin. Homerus enim mulierum habitationi semper assignat ὑπερῷον. In eadem superiore aedium parte erat conclaue pretio-

siores res servans, et ap. Hom. atque Xen. θάλαμος dictum, quo per gradus (καταρῶγας) adscendebatur. Homerica vocabula de aedium partibus haec sunt: μέλαθρον. Recte Hes. interpretatur δοκὸς ἡ διάτονος (non ὑπέρτονος aut ὑπότονος), h. e. trabs quae media domum superne et tectum distinet, atque fumum excipit; hinc ipsum tectum; inde palatium. — αὐλὴ primum locus apertus et apricus, maceria conclusus, boves, oues et aves cortiles includens, cui iuncta villa rustica ἔπαυλις dicitur (ἔπαυλοι Odyss. 23, 358. ἔναυλοι Hesiod. Theog. 129.) Pars est domus Odyss. 21, 389. Il. 9, 472. Od. 18, 100. (πρόθυρον ante coenaculum positum: sequitur αὐλὴ cum αἰθούσῃ; postremum ἑρκίον, *maceria*, aulam concludit, unde εὐερκής.) 22, 126. (ubi ῥῶγας intpt. viam ad superiora domus conclavia ducentem, ὀρσοθύραν autem monet diuersam esse ab illa ianua, quae ad ὑπερῷον ducebat, imo esse fenestram luci admittendae, s. lumen coenaculi in pariete viae publicae s. aulae obuerso excisum, ad quam adscendere et populum clamando convocare ex via publica licebat; iter autem s. viam, quae ab ipsis foribus coenaculi in viam publicam ducebat, postea dictam esse μέσαυλον.) Iliad. 6, 244. (ubi τέγεοι θάλαμοι non sunt sublimes, ὑπερῷοι, sed simpl. ὑψηλοί), Od. 4, 74. (ubi lectionem Διὸς αὐλὴ satis tuetur Aeschyli auctoritas Prom. V. 21.) In aula erat ara, in qua priuatim diis sacra fiebant. Atrii vocabulo, quo multi αὐλὴν reddunt, proprie de graeca domo uti non licet. Locum Vitruvii (VI, 10.) ita e cod. Gud. emendat Schn. „Atriis quia Graeci non utuntur, neque aedificant, sed ab ianua introeuntibus itinera faciunt latitudinibus non spatiosis, et ex una parte equilia, ex altera ostiarias cellas, statimque ianuae interiores finiuntur. Hic autem locus inter duas ianuas graece θυρωρεῖον appellatur. Deinde est introitus in peristy-

lum." *Impluuium* recte Virgilius interpretatus esse videtur αὐλὴν, ita Cic. Verr. I, 19. 23. et 56. (non recte Clav. Cic. impluuium gr. dicit μεσαύλιον.) cf. Quintil. XI, 2. ubi perperam *stratis* editum pro, *statuis*. Iovis Hercei statua in aula domus Vlysseae posita, Hom. Od. 22. Locus μεσσηγὺς θόλου et ἕρκεος αὐλῆς (Od. 22.) fuisse videtur extra aulam. Tholum Eustath. interpretatur domunculam rotundam reponendis utensilibus. Domus graeca cum romana peristyli, sed unici, usu maxime conveniebat, discrepabat partium et cubiculorum descriptione in andronitin et gynaeconitin.

Αἴθουσα ap. Hom. est fere in partibus regiarum tantum domorum. Est i. q. apud recentt. παςὰς, peristylum, porticus, ut ex Schol. Ven. maxime ostenditur.

Μέσαυλος Hom. significat vel cortem stabula boum oviumque concludentem (Il. 11, 558.) vel villam, domum rusticam (Il. 24, 29.) Aliud est ap. Att. μέσαυλος s. μέταυλος θύρα ianua ducens ad domum feminis alteramque viris servientem. P. 279. ss. tractatur locus Apoll. Rhod. III, 215. ss. προμολὴ est vestibulum s. aula casae rusticae in Apoll. I, 1174. H. l. προςάδα interpretantur. πυλαὶ εὐρεῖαι sunt quae proprie αὔλειοι. γλυφίδας non triglypha interpretatur Schn. (ob ἀρηρει) sed cuspides aereas ex corona prominentes; θριγκὸς et maceria aulam s. cortem cingens, et lorica s. corona murorum dicitur, de qua etiam γεῖσα, quod voc. in urbium muris proprie loricas s. pinnas significauit. μέσσαυλος v. 235. negat S. esse pro αὐλὴ positum, ut Brunk. censuit, sed schol. explicationem tuetur, et ἐλήλαται reddit, *producta est*, ut τεῖχος ἐλαύνειν, ἐπὶ autem refert ad solas valvas ad extremam μέσαυλον positas, per quas patebat aditus ad cubicula, et per cubicula ad peristylum. (Nobis etiam τε post θάλαμοι videtur respondere antecedenti καὶ, et verba τῇ δ' ἐπὶ — εὐπηγεῖς in pa-

renthesi accipienda. μέσαυλον cum cubiculis muliebribus describit Achilles Tatius de amor. Clit. et Leuc. 2, 19. Quia in μεσαύλῳ cellam habuit ianitor, inde factum, ut ianitor ipse diceretur μέσαυλος, et contra ipsa μέσαυλος, θυρωρεῖον. Vitruv. VI, 10. Quas Vitruv. ibidem mesaulas dixit, quasi diuersas, ad alienum plane locum perperam transtulit. Sed rectius ibi ed. princeps et codd. Gudian. atque Franek. legunt: Inter *duo* autem peristylia et hospitalia itinera *sunt*. Qui scripturam mutauit, inquit Schn., ab ipso Vitr. in errorem inductus fuisse videtur, qui si itinera ab initio capitis memorata eadem esse vel ipse meminisset, vel lectores intelligere voluisset, quae Graeci μεσαύλους dicunt, ibidem mentionem vocabuli graeci adiicere debebat, quod fecit demum hoc loco tam inepte, ut putes plura fuisse itinera inter duas aulas et duo peristylia mesaulas dicta. Errorem ex vitiosa Iocundi scriptura in picturam domus graecae transtulit Mariette. In sequente peristyli definitione perperam etiam nupera editio Rodii habet παραςὰς (pro παςὰς) et: *lanificiis — sessiones*. Sed in Gud. cod. *partes* scriptum, *pastas* super eo vocab., deinde *sessionem* in Gud. invenit Schn., quod ut et *lanificis* in Franek. reperit Wesseling. Obss. p. 269. Iam Salmas. Exercc. Plin. p. 1217. s. meliores lectt. ex cod. regio attulerat. παραςάδες, quae pr. sunt antae, columnae s. pilae quadratae ad latera ostiorum (quam in rem Heronis Automat. p. 269. laudantur) hinc ipsae fores, saepe cum παςάσι permutantur. Coniicitur tamen, παςὰς ex παραςὰς contractum esse, et ubi παραςάδες, postes forium significat, rectius scribi παραςάται. παςὰς primum legitur Herodot. 2, 169. Scholiastes Apoll. Rhod. I, 789. monet παςάδα suo aeuo dici προςάδα. In descriptione andronitidis ap. Vitruv. codex Gud. habet peristylia *lautiora* (pro vulg. *latiora*)

et infra: quae sunt *ante in ianuas* vestibula; quae lectio docet, scriptum fuisse *ante ianuas*. Πρόδομον male Hes. et alii Grammatici eumdem faciunt cum προστάδι et προστῴῳ. Nam ap. Hom. est cubiculum sub ipsa porticu, et ante thalamum dominicum positum. Il. 9, 472. Od. 4, 297. Apoll. Rh. 3, 278. 648. ubi v. 839. serui in προδόμῳ habitant et cubant. Scilicet seruorum ministerio domini, dominae liberorumque inseruientium, cubicula non longo spatio a cubiculis dominorum seiuncta, sed iis plerumque iuncta aut opposita erant. Classicus locus est Xenoph. Oecon. 9, 2. ss., unde patet, usum voc. θάλαμος Homericum, ut sit, cella promtuaria cimeliorum, apud Athenn. durasse. In eius loci sect. 4. de cubiculis seruilibus, Schn. ἀναπέπταται ex Aristot. Oecon. I. de domo, significare ostendit domum versus meridiem patentem et porrectam, a borea auersam, pro εὔσκιος autem ex eodem Arist. reponi primum vult εὔπνους, quod vulg. commode explicari nequeat. Venti perflantes poterant aestate refrigerare calorem solis. Mox tamen monet, εὔσκιος referri ad παστάδας (ob Mem. 3, 8, 9. quem locum perperam Nic. Loënsis comparat cum Colum. de R. R. I, 6, 2. ubi alia villae ratio.) In sect. 5. vocab. θύραν Heindorfius, Prof. Berol. recte censuit, ab aliena manu esse profectum. Ipsa gynaeconitis balneo medio ab andronitide separabatur. Pro thalamo Xenoph. Aristophanes (Plut. 811. Eq. 1001.) simpliciter ὑπερῷον dixit. θάλαμος in Il. 17, 36. est cubiculum nuptiale; seriores autem poëtae plerumque illud cubiculum θαλαμον dixerunt. Anal. Brunk. 2, p. 34. n. 98. ubi παστὸς est ipse lectus nuptialis vestibus croceis tectus. καλύβας vocauit Apoll. Rhod. I, 775. In peristyli porticu una alterave erat etiam cella penuaria, unde Arist. Eccles. 14. στοὰς dixit pro ταμιεῖα. Eumdem cellae locum indicat Plat.

Protag. p. 95. et 97. ubi πρόθυρον locus est ante μέταυλον θυραν et cellam θυρωροῦ: hanc μεσ. θύραν pulsat (κρούει) intraturus. Vocab. πρόθυρον interdum Pindarus utitur in comparationibus; inprimis Olymp. 6. init., de aditu ad domum victoris, etiam tropice, et domum ipsam interdum dixit αὐλὰν (Nem. IV, 39. X. 29.) quia per θύραν αὔλειον, deinde per αὐλὴν, postea per πρόθυρα aditus patebat. Apud Lysiam c. Eratosth. p. 12. οἰκίδιον διπλοῦν est domus, quae solemniter διοροφος dicitur. Itaque frustra Reisk. tentauit. Ap. eumd. p. 393. ἀμφίθυρος οἰκία, quae posticam et anticam habet ianuam. Rusticas Asiaticorum Graecorum domos obiter describit Galen. de Antid. 1, 3. cuius locum Schneid. ad Colum. I, 6, 20. Pallad. I, 21. illustrauit. — In Apologia, quam Valken. duce, suppositam Xenophonti existimat, versatus est ita, ut in adnot. ad singulos locos notaret, quae inepte dicuntur, quae minus conveniunt cum aliis Xen. dictis, in quibus indicia imitationis ineptae, aut vocabula et verba non Xenophontea, leguntur. Talia nonnulla etiam in Ind. notantur. v. Διατριβὴν, Δόξα. — Graecitatis index etsi nonnulla, quae explicatione egeant, desiderari patitur, tamen auctior est multo et vocabulis et interpretationibus et aliorum etiam scriptt. locis quae obiter explicantur, ut Thuc. I, 71. in αἰσθάνομαι. Locus Cliniae ap. Stob. I. p. 8. in v. Ἡδονὴ e cod. Paris. emendatus exhibetur. Ex eodem Stob. καρτερίας et ἀκρατίας definitiones (in v. Καρτερικὸς) laudantur. κατασκευάζεσθαι in Xen. lib. de Vect. explicatur p. 327. In voc. Οἷος monetur ap. Thucyd. 6, 12. e cod. Vindob. scribendum esse: καὶ τὸ πρᾶγμα μέγα εἶναι καὶ μὴ οἷον νεωτέρῳ βουλεύσασθαί τε καὶ ὀξέως μεταχειρίσαι. Apud eumdem VIII, 27. σπουδῇ γε e codd. reponit, ubi vulg. ποῦ δὴ (v. σπουδή). In Xen. Hier. 1, 3. pessime Zeunium

cum Bach. recepisse Stobaei lectionem ὑπομνήσειας, ubi vulg. ὑπέμνησας rectum est, ostenditur sub v. Τις. De officio servorum stragula lecti colligata ϛρωματοδεσμῳ ferendi multa monentur sub v. ϛρωματα φερειν. Longior est disputatio (v. λογισμός), qua quaeritur, utrum (IV, 7, 8.) subtiliorem numerorum rationem a sua disciplina Socrates removerit. nam λογισμὸς est computatio, ratio numeris reddita expensarum et redituum acceptorum, minima arithmeticae scientiae pars. Mavult igitur λογισμοὺς interpretari syllogismos, quorum fuit olim hodieque apud multos est μάταιος πραγματεία. In v. νόμιμος duobus locis Xenoph., ubi de iustitia agitur, lux accenditur. In πολλοὶ, ubi form. πολλαὶ καὶ σεμναὶ explicatur, laud dubie verius est καὶ valere *eaeque*, und zwar, quam redundare. Perperam in v. Βλάξ, Βλακωτέρους operae dederunt *ignaro* animo, pro, *ignavo*.

Ξενοφωντος Ἀπομνημονευμάτων Σωκρατους βιβλοι Δ. Xenophons Reden und Thaten des Socrates in vier Büchern. Mit erläuternden Anmerkungen und einem vollständigen Wortregister für Schulen und Gymnasien herausgegeben von *Iohann David Büchling*. Leipzig, im Schwickertschen Verl. 1802. XVIII. 468. pp. 8.

Büchlingius in hoc edd. genere mirifice sibi placuit. Similis huic est Cebetis Tabulae editio, quae Miseni 1796. prodiit. Pluribus latt. et grr. edd. addidit vernaculas animadversiones, de qua re alio tempore monebitur. Minus etiam eae placent, ubi adnotationes patrio sermone et latine scriptae temere sunt permixtae, ut in hac ed., ubi nunc latina Hindenburgii, Zeunii, Schützii, Ern. et aliorum, nunc vernacula editoris leguntur, modo leuia et puerilia modo docta et viris apta. Consilium autem hoc potissimum fuit,

ut tironibus proponerentur intelligendi libri iusta praesidia ex adnotatt. interpretum plurium et copiis editoris collecta. Consulere tamen etiam magistris scholarum voluit. Verum ita non necessarium erat, ipsa verba et longiores animadversiones interpretum aliorum, atque multas aliorum scriptt. laudationes repetere; et oratio plurimis in locis verbosior erat contrahenda. Est autem adnotationis duplex genus, alterum criticum (nam a Schneideri iudicio atque textu interdum editor discessit; secunda autem Schn. edit. nondum uti ei licuit;) alterum quod ad explicandum locorum sensum et historice illustrandum spectat. Index autem uberrimus (p. 331—468.), verba singula interpretans, adiectus est, quia Lexicon Memor. graeco-germ., quod Gothae 1799. prodierat, admodum negligenter compositum editor animaduertit. Nos cum editionis consilium et indolem inprobamus, tum industriam editoris, et in nonnullis locis diligentiam, laudamus.

VII.

Versiones vernaculae nonnullorum scriptt. vett. enumerantur.

De omni, quod nostris temporibus viget studio, convertendi vett. auctores in patrium sermonem, exposuit *Deppischius*, Professor Wirceburg., cuius liber superiori demum anno divulgatus, etsi iam 1800. editus est:

Vortheile und Nachtheile von den Uebersetzungen der Alten (Commoda et incommoda versionum vett. auctorum) von *Peter Ioseph Deppisch*, Prof. der Grammatik. Würzburg, in der Rienner. Buchh. 1800. 144. pp. 8.

Commoda recensentur haec: 1. omnis generis et ordinis homines, linguarum vett. imperiti multa utiliter e scriptis vett. conuersis discunt. 2. ingenium et sensus pulcri per illas versiones alitur et conservatur. 3. oratio vernacula emendatur. 4. animus sensibus honestis repletur. 5. historia cultus populorum inde cognoscitur. 6. doctoribus et discipulis commentarii instar prosunt versiones. Incommoda: 1. non omnem veterem scriptorem reddunt et reddere fideliter possunt, 2. iuuant ineptam adolescentum opinionem, non necessaria nunc esse studia vett. linguarum. (Eo loco laudantur varia scripta recentia de utilitate studii graecarum litterarum, quorum nonnullis augeri potest eorum numerus, quae alibi laudauimus). 3. interdum etiam bonis moribus possunt nocere. 4. neque minus obesse litterarum per-

fectioni. De his etsi multa utiliter sunt monita, tamen et in causas et in naturam horum incommodorum atque commodorum auctor nobis visus est paullo altius descendere potuisse et vero debuisse. Neque enim rem et argumentum penitus pertractasse censendus est.

Anacreontis vernaculam versionem iam dudum b. *Ramlerus* composuerat, cuius particulas variis locis et libris inseri iussit. Idem *Spaldingio* hoc negotium imposuit, ut iunctim ederet, quod ille nuper exsecutus est, adiectis et duobus Sapphus odariis et Ramleri annotationibus. *Anacreons auserlesene Oden und die zwey noch übrigen Oden der Sappho. Mit Anmerkungen von Karl Wilhelm Ramler.* Berlin b. Sander 1801. 175. pp. 8. mai. Eminet ea versio facilitate quadam et suavitate nativa, et proxime accedente ad graecam simplicitatem, quamquam sunt loca minus bene expressa.

Etiam *Gailius* eam laudavit; qui nuper iterum Anacreontem francogall. sermone reddidit:

Odes d'Anacréon, traduites en françois avec le texte grec, la version latine, des notes critiques, et un discours sur la musique ancienne par *I. B. Gail*, prof. de litt. gr. Avec estampes et odes mises en musique par Méhul et Chérubini, à Paris. 4. voll. in 18. de l'impr. de Didot l'ainé.

Ediderat Gailius iam ante duo annos splendidius versionem Anacr. cum animadverss., tabulis aeneis et musicorum modorum notis, in 4. Parabilior est haec nova editio. Pluribus epp. Gailius de thiasis egit.

Der Trinummus des Plautus, übersetzt von M. Siegmund Adam Gock, Diak. zu Altenstaig. *Mit einer Vorrede von D. C. Seybold,* ord. Prof. der klass. Litteratur. *Tübingen.* 1801. XII. 94. pp. 8. mai. (h. e. *Gockii* versio vernacula Trinummi, fabulae Plauti, cum Seyboldi praef.) Idem Gockius etiam Plauti Mi-

litem Glor. iam verterat. Versio haec iusto liberior est, et nunc addit quaedam nunc omittit, brevitatem auctoris et comicam vim omnino non adsecuta est. Seyboldus nonnulla ad historiam litterariam in praef. contulit.

Non omittendum, hac opportunitate oblata, nuper etiam *Böttigerum*, Vinariensem archäologum, specimina metricae versionis vernaculae *Trinummi* Plautini (Act. I. Sc, I. et II. 162. ss. Act. II. Sc. I.) proposuisse (Neuer teutsch. Mercur, 1801. part. 7. s. m. Iul. p. 218. ss.) iisque praemisisse egregias observationes de virtutibus versionis Plauti, qui integer, nullis verbis omissis, mutatis, adiectis, reddi nullo modo possit; in ultima autem particula eiusdem Mercurii (N. teutsch. Merk. 1801. Decemb. p. 250. ss. legi *Conzii* versionem metricam actus primi *Aululariae* Plauti; et in prima a. 1802. p. 7. ss.) *Danzii*, Ienensis, metricam vers. actus primi *Militis Gloriosi*.

Persii Satiram tertiam Blümmius vertit. *Aulus Persius Flaccus* dritte Satyre im Versmaafse des Originals mit Anmerkungen von *Ferdinand Blümm*. Bey der feyerl. Prämienaustheilung am 19. Sept. 1801. herausgegeben. Würzburg in der Rinner. Buchh. 1801. 8. 114. pp. 8. Hexametris paene totidem servili modo Persium reddidit; in adnotatt. autem egregie multa explanavit.

Blüthen griechischer Dichter, übersetzt von F. K. L. Frhrn. *von Seckendorf*. Weimar 1801. 8. (i. e. Flores poëtarum graecorum, a Seckendorfio patrio sermone redditi.) Continentur hoc libello versiones vernaculae batrachomyomachiae Hom., carm. 1. 2. 3. Tyrtaei; Bionis 7. carmina, in his in mortem Adonidis, Moschi 5. idyllia, Sapphus odar. in Venerem, Pindari I. olymp., Homeri hymni minores, Anacreontis ple-

raeque odae, Theocriti duo epigrr., Ariphronis carmen in Hygieam; Erinnae, Timocreontis, Callistrati, Aristotelis, Mimnermi, Bacchylidis, Platonis, Anytes, Meleagri carmina quaedam, Simonidis Danae, animadversiones.

Iulius Agricola. Ein biographischer Aufsatz des *C. Tacitus* aus dem Lat. übersetzt, und mit Anmerkungen und Charten erläutert. Meissen, b. Erbstein 1800. 14. plagg. 8. (Taciti vita Agricolae germ. conversa.)

Auctor versionis est M. *Artzt*, Scholae elect. Portensis Collaborator, qui plerumque sensum verborum Taciti fideliter et recte expressit, ita tamen, ut ingenium illius scriptoris non omnino redderetur. Animadversiones partim criticae sunt, partim historicae et chronologicae eaeque admodum utiles. Inter quinque illas, quae adhuc lectae sunt, germanas libelli versiones (C. E. Gebaueri, Mich. Engelii, et trium anonymorum) sexta haec inprimis eminet. Sed praestat (iudice etiam V. D. in Erlang. ephh. litt. n. 192. p. 1536. et n. 193. a. 1801.) illud specimen novae versionis, quod *Schlüterus*, Sallustii et Germaniae Taciti probabilis interpres, exhibuit in Supplem. Degenii Litteraturae versionum Romanorum scriptt. p. 279. ss.

Arrians Unterredungen Epiktets mit seinen Schülern. Uebersetzt und mit historisch. philosoph. Anmerkungen und einer kurzen Darstellung der Epiktetischen Philosophie begleitet von *I. M. Schultz. Erster Theil.* Altona b. Hammerich 1801. X. 276. pp. 8. mai. (Arriani dissertationes Epicteteae versae et not. illustratae a Schulzio.)

Dissertationes Epict. Arriani hactenus non nisi semel, a Schulthessio, erant in patriam linguam conversae. Schulzius emendatiorem graecum textum secutus est,

etsi a Schweighäuseri crisi interdum recessit. Versio accurata est, et in animadverss. consulitur iis potissimum, quibus Arrianus omnino ignotus est.

Marcus Tullius Cicero von dem Redner. Drey Gespräche, übersetzt und erläutert von *Friedrich Karl Wolf.* Altona b. Hammerich, 1801. 560. pp. 8.

Non parum diligentiae auctor in hac versione posuit, cuius leges in praef. ipse proposuit. Animadversiones inprimis in tironum gratiam sunt scriptae. Nonnullae criticae sunt. Has, ut et *Hottingeri* ad novam versionem Officiorum Ciceronis, *Bothii* ad Euripidis versionem vernaculam (II. voll. 8.) alio loco, si opportunum videbitur, excerpemus in usum exterorum lectorum.

Marcus Tullius Cicero's Abhandlung von der Gleichgültigkeit gegen den Tod und von der Pflicht den Schmerz zu ertragen. Aus dessen Tusculan. Abhandlungen herausgehoben und übersetzt. Nebst einigen erläuternden Anmerkungen für die jüngern Freunde der klass. Litteratur. Leipzig bey Linke 1801. 158. pp. 8.

Vicit interpres, quamquam primum hoc est ab eo periculum factum, illos qui ante ipsum Tuscc. Quu. verterunt. Deesse tamen ei facultatem perspicue reddendi latina, et periodos bene invertendi, docent plura loca; neque recte omnia expressit. Cf. Bibliothek der paedag. Litt. Iahrgang 1801. III. B. 2. St. p. 137.

Des C. Iulius Caesar historische Nachrichten von dem gallischen Kriege, übersetzt von *P. L. Haus.* (h. e. *Hausii* versio LL. Caesaris de b. Gallico) Erster Band. Zweyte ganz neu übersetzte Ausgabe. Frankfurt a. M. bei Hermann 1801. XV. 448. pp. 8.

Correxit auctor multa versionis, quam ante 16. annos ediderat primum, loca et plerumque sensum vet. scriptoris reddidit. Sunt tamen loca, quorum sententiam non videtur intellexisse, neque vernaculi sermonis iusta utitur facultate, neque critica arte subtili, unde interdum lectiones parum probabiles est secutus. v. eadem Bibl. l. l. p. 132.

Horazens Oden, übersetzt und mit Anmerkungen erläutert von *Karl Wilhelm Ramler*. *Erster Band*, welcher das *erste* und *zweyte Buch* enthält. 311. pp. 8. mai. *Zweyter Band*, welcher das *dritte* bis *fünfte* Buch enthält. 392. pp. 1801. Berlin, b. Sander.

Horazens lyrische Gedichte übersetzt und erläutert von *F. A. Eschen*. *Erster Theil*. 299. pp. *Zweyter Theil*. 402. pp. 8. Zürich bei Orell, Füſsli u. Comp. 1800. (h. e. Horatii Odae metrice versae et illustratae a *C. W. Ramlero* — a *F. A. Eschenio*.) Coeperat Ramlerus 1769. 15. odas Hor, in vernaculum sermonem transferre. Postea inde ab a. 1783. reliquas interpretatus, cumque laborem usque ad m. Febr. 1798. persecutus est (mort. d. 11. Apr. 1798.), unde factum est, ut nonnumquam iuuenilis interpretis vigor desiderari posset. Sed ut sensum poëtae recte cepit, ita summa eius ars cernitur in oratione nostra lyricae Romanae accommodanda, salua perspicuitate, neque grammaticis legibus violatis, atque rhythmo versuum.

Eschenii, quem m. Aug. a. 1800. in Alpibus infelici fato oppressum esse, et notum est et monumentum a Francogallis erectum posteritati tradet, versio multo est vividior atque audacior, ita ut interdum latinum poëtam superare voluisse videatur, sed eadem nec laevis et satis expolita, nec structurae vernaculae legibus adstricta. Ramlerus in animadvv. potissimum poëti-

cam vim et artem explicuit, Eschenius res et quae ex historia lucem petunt.

Anacreon und Sappho von *Christian Adolph Overbeck*. Lübeck und Leipz. b. Bohn. 1800. 186. pp. 8. (h. e. versio metrica odarum Anacreontis et Sapphus.)

Natiuam illam graecae orationis simplicitatem nuspiam interpres assecutus est, et ne secutus quidem esse videtur.

Die Briefe des Plinius übersetzt und mit Anmerkungen erläutert von M. *Ioh. Adam Schäfer*, Konr. an dem Kön. Gymn. zu Ansbach. *Erster Band*, Erlang. b. Schubart. 1801. 25. plagg. 8.

Post Sartorium, non malum epp. Plinii, pro sua aetate interpretem, *E. A. Schmidius* eas verterat, cuius versionis duae prodierunt editiones. Verum etsi ille sensum auctoris omnino recte et perspicue, atque oratione patria bene composita, expressit: tamen in deligendis verbis et formulis non satis accuratus, in orationis genere non ubique diligens et iusti ornatus studiosus, in compositione verborum non facilis et laeuis fuisse reperitur. His nominibus multum ei praestat noua haec versio, egregium reddendi artem illius scriptoris non vulgarem specimen, cuius auctor cum ante hos 18. annos panegyricum Plinii patrio sermone reddidisset (quem postea denuo *Wigandus* vertit): inde ab eo tempore in his epp. interpretandis elaborauit. Continet hoc vol. praemissam disput. de vita et ingenio Plinii, (qua exponitur scriptis ipsius praeeuntibus de eius rebus in ciuitate gestis, litterarum amore et eruditione, eloquentia, libris, moribus), et IV. epp. libros.

Versiones francogallicae vett. auctorum prodierunt nuper hae:

Les *Georgiques* de *Virgile*, traduites en vers français, le texte à côte de la traduction avec des remarques sur celle de M. l'abbé Delille, suivies de la traduction en vers latins du Poëme des Ecrits renversées de Mlle Chéron, par *G. F. Raux* — à Paris chez Laurens le jeune, an IX. (1801.) 8.

Satires d'*Horace*, traduites en vers par *Pierre Daru*, 1. vol. in 8. 244. pp. à Paris chez Parisot. 1801.

Laudatur interpres, quod egregie difficultates superaverit in la Decade philosoph. An X. 1. Trim. n. 2. p. 94. ss.

Satyres de Iuvenal et de Perse, traduites en vers français avec des notes, par *F. Duboys-Lamolignière*. à Paris, chez Pougens. an IX. 1801. 232 pp. 8.

Praemissa est Iuvenalis vita. Non attigit auctor brevitatem et sublimitatem poetarum latinorum.

In Oeuvres diverses du Cit. *Lachabeaussière* — Paris chez Fuchs, an IX. 136. pp. 8. sunt etiam particulae quaedam Homeri, Virgilii, Horatii etc. versibus francog. expressae.

Odes de Pindare, unique traduction complette en prose poëtique, par *P. L. C. Gin*, ancien magistrat et membre de la Soc. acad. de sciences. à Paris chez Moutardier, an X. (1801.) un vol. in 8. de près de 600. pp. et un vol. de notes.

Consilium auctori fuit, ut Pindaro suum apud populares restitueret honorem; in animadverss. et mythologiam et imagines poëtae et morales sententias explicuit.

Le Songe de Lucien, la Fable des Alcyons et le Misanthrope du même auteur, traduit en français par P. F. Lavau — Paris. ap. Didot. jun. 237. pp. 8. 1801.

Addidit auctor cum elementares grammaticas notas, tum criticas et historicas.

Intro-

Introduction de la philosophie de Platon, traduite du texte grec d'*Alcinous*, philosophe Platonicien, par *I. J. Combes-Dounous*, l'un des Fondateurs de la Soc. des Lettres — de Montauban. A Paris, an VIII. 199. pp. 8.

Secutus est editionem Heinsii (Fischer. ignorasse videtur) et saepius versiones latinas, quam graeca; utiles tamen animadverss. addidit. Praeterea adiecit versionem libelli Maximi Tyrii de deo Platonis: sur cette Question: qu'est ce que Dieu selon Platon?

Lettres de *Cicéron*, qu'on nomme vulgairement familières, traduites en français par l'Abbé *Prévost*. Nouvelle édition, revue et augmentée de remarques historiques, de notes courantes, et de plusieurs tables. Par *Goujon* (de la Somme). A Paris, chez Goujon, fils. 5. voll. 8. IX.

Auctor novae editionis antiquum epp. ordinem tenuit, nisi quod libros XIV. et XV. locum suum iussit permutare. Epistolas duas ad Q. Fratrem, quas Prevotus seiunxerat et epp. ad Brutum inseruerat, restituit. Textus lat. est adiectus. Caeterum Guionus etiam Prevoti versionem epp. ad Brutum, et Mongaltii epp. ad Atticum, editurus est.

Idylles de Théocrite et de Virgile par *P. L. C. Gin*, à Paris. 1801. II. in 12.

Simplicitas vett. poëtarum in hac prosaica interpetatione desideratur, et multa negligenter sunt scripta. Spectateur du Nord, Ianv. 1802. p. 80. ss.

Entretien de Philiscus et de Cicéron, traduit de Dion-Cassius (XXXVIII, 18—29.) avec des remarques par Saint-Croix, dans le Magasin encycloped. de M. Millin T. IV. 7. An. n. 13. p. 7—32.

Versioni subiectae notae ad crisin et interpretationem textus spectant. Sic φαῦλα praesagia docetur non si-

nistra, sed *ridicula*, esse. Adnotationes adiectae in calce sunt philosophicae et historicae.

Fasti poëtici vernaculi, qui apud nos iam inde pluribus annis variis in locis (Göttingae, Hamburgi Tubingae etc.) prodierunt quotannis, fragmentis etiam vett. poëtarum in patrium sermonem conversis interdum, tamquam gemmis, distincti fuerunt, inprimis Hamburgensis I. H. Vossii. Eorum cum superiori anno ultima particula, eaque XX., exierit, Vossius ornauit hoc anno Göttingenses (*Musenalmanach* für das Iahr 1802. Göttingen, b. Dieterich, 236. p. 16.) versione Epistolae Horatii ad Pisones metrica, quae primum locum recte occupauit, etsi in summa diligentia qua singula reddere et vel totidem versibus exprimere studuit, interdum minus perspicua et auribus nostris grata est. Exemplo sint hi versus, 332. ss.

Bald auf Nützliches schauet der Dichtende, bald
auf Vergnügen;
Oder zum Angenehmen gesellet er Lehre des Lebens.
Was du auch immer befiehlst, kurz fasse dich, daſs das Gesagte
Rasch der gelehrige Geist auffang', und getreu es behalte.
Alles, was überladet, entrinnt dem gefüllteten Herzen.
Wenn zur Belustigung bloſs du erdichtetest, gränz' es an Wahrheit:
Daſs nicht, was es nur wolle, geglaubt verlange die Fabel,
Noch aus der Lamia Bauch vorzieh' ein gefressenes Knäblein.

Superiori anno coepit Herderus singulis trimestribus edere libellos, quibus vere et iuste statuere potissimum

de memorabilibus praeteriti saeculi conatus est. Inscribuntur: *Adrastea.* Herausgegeben von *I. G. Herder.* Lips. 1801. et quatuor adhuc particulae siue libelli prodierunt. In iis cum etiam de litteris et artibus earumque vicissitudinibus disputaretur, inde opportunitatem auctor nactus est, suam de nonnullis poeseos generibus atque de artibus dicendi. Sic Part. I. p. 79. ss. quaeritur, num sint quaedam pulcritudinis formae omnibus temporibus et populis communes? et num species eius temporis decursu elegantiores reddantur, quod utrumque affirmatum est. Part. III. de fabellis earumque origine et indole, inprimisque de veteris et recentis fabellae diuersitate expositum est, p 87. ss. Similiter de Idyllio (s. bucolico carmine) eiusque origine disseritur, p. 177. ss. Eae quidem disputationes breves sunt, neque vel rem satis complexae, neque perspicue scriptae. Paulo fructuosior est disputatio de allegoria et operum artis (Part. IV. p. 232.), cuius etiam leges (p. 238. ss.) non ignotae illae proponuntur, et sermonis (p. 241.). Diligentius vero etiam (ib. p. 291. ss.) de tragoedia Graecorum disseruit (quam mavult *heroicum drama*, Heldenspiel, appellari) eiusque definitionem Aristotelicam tuitus est, dum, quatenus per eam animi motus componantur, atque purgentur, ostendit. Apud Aristot. defendit ἀκρόασιν, quod voc. in κάθαρσιν mutari Twiningio placuerat, cum tamen verba ἑτέρων χειρουργούντων doceant agi de *audiendo* (p. 301.). Deinde per harum disputationum opportunitatem nonnulla carmina antiqua metrice reddidit, quam ipsam ob caussam eum libellum h. l. laudavimus. P. IV. p. 249—253. *Anthologiae gr.* epigrammata artificiis addita conversa sunt (Allegorie der Kunst, nach alten Kunstdenkmalen, ein griech. Hayn). *Horatii* plura leguntur reddita: Epp. L. I. ep. 2. ad Lollium (P. II. p. 242—247.) Eiusd.

L. epist. 2. Nil admirari etc. P. II p. [illegible]. Item L. II Sat. 1. (II p. 330—336), Epp. I ep. [illegible] p. 4[illegible]—4[illegible], Serm. II. Sat. 6. (II. p. 122—131. [illegible] Par. IV. extr. Persii Prologus et Sat. 1. [illegible] [illegible] quarum Satt. versio cum introductione [illegible] Hac excerpimus eum locum, cuius interpretationem a Meistero factam super exhibuimus (T. 92. [illegible]

A. Aber die Verse klingen doch itzt im Nummer zierlich.
Rohes ist glatt gefüget. — P. Auch [illegible] solche zu schliessen
Hat man gelernt. Zum Exempel: „Der [illegible] thischen Attis
Und der Delphin; er zerreisse den [illegible] lichen Nereus.“
Oder: „zogen hinweg eine Ribbe dem langen Apenninus.“
Maro's „Waffen und Mann“ wie sind sie dagegen ein Schaum nur!
Ein dickrindiges, altes, vertrocknet-gedörrtes Astwerk!
Doch was zarteres noch! Mit gebogenem Halse zu lesen: (versus Neronis esse H. existimat)
„Mimalonischer Schall und Hall erfüllet die Hörner;
Bassaris fasset das Haupt des stolzen Kalbes in Wuth-Kraft
Ab es zu reissen: die Mänas lenkend die Lüchse mit Epheu
Schreiet: Evo'! und es hallet die wiederbringliche Echo!“
Spräche man also, wenn Eine Ader vom Saamen der Väter
In uns lebete noch? Vorn an dem Speichel der Lippe

Schwimmt diefs kraftlose Zeug. Die Mänas sitzt
und der Attis
Feucht und weich! sie zerschlugen gewifs im
Schreiben den Pult nicht,
Fühlten auch nichts vom sinnend-scharfzerbisse-
nem Nagel.

Quae non existimamus Meisterianis praelatum iri.

Elementorum Euclidis pars nuper graeca cum vernacula versione prodiit, ut in ea tirocinium poneretur. *Erstes Buch der Elemente des Euclides* für den ersten Unterricht in der griech. Sprache und Mathematik. Griechisch und deutsch, mit Anmerkungen und einem Wortregister. Weimar. 1800. 167. pp. 8.

Consilium editoris nullo modo probandum est. Nam coniunguntur, quae singula tironum ingenia satis exercent, neque graecae linguae initia inde recte cognoscentur, etsi vocabula nonnulla graeca hinc possunt disci.

Aristotelis Poetices, quam Buhlius german. reddidit, novae versionis Specimen dedit *I. I. Meno-Valett*, Kilon. Professor, Kiliae 1799. 2. plagg. 8. et *Iuvenalis* Satyrarum metricae interpretationis periculum non spernendum *Chr. Guil. Ahlwardtus*, Oldenburgi 1800. 3. plagg. 4.

In recentissimis vernaculis versionibus eminet haud dubie Vossiana Homericorum carminum, quae nuper nouis curis castigata voll. 4. prodiit: *Homers Werke von Iohann Heinrich Vofs.* In Vier Bänden. Zweite verbesserte Auflage. Königsberg, b. Nicolovius MDCCCII. 8. Adiectae sunt plures tabulae aen., inprimis eae quibus et cosmographiae Homericae et Troiani atque Cephallenii regni delineatio proponitur. Prima editio ante hos novem prodierat annos. Atque plurimis locis intelleximus auctorem correxisse suam versionem, quod

nescio an non semper feliciter cesserit. Sic Il. XIII, v. 6. olim erat: *Dürftig, von Milch genährt*, quod non satis grammatice dici (nam genitivus requiritur) patet, sed frigidius est quod nunc legitur: welche bei Milch arm leben, ein volk der gerechtesten Männer. V. 11. accuratius est, quod nunc legitur: anstaunend den kampf und die waffenentscheidung, quam quod olim: — Die schlacht und das waffengetümmel. Minus placet, quod v. 15. Dort, entstiegen dem Meer, sah jener mit Gram die Achaier etc. Atque plura comparando utramque edit. disputari potuerunt. Nam ut numeri versuum etiam maior est cura habita, ita in componendis epithetis non recessit a sua Vossius sententia. Caet. politissima omnium recte haec versio iudicatur.

Τυρταιου Ασματα. I cantici di Tirteo tradotti ed illustrati da Luigi Lamberti. Parigi ed Argent. presso Treuttel et Wurtz. An 9. (1801.) 64. pp. 8.

Italica horum carminum adhuc non fuit lecta nisi una versio Gargiulli. Lambertius patriae metricae interpretationi adiecit latinam solutam, et nonnullas Brunkii atque Klotii animadversiones.

De la Republique ou du meilleur Gouvernement. Ouvrage traduit du *Ciceron* et retabli d'après les fragmens et ses autres écrits, avec les Notes historiques et critiques. Paris, an VI. chez Fuchs, 504. pp. 8.

Non alia habuit interpres fragmenta, quam quae iam edita leguntur. Ea autem cum fragmentis integrorum Cic. scriptorum ita vertendo coniunxit, ut nexus idoneus partium singularum existeret. cf. Götting. ephh. a. 1801. n. 87. p. 868.

VIII.

Observationes in Aeschylum et Tzetzae Carmina Iliaca collectae.

Ex censura recentissimae edit. Aeschyli in Nova Bibl. Germ. Vol. LXVI. P. I. p. 224. ss.

In prologo Eumenidum cum saepe numero alluditur ad obscuras de oraculo Delphico mythos, eosque ex antiquis carminibus et traditionibus repetitos, (ὡς λόγος τις. v. 4.) tum commemoratur maxime Apollinis iter oraculi sedem quaerentis. Cuiusmodi de peregrinationibus Deorum fabulae indicant ut plurimum cultum eorum in diversis regionibus constitutum. Atque Apollinis quidem Delphicum iter ut dubitari non potest, quin perantiquis carminibus epicis celebratum fuerit, quae deinceps a serioribus poetis effingerentur: sic de via, quam ille persecutus esset, alii aliter statuisse videntur. Etenim Thebani poetae quique Thebis patrocinabantur, ut Pindarus (fragm. Heyn. T. 3. p. 87. sq.) et Homerida in hymno in Apoll. v. 214. sqq. per Boeotiam et nominatim Thebas profectum narrant, Attici autem Athenarumque fautores, ut Aeschylus et poeta aliquis, quem Ephorus apud Strabonem sequebatur, Delo in Atticam et inde Delphos venisse perhibent. Vid. Matthiae proleg. Hymnor. Hom. p. 30. sq. Iam vero notabile est, Homeridam v. 205. sqq. eadem fere de Thebis, quae Aeschylus de Attica regione, tradere, utroque incultas, asperas et confragosas vias commemorante. Quod autem Aeschylus a Vulcani filiis (fa-

bris) amota dicit itineris impedimenta, in eo discrepat aliquantum ab Ephoro, quippe qui homines ab horridiori victu per Apollinem desuefactos scribit. Quod ipsum necessario fieri debebat, ubi terra ex silvestri habitu in arvum transducta erat. Huc pertinet etiam, quod, Ephoro auctore, ferocem Tityum in hoc itinere interfecit, quemadmodum Theseus, cum Atticam peteret, terram latronibus purgabat. Similiter apud Homeridam Apollo Delphis occidit belluam. Quid autem? nonne mirum, Apollini in Attica nonnisi a fabris honorem habitum? Nam cum Aeschylus Athenas celebrare vellet, videri sane poterat nonnihil adiecisse de solemni pompa, qua cives universi Deum deduxerint. Ac talem Athenienses pompam, quotannis eadem via, teste Ephoro, Delphos miserunt. Quae cum ita sint, non temere suspicamur post v. 12. unum certe versum excidisse.

V. 45. ἀργῆτι μαλλῷ exquisitius est, quam quod a glossatore profectum arbitremur. Imo videtur antecedens versus ex interpretamento natus; in hoc autem legendum τρανῶς ὁρῶ. Τρανὸς saepius de visu epigr. Antiphili XXXIII. in Anthol. Iacobs. T. II. p. 163.

ὄργια Δηοῦς
Κηρύσσων γλώσσης ὄμμασι τρανοτέροις.

Sic rotundiora fiunt omnia, nam eodem verbo, quo nunc finit, inceperat Pythia v. 40.

V. 67. Sic scriptum fuisse putamus:

Καὶ νῦν ἁλούσας τάσδ' ὁρᾷς, μαργοὺς ὕπνῳ.
Ἐμπούσας εἴποις τὰς καταπτύστους κόρας,
Γραίας, παλαιὰς παῖδας κ. τ. λ.

ut Γραίας nomen proprium sit Graearum, quod maiorem loco vim addere videtur. De Empusis elegantem vide Boettigeri coniecturam, Furienmaske p. 61. sqq. Possit etiam locus sic constitui:

Καὶ νῦν ἁλούσας τάσδε, τὰς μάργους, ὁρᾷς.
Ὕπνῳ πεσοῦσαι δ' αἱ κατάπτυστοι κόραι
(Γραῖαι, παλαιαὶ παῖδες, αἷς οὐ μίγνυται
Θεῶν τις, οὐδ' ἄνθρωπος, οὐδὲ θὴρ ποτε·
Κακῶν δ' ἕκατι κἀγένοντ'· ἐπεὶ κακὸν
Σκότον νέμονται, τάρταρον θ' ὑπὸ χθονός,
Μισήματ' ἀνδρῶν καὶ θεῶν Ὀλυμπίων.)
Ἐλῶσιν ἄν σε καὶ δι' ἠπείρου μακρᾶς,
Βεβῶτ' ἀνατεὶ τὴν πλανοστιβῆ χθόνα,
Ὑπέρ τε πόντον καὶ περιῤῥύτας πόλεις,
Ὅμως δὲ φεῦγε, μηδὲ μαλθακὸς γένῃ,
Καὶ μὴ πρόκαμνε.

Versuum dispositionem praeivit censor in Bibliotheca nostra germ. Vol. XL. p. 447. — Ab ἄλη, error animi, amentia, formavimus verbum ἄλω, quod non diffitemur nulla posse auctoritate confirmari. ἁλοῦσαι αἵδε et αἱ μάργοι propemodum idem esset.

V. 95. Ἐγὼ — ἀπητιμασμένη pro nominativis absolutis habemus, ut v. 100. παθοῦσαι etc.

V. 113. 14. Interrogative accipimus, legentes cum Stanleio et Porsono: τῆς ἐμῆς περὶ ψυχῆς φρονήσατ'. Audistisne quae dixi, an nullam mei curam geretis? Supplendum: id non faciatis.

V. 122. Vulgatam tuemur, πέπρακται πρᾶγμα, tum ob alliterationem Aeschylo perquam familiarem, tum quia difficilior est et doctior lectio, tum denique ob similem locum Prometh. v. 49. Ἅπαντ' ἐπράχθη πλὴν θεοῖσι, κοιρανεῖν. Ecquid aliud munus, inquit, tibi conciliatum s. partum est, quam mala perpetrare?

V. 126. πόρου, vestigii, pro πόνου, lenis est et felix correctio, quam Wakefield. quoque protulit in Addendis ad Lucret. 4, 988. Vt vestigia si teneant inventa ferarum.

V. 154. veram putamus emendationem Viri docti

in Bibl. nostra l. l. δαΐου, δαΐου. Frequentes sunt eiusmodi repetitiones. Sic statim βαρύ τι περιβαρύ.

V. 167. Elegans est Iacobsii emendatio ad Anthol. V. 1. P. 2. p. 243. Κἂν ᾖ γε λιρός, αὐτὸν οὐκ ἐκλύσεται. Quamquam nolimus aptissimam vocem λυπρὸς in λιρὸς mutari, quod videtur recentiorum esse poetarum.

V. 171. Φοιταλέῃ κυνηγέτις, quod proposuit censor laudatus, tam felix est coniectura, ut aliis non amplius opus esse putemus [1]).

V. 255. Duritiem vulgatae depellimus, legendo, ἀλλ' ἀντίποινα δεῖ σ' ἀπὸ ζ. ῥ. ut Furiae se alloquantur ipsae, et tunc parricidam, repetita in fine sermonis eadem fere sententia: ἀντίποιν' ὡς τίνῃς.

V. 294. δαιμόνων σκιά, deorum umbra, ironice vocatur Orestes propterea, quod, cum Dii exsangues sint, nanciscatur aliquam cum Diis similitudinem exsucto a Furiis sanguine. Similiter Anacreon de cicada: ἀναιμόσαρκε. Σχεδόν εἶ θεοῖς ὅμοιος.

V. 359. τανύδρομοι potius sunt *extento cursu fugientes*, quam *in longo cursu deprehensi.* τανύποδες de Furiis Sophocl. Ai. 834. ἐκτάθη, τέτατο δρόμος Homer. de equis.

V. 367. Vulgata, δνοφεράν τιν' ἀχλὺν κατὰ δώματος αὐδᾶται πολύστονος φάτις, non indiget correctione. Eius caliginem domi clamat vox moesta. Respicitur forsitan ad obcoecatum Oedipum, in recessu aedium intimo calamitates suas lugentem. Statius Theb. I, 49. sqq. „Illum indulgentem tenebrisque imaeque recessu sedis inadspectos coelo radiisque Penates servantem cet."

1) Imo videtur sat audax commentum esse. Librorum scripturae proxime accedemus legendo κάκκυνηγετῶ.

V. 512. lenitate sua commendatur emendatio ἐν βάϑει καρδίας, a censore saepius commemorato proposita. Sed paullo post legimus cum Schützio: ἔμπολις βροτέσιϑ' ὁμοίως. Sic Cicero de or. I, 51, 223. quid sui cives iique homines, quibus aliquid dicendo persuadere velit, cogitent.

V. 607. Scribendum fortasse: Ἀρχὸς γὰρ οὔτις Ζηνὸς ἰσχύει πλέον, i. e. nullus enim Iove potentior rex est; vel, si audacioribus esse licet, reponamus: Ὡ'ρχὸς γὰρ ἐστὶ Ζεύς, ὅς (vel Ζήν, ὅς) ἰσχύει πλέον.

V. 617. Locus videtur lucem accipere has interpunctione:

Ἀπὸ στρατείας γάρ μοι, ἠμπολημότα
Τὰ πλεῖστ' ἀμείνον', εὔφροσιν δεδεγμένη,
Δρύτην πορῶντι λουτρά.

εὔφροσιν sc. ῥήμασι, φρεσί. — δρύτην — παρεσκήνωσεν non videtur spurium esse, siquidem Choeph. 983 de eadem re occurrit δροίτης κατασκήνωμα.

V. 768. δαιμόνων σπαλάγματα idem est, quod σπλάγματα ὑμῶν. Nec tamen negandum, ingeniosam esse Wakefildii emendationem πλευμόνων eamque confirmari posse v. 843. sqq. αἱματηρὰς ϑηγανὰς σπλάγχνων, βλάβας νέων.

Dispersa est in antiquis scriptoribus Aeschylea loca afferentibus variantium lectionum copia haud exigua, quarum diligentiori indagatione magna sibi quis etiamnum comparare poterit merita. Earum exempla quaedam dabimus ex Prometheo.

V. 2. Villoisoni Schol. B. ad H. XIV, 78. Eustath. ibid. et Phavorinus s. v. ἄβροτος legunt ἄβροτον εἰς ἐρημίαν. Ac voces quidem νὺξ ἀβρότη, Eustathius et alter Scholiastes Venetus explicant, ἐν ᾗ βροτὸς οὐ πρόσεισιν, καϑ' ἣν βροτοὶ οὐ φοιτῶσιν. Vtcunque res sit, aptissimus huic loco significatus est, nec dubitaveri-

mus, lectionem hanc, utpote doctiorem, praeoptare. Cf. v. 20. sqq. ἀπάνθρωπος πάγος, ἵν' οὔτε φωνὴν, οὔτε του μορφὴν βροτῶν ὄψει.

V. 22. Scholion Homericum Wassenberghii ad Il. I, 47. sic affert: Ἡλίου Φοιβοῦ φλογί. Similiter Ἥλιος φαέθων Il. XI, 734. Vulgatam habet Eustath. ad Il. I, 47. p. 38. I, . p. 40. 34 ed. Rom. Videtur ea ex interpretamento in textum irrepsisse. Id enim dubitari non potest, quin Ἡλίου scribendum sit littera initiali maiuscula, ut v. 23. ἡ ποικιλείμων Νύξ, quae verba laudat Eustath. ad Il. X. collato Sophoclis αἰόλα Νύξ.

V. 54. Fischerus animadvv. ad Welleri Gramm. gr. Spec. I. p. 152. unice verum putat Turnebi ψέλια, quod apud Atticos scriptores semper occurrat de armillis, cum ψάλια lupatos significet. Ac sane ψέλια de armillis et annulis usurpatur, sed nostro in loco, ubi non de eiusmodi ornatu sermo est, verum de vinculis, quibus ferox Promethei ingenium domari debet, ψάλια multo convenientius est. Accedit, quod ψάλιον de quovis annulo dictum est, monente Moschopulo apud Valken. ad Ammonium; ψάλλιον, ἀττικῶς· ψέλλιον δὲ κοινῶς. καὶ ἐστὶ ψάλλιον ὁ κρίκος τοῦ χαλινοῦ, ἢ ἁπλῶς ὁ κρίκος.

V. 377. sqq. si hic accipiuntur, ut interrogationem contineant, erunt fortasse significantiores haec facta mutatione: Οὐκ, ὦν Προμηθεύς; τοῦτο γιγνώσκεις, ὅτι Ὀργῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι; Quippe alluderetur ex more Aeschyli ad nomen Promethei, ut v. 328. sqq. ἢ οὐκ οἶσθ' ἀκριβῶς, ὢν περισσόφρων, ὅτι γλώσσῃ ματαίᾳ ζημία προστρίβεται. Quod autem Plutarchus in consolatione ad Apollon. p. 102. B. ψυχῆς νοσούσης exhibet, (quae lectio examinatur a Schützio in editionis maioris Vol. I. p. 32.) id veremur, ne, cum

de tristitiae remediis exponat, utpote consilio suo accommodatius, substituerit. Ceteroquin haud inepta foret haec ratio, aliis quoque adhiberi solita. Sic Soph. Oed. C. 1192. sqq. εἰσὶ χἀτέροις γοναὶ κακαὶ καὶ θυμὸς ὀξὺς (v. 1197. κακοῦ θυμοῦ.) ἀλλὰ νουθετούμενοι φίλων ἐπῳδαῖς, ἐξεπάδονται φύσιν. Plutarch. I. I. p. 118. E. τὸ ἀλγοῦν τῆς ψυχῆς ἀποθεραπεύειν παιωνείοις λόγου φαρμάκοις, et imitator eius, Longin. περὶ ὕψους, p. 16. παιώνιον τινὰ καὶ ἀλεξιφάρμακον εἰς τὰς ψυχὰς τῶν ἀκουόντων καθιεὶς λόγον. Achill. Tat. III, 10. τὸ πονοῦν τῆς ψυχῆς ἡ γλῶττα διακονουμένη πρὸς ἱκετηρίαν τῆς τῶν ἀκουόντων ψυχῆς ἡμεροῖ τὸ θυμούμενον. Ponderis aliquid adderetur illi lectioni, si certum esset, Menandrum non dissimiliter scripsisse: ψυχῆς νοσούσης ἐστὶ φάρμακον λόγος, quem versum attulit Calpurnius, Terentii commentator, ad Heaut. I. 1, 33. At nullo eum alio loco laudatum reperimus, imo similes quidam loci extant, e quibus Calpurnius memoriter fortasse hunc versum exposuit. In his occurrit, quo vulgata loci Aeschylei lectio videatur defendi posse, apud Stobaeum S. XCVIII. p. 332. Οὐκ ἔστιν ὀργῆς, ὡς ἔοικε, φάρμακον, ἀλλ' ἢ λόγος σπουδαῖος ἀνθρώπου φίλου, et alius in Clerici collectione fragm. Menandri p. 276. λύπης ἰατρός ἐστιν ἀνθρώποις λόγος, ψυχῆς γὰρ οὗτος μόνος ἔχει ἰάματα. λέγουσι δ' αὐτὸν οἱ πάλαι σοφώτατοι Ἀστεῖον εἶναι φάρμακον. Quae paullo aliter leguntur in Biseti scholiis ad Aristoph. Vesp. 1254: Λόγος γὰρ ἀνθρώποισιν ἰᾶται νόσους. Ψυχῆς γὰρ οὗτος μόνος ἔχει θελκτήρια. Non exiguam itaque commendationem habet lectio Ὀργῆς, si de insolentia vel de quavis vehementiori affectione animi explices. Stobaeus serm. 98. p. 322. aliam adfert loci scripturam, eamque prorsus adhuc neglectam: ὀργῆς ματαίας εἰσὶν αἴτιοι λό-

γοι; quod frustra quaesiveris ita exponere, ut nexui respondeat. Videtur αἴτιοι mendum esse scriptorium aut typographicum. At si legeretur: ὀργῆς ματαίας εἰσιν ἰατροὶ λόγοι, non male expressa esset vana sine viribus ira, quae Promethei animum occupaverat. Similiter Plutarch. ad Apollon. p. 102. B. τῶν παραμυθητικῶν σοι μεταδοῦναι λόγων πρὸς ἄνεσιν τῆς λύπης καὶ παῦλαν τῶν πενθικῶν καὶ ματαίων ὀδυρμῶν.

Ex F. I. G. La Porte-du-Theil Censura Antehomericorum, Homericorum et Posthomericorum a Cel. Iacobsio, Lips. 1793. editorum in *Millin* Magasin encycl. a. VI. n. 21. p. 27. ss.

Primum de scriptis Io. Tzetzae editis ineditisque ab auctore disseritur. Inedita 14. nominantur, quorum tria ultima, metaphrasis (s. ἐξήγησις) Homerica, Allegoriae homericae, et Iliaca s. Carmen de rebus Troianis, a multis perperam confunduntur. *Metaphrasis* est Iliadis interpretatio prosaica, quae in multis Mss. aut supra versus, aut ex opposito cuiusque vers. scripta reperitur. Allegoriae homericae, quibus fabulae ap. Hom., secundum librorum utriusque carminis ordinem exponuntur, politicis versibus sunt scriptae. Tres codd. sunt in bibl. nat. Paris., in uno 2644. f. carmen continet 5168. versus, in altero (2705. f.) ultra 6000. in tertio (2707. f.) 5800. (v. du Theil p. 29.) Tychsenus (Bibl. der alten Litt. und Kunst, Inedita IV. p. 6.) codicis Bodlei. apographum memorat, in quo sunt circiter 8000. versus. Carmen quod Feder. Morellius edidit sub tit. *Allegoriarum mythologicarum* etc. Par. 1618. 8. nihil habet commune cum Allegoriis Homm., neque ex iis est excerptum, affirmante Dutheilio. Iliaca (quorum tertiae parti, Posthomericis, Duth. tribuit 787. vers.)

in codd. varie inscribitur, in quorum tamen nullo leguntur integra, ita ut ex uno alterius petenda sint supplementa. Reliqua ex ed. Iacobs. cognosci possunt, quae quidem cum maximam partem nitatur codice Augustano, valde illo corrupto, Iacobs. loca multa ex ingenio et comparatione aliorum similium atque eiusdem aetatis scriptorum correxit.

In Posthom. v. 71. distinctionem plenam, quae est post ἑκατέρωθεν in ed. Iacobs., tollendam esse docet Duth. In toto loco nihil esse, quod in Q. Smyrnaei narratione reperiatur, igitur alium, et ignotum auctorem, secutum esse monet.

In Antehom. v. 34. sufficiunt censori quae de voc. Φαίνων Iac. disputauit. At in numeris v. 35. difficultatem superesse monet, nullam fore si scripsisset auctor ἕνδεκα καὶ ὀκτώ.

In Hom. v. 49. ita interpungit:

Οὐ τοῖον Διομήδεος ἔφλεγε πῦρ ἀπὸ ὅπλων.

Tum etiam v. 50. fin. plenam ponit interpunctionem, et post ἀμάρυσσεν comma.

Posthom. 168. aliquid in structura deesse censet Iac. Quae Tzetz. in Schol. habet, ne conveniunt quidem cum tacticis. v. Arriani Tact. p. 57. ed. Amst. 1683.

V. 345. De sepulcro Memnonis est etiam Strabonis locus XV. p. 1058. C. Sed et ille et Tz. verba corrupta sunt in nominibus. Fluvius in cod. Par. 1393. Strab. scribitur Βαδὰν, cod. 1394. Βανδᾶν, cod. 1408. Βανδάν. Pro Δαλιακῶν codd. 1393. 1394. Δηλιακῶν, 1408. Δηλιασικῶν.

Ex Hom. 143. Posthom. 284. 620. 750. colligitur, Tzetzen haec poëmata scripsisse cum frater Isaacus Berrhoeae amplissimo munere fungeretur.

IX.

Parisinae vett. latt. scriptorum edd. et Lucani edd. catalogus auctior.

Inde ab a. VI. reipubl. Gall. *Petrus Didotus*, natu maior, Parisiensis typographus, novum genus editionum, quas stereotypas [1]) dixit, vendere pretio exiguo coepit. Prodierunt adhuc: *Phaedri* fabularum Aesopp. Libri V. accesserunt *Publii Syri* et aliorum veterum sententiae. 99.

1) De inventione huius artis disceptatum est. Etenim iam ante 100. annos Lugduni Batauorum van der Mey legitur simile quid tentasse. Et a. 1736. Ged, Scotus, Sallustium ex fusis tabulis aereis expressit, Alexander autem Tillochius, iuuante Foulisio nuper Xenoph. Anabasin et alia scripta. v. *Tilloch* Philosophical Magazine, August 1801. *Hüttner* Englische Miscellen, V. B. 1. St. p. 72. ss. Et Samuel Falka de Bikfalva, Transylvanus, eodem quo Firmin. Didotus, tempore, atque eius prorsus ignarus, solidas formas (Stereotypos) fecit simpliciores etiam Parisinis, atque specimina earum edidit. v. Allgem. Litt. Anzeiger 1801, 179. p. 1721. ss. Nuperrime Lutetiae Par. prodiit liber: Histoire et procédés du Polytypage et de Stéréotypie par *A. G. Camus*, membre de l' Inst. nat., garde des archives de la Rep. Paris chez Baudouin. A. X. 135. pp. 8. Litteratissimus vir ostendit, iam saec. XVII. extr. stereotyporum initia in Gallia esse facta, et Valleyrium ante a. 1735. tabulis firmis in hac arte usum esse. Tum alia in Germania 1740. facta pericula, et Carezii noua tentamina 1786. artisque progressus per Bouvierium, Petrumque et Firminum Didotos exponuntur.

99. pp. 18. an. VI. — *Cornelii Nepotis* Vitae excellentium Imperatorum. an. VII. 150. pp. — *P. Virgilius Maro.* Bucolica, Georgica et Aeneis. An. VI. X. 390. pp. Ei librarius praemisit praefationem, qua, ut de omni harum editt. ratione et indole, ita de cura, quae in emendanda huius Virgilii lectione posita sit, uberius, et vere, admonuit. Vellemus aeque laudari posse *Horatii* editionem, quae a. VIII. (1800.) exiit (288. pp.) Verum ea ita est castigata, ut partim integrae odae, partim versus et partes carminum omissae, notae autem (Bondtii), saepe futiles, textis subiectae sint. Recentissima, quam quidem vidimus, est: C. Cr. Sallustii Catilinaria et Iugurthina bella. Editio stereotypa. Paris, ex off. stereotypa P. Didot natu maioris et F. Didot. Anno IX. 1801. 150. pp. In primo versu b. Catil. statim errorem typothetarum animadvertimus.

Idem Petrus Didotus natu maior etiam splendidas duorum poëtarum principum latt. editiones curauit, scil. *Publ. Virgilii Maronis* a. 7. (1798.) fol. mai., et *Q. Horatii Flacci* an. 8. (1799.) f. m. Vtriusque non nisi 250. exempla sunt descripta, figuris etiam aeri incisis ornata. In Hor. interdum interpunctio Brunk. mutatur, ut Od. I, 3, 26. *Gens humana ruit* per vetitum; Nefas!

Prodiit etiam non minus insignis formularum elegantia et artificio *Lucani* editio, de qua, quoniam parum constare exteris coniecimus, plura dicemus. Inscribitur:

> *M. Annaei Lucani Pharsalia ex optimis exemplaribus emendata.* Parisiis studio et impensis Ant. Aug. Renouard, typis P. Didot natu maioris. An. Reip. III. M. DCC.XCV. L. 351. pp. fol. m. Impressa sunt 212. exempla.

Praefationem integram descripsimus, quia, quid editor egerit, optime docet. „Post splendidam Pub. Vir-

gilii Maronis editionem a P. Didot nuperrime in lucem emissam, sane dignus erat Belli Pharsalici scriptor, qui formis iisdem, eodemque charactere, parique elegantia excuderetur. Ovidium itaque ac Iuvenalem, quorum recensionem iamdiu susceperam, ad tempus reliqui, meque Lucano edendo subito accinxi, ut Virgilium proxima sequatur haec nova editio. Non Grotianam, nec Cortianam, nec quamcumque aliam editionem potius exscripsi, sed quae mihi magis arridebant lectiones ex optimis codicibus, seu manuscriptis, seu typis descriptis eligens, numquam vero ex meis audacioribus coniecturis, textum accuratissime recensui. Genuinam auctoris interpunctionem multis in locis ita restitui, ut sensus obscurior sola interpunctionis immutatione saepius elucidetur. Quod adhuc in Lucanum desiderabatur, omnium huiusce poëtae editionum atque versionum elenchum sedulo concinnavi, huicque praemisi I. A. Fabricii litterariam notitiam a I. A. Ernesti auctam, densumque a me paululum emendatam. Nihil tandem immo neglexi, ut non modo cunctarum Lucani editionum elegantissima, (quae typographi laus est, non editoris), sed (quod tamen sperare non ausim) optima quoque a doctis viris diiudicetur haec mea editio."

In Fragm. ex Comm. antiquiss. de vita L. sub finem recte editum, ut belli civ. *videantur* acc., non *videatur*; ut in Bip. — In Fabr. not. litt. not. 1. ad verba *edita a Ioanne Britannico* additur haec adnotatio: id est in edit. a Io. Britannico impressa, curis vero Io. Taberii. Palmerii Apologiam in Oudend. ed. Lucani repetitam esse monetur. — Lucanus cum comm. Mss. Zoni est in Bibl. Par. n. 8045. Alius Schol. ms. in Bibl. Vatic. n. 5989. Vbi deperdita scripta recensentur, post *in Octavium Sagittam* editor addidit: qui Pontiam confecerat; tum paullo post: satyricae (seu salticae, ut

plerique scribunt) Fab. XIV. et ad vocab. *salticae* hanc adposuit notam: „Quid sunt salticae fabulae, quae ab Lucano scriptae dicuntur? Crinitus, cum id non intelligeret, contentus fuit dicere, scriptas ab eo fuisse fabulas complures. Puto a saltus formatum esse salticus, ut dicimus coelicus, astricus, civicus, hosticus, genticus, quod apud Tacitum est. Ita fabulae salticae sint, quae res narrant ad saltus pertinentes; ut de amoribus satyrorum et nympharum, quae ab Apoll. Rhod. L. I. v. 1066. ἀλσηΐδες νύμφαι: et similia his alia. *G. I. Vossius de hist. lat.* 1. c. 26.

Elenchus edd. in quinque aetates descriptus his auctus est accessionibus:

Pro *Iō.* (Angelum) *Britannicum* datum est: Io. Taberium Brixianum.

1469. M. Annaei Lucani Pharsalia, ex recognitione Io. Andreae episc. Aleriensis, cum eiusdem epistola ad Paulum II. Romae, Conradus Sweynheym et Arnold. Pannartz, f. 275. exempla impressa; ut intelligitur ex ep. Andreae ad Sixtum IV. T. V. Bibl. cum comm. Nic. de Lyra 1472. ab iisdem editorum.

In epist. ad Nic. Heinsium (Syll. Burm. III. p. 811.) testatur Spanhemius, se in bibl. Heidelb. vidisse edit. Lucani absque loci et anni nota, quam primam existimat. Forsan non noverat ed. 1469.

Lucani Pharsalia fol. absque ulla nota. Exemplar pulcherrimae ed. in membranis impressum fuit inter edd. saec. XV. ap. Smithium. V. Catal. eius p. 40. (Venet. 1746. 8.)

Lucani Pharsalia, f. absque ulla nota. Catal. Pinell. n. 4676. Alia ed. sine nota anni ib. n. 4677. et bibl. reg. Par. Charactere romano eleganter impressa, caret numeris et reclamantibus, sed signaturas habet, ideoque a. 1474. posterior videtur.

Lucani Pharsalia. Lovanii, per Io. Veldener, fol. absque a. nota. Non diu post a. 1474. tanta diligentia curata, ut accuratiorem ullam saeculo XV. prodiisse vix credamus. Acta Erudd. Lips. 1725. p. 429.

Idem Io. Veldener plurimos libros typis evulgavit, inter quos Chronica s. Fasciculus temporum 1474.

Ed. Ven. 1475. XII. Kal. Aug. tantum habet Omniboni Leonic. Vicentini Commentarios in Luc., non textum.

1477. M. A. Luc. Pharsalia (Mediolani) Opus impressum impensis Phil. Lavagniae VI. Cal. Mart. fol. — 1477. Ven. per Iuvenem Guerinum d. XIV. m. Maii fol. parvo.

1477. (Mediolani) Opus impressum et diligenter emendatum sublimi ingenio Magistri Zaroti, d. XXV. m. madiy, fol.

1482. absque loco. Io. de Rheno. 4. v. Harwood. ital. vers. ed. 1793. auctae a Mauro Bono et Barth. Gamba T. II. p. 181.

1483. Parmae per Deiphoebum de Oliueriis XII. Chal. Iun. f.

1486. comm. Omniboni Leoniceni Vicentini. Venet. a Nicolao Battibove Alexandrino III. Id. Maii, f.

1486. Cum commentariis Omniboni Leon. Vic. Brixiae per Io. Britannicum, f. Io. Taberii Brixiani cura tunc primum emendatissimi prodierunt Commentarii qui antea falso Omniboni Leon. Vic. titulo inscripti circumferebantur.

1491. Mediol. per Oldericum Scinzenzeler, d. X. Nov. fol. non cum comm. Britannici, qui numquam commentarios in Lucanum scripsit, sed Omniboni commentarios a Taberio emendatos continet.

1492. Cum commentariis Omniboni. Venet. impensis Octav. Scoti nec non arte Bartholomaei de Zanis de Portesio, ult. Mart. f.

1493. cum Io. Sulpitii Verulani viri doctissimi commentariis a proprio originali extractis, nec non Omniboni Vicent. diligentissime emendatis. Ven. impressum per Sim. Bevilaquam Papiensem, d. ult. Ian. fol. Eius repetitio, ed. Ven. 1498.

Lipsiae per Martinum Herbipolensem, in 4. absque a. nota, sed circa a. 1496. excusa, quo tempore Petrus Aeolicus, qui hanc ed. ex Brixiana a. 1486. expressam curavit, Lucani carmen publice Lipsiae enarrabat. Praefixa est Io. Andreae Aleriensis epist., ed. Rom. 1469. quam tamen Petrus Aeolicus non secutus est.

Halae 1472. 4. Periergi Deltophili (Rewiczky) Catal. p. 79. Hanc tamen edit. ad saeculi XVI. initia pertinere asseverari potest, quod in ea Petri Aeolici praefatio legitur, quae primum in Lips. ed. ad a. 1496. relata prodiit, forsanque Aeolicae editionis mera repetitio est.

1499. Cum Commentariis Io. Sulpitii Verulani et Omniboni Leon. Mediol. f. Sic ap. Maittair.

1501. Cum argumentis I. Sulpitii Ver. et annotamentis marginalibus Chappusoti. Paris. arte impressoria Magistri Io. de Prato. f.

Secundam aetatem editor appellat Aldino - Ascensinam.

1502. Lucanus Ven. ap. Aldum, m. Apr. 8. Libro vetere et correcto, a Marco Ant. Mauroceno accepto usum se Aldus dicit.

Lucanus, absque ulla nota, sed Lugduni, sub fin. 1502. Ex eadem officina intra a. 1501. et 1502. prodierunt Virgilius, Horat. Martial. Iuven. et Persius, Catullus, Tib. et Prop., il Dante, il Petrarca, aliaeque edd. absque loco et a. sed forma enchiridii aldinas mentientes, de quibus aegerrime conqueritur Aldus Ma-

nutius in epist. a. 1503. XVI. Mart. inter codd. Mss. Par. n. 3064.

1506. cum notis Chappusoti et Thiboust. Par. 4.

1508. Mediol. — Recensente Hyac. Arpinate. Impr. per Leon. Pachel. f.

1509. Sulpitiana interpretatione explanati. Iamque denuo longe accuratius revisi. Argentorati, opera Io. Prüss chalcographi argentini hoc insigne Lucani pharsalicum opus: Io. Sul. interpretamentis illustratum, rursus studioeissime exactum. XVI. Kal. April. in 4.

1511. Ven. cum comm. Omniboni et Sulpitii — per August. de Zanis de Portesio, impensis — Melch. Sessae f.

1511. Iacobi a Cruce, Bonon. annotata in Ovid. Virg. Pers. *Lucanum* etc. Par. ap. Ascens. f.

1512. Paris. — per Guilielmum le Rouge — expensis Dionysii Roce, 4.

1514. Paris. — Insunt etiam Ant. Sabellici, Bapt. Pii et al. adnotatt.

1515. Venet. in aed. Aldi et Andreae soceri.

1519. Per G. Versellanum recognita cum Comm. variorum. Lugduni Symon Vincentius per honestum virum Io. Marion. d. V. Mart. in 4.

1520. Argentinae ap. Io. Knoblouch, m. Sept. 8.

1520. Arpini — editionem dubiam appellat. Lipsiensem non memorat.

1520. Lucani Pharsalia cum Comm. Sulpitii et Omniboni. (Venet.) in aed. Guil. de Fontaneto Montisferrati, d. XVIII. Febr. f.

1521. Lugduni in off. Guil. Huyon, 8. repetitio Aldinae, in qua nihil novi praeter errores typogr.

1523. Lugduni per Ant. du Ry, cum annott. Sulpitii et Chapussoti. 8.

1525. Mediolani in off. Io. Angeli Scinzenzeler. Repetitio ed. Par. 1514. (Argentor. ed. non memoratur.)

1528. Paris. ap. Sim. Colinaeum 8.

1533. Lugduni, 8. 1533. Coloniae ap. Cervicornum 8.

1536. Lugduni ap. Seb. Gryphium. 8. (iterum).

1538. Lugduni apud haer. Sim. Vincentii 8. In exemplo bibl. Par. manus antiqua quartum X. adscripsit (1548.)

1539. Lugduni ap. Seb. Gryphium. 8. Ad calcem volum. 1538 — 1539. ap. eundem forma minori.

1541. Liber primus (et secundus) Par. ap. Franc. Gryphium. 4.

1543. Ex correctione Martini Besardi. Par. ap. Sim. Colinaeum. 12.

1543. Lucani Pharsaliae libri X. Par. ap. Mich. Vascosanum. 4. In exemplo Maittairii fuerunt tantum libri III.

1546. Lugduni ap. Seb. Gryphium. 12.

1550. Basil. — In fine Pharsaliae: 1551. m. Augusto. Glareani vero annott. annum 1550. exhibent.

1551. Lugd. ap. Gryph., etiam 12. non tantum 8.

1553. Lugd. cum argumm. et scholiis 8.

1558. Curante Leodegario a Quercu. Paris. ap. vid. P. Attaignant. 4.

Tertia aetas. 1564. Antu. — a Pulmanno etiam adiectae sunt variae lect. ex fide 5. codd.

1569. Lugd. ap. Ant. Gryphium, cum var. lectt. 12.

1576. Antu. cum Theod. Pulmanni var. lect. 12. 1577. (ad ed. 1576.) 24.

Ap. Nic. Anton. Bibl. Hisp. vet. p. 48. memoratur editio Bersmanni Lipsiae 1586. 4. sed videtur eadem esse cum ed. 1584.

1590. De laude Calpurnii Pisonis Carmen Lucano

adiudicatum, inter epigrr. et poematia vetera p. 113 — 121. Par. ap. Dionys. Duvallium s. ap. Nic. Gillium, 12.

1592. — Antu. ex off. Plantin. ap. Fr. Raphelengium. 24.

1593. Praecedentis edit. repetitio. Lugd. Bat. ap. Fr. Rapheleng. 24.

1605. Cum poem. ad Calp. Pisonem. Antu. ex off. Plant. Raphelengii. 24.

Aetas IV.

1614. Cum notis Hug. Grotii. Leydae 8. Sic in Elzeviriorum catal. 1674. p. 109.

1616. in *Ficheti* — p. 1909 — 2036.

Ex emend. Hug. Grotii. Cenomanis ap. Hier. Olivier, 12. absque anno, sed paulo post Grotianam primam.

1619. Amst. forsam eadem ac Lugdunensis, titulo tantum mutato.

1619. Ex emend. Hug. Grotii. Amst. ap. Guil. Iansonium. 24. Cum poem. ad Calp. Pis. et Petronii Spec. Belli Civ.

1626. Ex emend. et c. not. Hug. Grotii. Amst. Iansson. 24.

1627. Ex emend. et c. not. Hug. Grotii. Amst. 24. Sic in Holbachii cat. n. 1295.

1630. Tho. May, Angli, in Lucanum supplem. libri VII. Lugd. Bat. 8.

1634. Lond. c. not. Farnabii.

1636. Ex em. Hug. Grotii, cum carm. ad Calp. Pis. et Spec. belli civ. Amst. Iansson. 24.

1642. — apud nostrum praefigitur 1643. Additae sunt in fine H. Grotii notae ex binis ante hac editis iunctae, auctae, correctae, et Farnabii in margine.

1646. Supplementum Lucani, libri VII. auct. Tho.

Maio. Secunda ed. Lond. 1646. 12. et in altero titulo, Lugd. Bat. 1646.

1648. Luc. Pharsalia, c. not. H. Grotii et Th. Farnabii. Amst. Blaeuw. Repetitio edit. 1643.

1659. Ex em. et c. n. H. Grotii. Amst. 24. — item 1661. — Lugd. Bat. 1663.

1669. Schrevel. Non nisi unam h. a. memorat, Lugd. Bat. et Roterod. ex off. Hackiana.

1670. Lugd. (Gall.) ex officina Bourgeatiana.

1671. ex em. et c. n. H. Grotii. Amst. Dan. Elzevir. 24.

1675. Pharsaliae libri primi particula, c. not. Vorstii, in vett. Poetarum selectis p. 305. Lips. 8.

1702. Ven. 12. — 1705. cum Grotii et Farnabii not. Patavii 12.

1713. In Maettarii Corp. T. II. p. 890—939. Lond. f. Quaedam exempla a. 1721. habent, titulo mutato.

Aetas Quinta. Bentleium recte editor Triumviris addit, quos Bipp. laudant, et de eo haec refert: „Bentleius Lucanum notis Grotii et suis emendatum in lucem dare secum constituerat; et, ut editionem suam auctiorem redderet, Nic. Heinsii in eumdem poëtam adversaria a Burmanno per litteras requisivit; illico, ut ipsum Burmannum in eodem opere iam diu laborasse sensit, manus retinuit, ne in messem amici falcem porrexisse videretur. Inde fit, ut in tres modo primos libros eius notae exstent absolutae, ceteris non semper ultimam linam perpessis. Quae in splendida ed. 1760. curis Rich. Cumberland, primum fuerunt typis evulgatae."

1751. Lond. typis Io. Brindley II. 12. — Ad edit. Cortii fideliter expressa. Glasguae, 8.

1760. C. n. H. Grotii et R. Bentleii curante Rich. Cumberland. Strawberry-Hill, 4.

1766. In collectione Pisaurensi omnium poematum

latt. (VI. 4. ubi cuique auctori praemissa est notitia litt. ex Fabricio cum nonn. additt.) T. III. p. 1—62.

1767. cum suppl. Th. Maii. Paris. typ. Barbou, 12. Hanc ed. curavit Io. Goulin, medicus, cuius nomen quorundam exemplarium titulo impressum legitur.

1779. Manhemii 8. 1783. Venet. 8. Eod. anno Biponti. 8.

1785. Ad edit. Cortii fideliter expressa. Glasguae, Andr. Foulis, 8. Ed. typographorum mendis deturpata.

Sententiae et proverbia ex diversis poetis (ex Lucano p. 120 — 122.) Lutetiae off. Rob. Steph. 1548. 8.

Quaedam ex Luc. excerpta in illustrium poetarum flor. per Octav. Mirandulam collectis et a studioso quodam in locos communes nuper digestis. Argent. ex aed. Wend. Richelii, IV. Kal. Sept. 1538. 8.

Acute dicta omnium vett. poetarum latt. ad usum ducis Guisii collecta. Par. 1664. 12. (lib. III. p. 238—278. et passim in sequ. libro).

Sententiae vett. poetarum per Geo. Maiorem in locos communes digestae, ac tandem post auctoris supremam manum multum auctae ac locupletatae. Lutetiae, Rob. Steph. 1551. 8. Eaedem emendatius recusae. Antu. off. Cph. Plantini 1574. 12.

Versiones. 1. Francogallicae.

Les Gestes des Romains, extraicts des Livres de Lucain, MS. chart. in fol. medii saec. 16. in bibl. nat. Paris. In fine: *F. de Refuge.* In fronte alia manu scriptum: *Il est à moy Guyot de Refuge.* Ex nobili familia Britanniae minoris ortum esse coniicitur. In eadem bibl. tria mss. bombyc. saecc. XIV. et XV. conti-

nentia historiam Caesaris ex *Lucano*, Suetonio, et Sallust., diuersam ab his editis:

1490. Lucan, Suetoine, et Saluste, en frãcoys. Paris, Pierre Le Rouge, f.

1500. Lucan, Suetoine et Saluste, en frãcoys. Impr. a Paris le XVII. jour de Sept. mil cinq cẽ pour Anth. Verard, f.

1623. Par. Mich. de Marolles versio, 8. Eadem correcta 1647. et cum novis correct., poemate Petron. de mutat. reip. et panegyr. Lucani ad Pison., lat. et fr. Par. 1654. 8.

Eum interpretem sensum et elegantiam scriptorum, quos vertit, saepius corrupisse, quam reddidisse monetur. In praef. editionis tertiae commemorat versionem (siue potius, liberam imitationem) libri primi versibus francog. expressam ab Achille de Harlay (Marquis de Breval, sieur de Champvallon) quae tamen typis non est mandata. Marollesius etiam versibus reddidisse selecta Lucani loca fertur, sed nulla huius operis vestigia, ne in catalogo quidem opp. eius, adiecto versioni Virg. 1673. 8. reperit.

1654. et 55. La Pharsale de Lucain en vers françois par Brébeuf. Paris Ant. de Sommaville (impr. a Rouen par L. Maurry) 4. quinis partibus, quarum quaeque duos habet libros. 1657. Eadem versio, Rouen, Maurry 12. (cum aen. tabb. Chauveau). 1658. eadem ib. 12. c. fig. 1658. eadem Lugd. Bat. ap. Io. Elzeuir. item: 1659. Par., de Sommaville, 12. fig. — 1663. 1665. ib. 12. fig. — 1666. eadem, cinquieme éd. Impr. a Troyes et se vend à Paris, chez P. Ribou 12. (Est vero octava ed. et continet partim praefatt. a Brebeufio singulis partibus primae ed. praemissas, partim novas correctiones.) — 1670. Par. Loyson, fig. — 1678. Colon. P. Marteau, 12. — 1682. Par. Cochart, 12. f. —

1683. Hagae Com. 12. — 1702. Par. 12. — 1795. Cum textu lat. et fig. delin. a Perrino. Par. Maradan II. voll. 8. (Billecoquius operam dedit, ut textus quam emendatissime describeretur.)

1656. Lucain travesti, en vers enjoués. Rouen, Maurry 12. Non nisi primi libri parodia est, auctore eodem Brébeuf, cui tamen ea opera non satis bene cessit. (traduction burlesque très mauvaise).

1664. Dissertations sur la Pharsale, les Entretiens solitaires, la défense de l'eglise romaine, et autres ouvrages de Brébeuf, par Guill. Duhamel (Breb. amicum) Par. Savreux, 12.)

1688. La Guerre Civile de César et Pompée trad. en prose françoise, par Philibert Quartier, avec les caracteres historiques de ceux qui ont été les principaux auteurs. Par. 8. (Idem Quartier, Soc. I., a. 1685. *Cic. epist. ad famil. cum not.* ad usum Delphini ediderat.)

1765. La Pharsale de Lucain, trad. par P. Toussaint Masson, trésorier de France, Par, Dufour, 12. 1766. Eadem versio, correcta et notis aucta. Par. II. 12.

1766. *Marmontelii* versio francog. Par. II. 8. c. fig. Eadem in Marmontelii Opp. (Par. 1788. XVII. 8.) T. XIII. XIV.

1773. La Pharsale, poëme de Lucain par le chev. de Laurès. Par. 8. Multa mutavit et contraxit in Lucani carmine; episodia quaedam addidit; alia omisit. Non minore libertate Brebeufius fuerat usus.

Laharpius etiam praestantissima quaedam Lucani loca versibus expressit.

De reliquis verss. et libris ad Luc. pertinentibus afferemus tantum, quae ap. Fabric. in Bibl. Lat. et Harles. in Brev. not. litt. R. eiusque altero Suppl. non legun-

tur. Auctorem versionis ital. ab anonymo circa a. 1310. factae esse Zucharum Bencivennium existimauit Salviatus. v. Nic. Anton. Bibl. vet. Hisp. p. 49.

Libro extracto da Salustio e Lucano e Suetonio con Iuliano e altri grandi historiographi e summi poeti. 1492. f. — Versionis quae per Card. de Montichiello 1492. prodiit, Rom. 4., octonario rhythmo scriptae, auctor dicitur Luc. Manzoli, qui d. 14. Sept. 1411. mortuus est Florentiae. — Eadem versio, 1492. Milano per Cassano de' Mantegazii, d. VII. Sept. 4. In hac ed. et Ven. 1495. accesserunt argumenta in Phars. libros hexametro scripta.

Morigii versio (in verso sciolto) primum prodiit Ravennae 1579. 4. — Alberti Campani (cui vita Luc. et disputatio de eius virtutibus adiecta est) ad a. 1640. (Ven. 12.) refertur; *Meloncelli* versio ad a. 1707. (octonario rh., ottava rima.) De Valfredi vers. ined. La Bibliotheca Aprosiana di Cornelio Antivigilmi. Bologna 1673. 12.

Primus et secundus liber, ital. octon. rhythmo a Io. Ant. Robillo, in eius Poesie postume Ven. 1680. 12.

Ineditae Luc. verss. ital. Balth. Bonifacii, teste Quadrio, T. VI. p. 701.; I. Bapt. Nani, soluto sermone; rhythm. octon. primi et secundi libri auct. I. Mar. Crescimbeno; alia in Mss. Bibl. Mediceo — Laur. cod. XXII. plut. LXI.

Lucano poeta y historiador, antiguo, traduzido en romance por Martin Lasso de Oropesa. Amberes 1553. 8. Bibl. Askew. n. 765. Eadem 1585. Antu. 1588. Brug. — Alia versio hisp. prosaica Io. de Xanregui, Madr. 1683. 4.

Versiones anglicae; versibus, auctore Arthur Gorges Knight, edita ab eius filio Carew Gorges, Lond. 1614. fol. mil. — Tho. Maii, L. 1627. 8. ed. sec. cor-

fecta et notis aucta 1631. 8. — continuatio carminis a Maio scripta. L. 1630. (Versio et contin. 1679.)

Rowii versio cum praef. Welwood primum prodiit L. 1717. f. c. fig. tum 1720. 1722. 8. 1753. II. 12.

M. Annaeus Lucanus van 't Borger oorlogh der Romeyen — — overgeset in Nederlands rym-dicht door D. Heyndrick Storm. T' Amsterd. by Mich. Colyn. 1617. 4. Altera ed. 1620. 8.

Scripta de Lucano: Tho. Guichardi Rhodii Oratio in Pharsaliam in celeb. Scholasticorum apud Tholosates conventu perorata. Tholosae ap. Io. de Guerlins. 1519. 8.

Franc. Insulani mathematica pro Lucano apologia adv. Ios. Scaligerum, carmine scripta. Par. Io. Richerius, 1582. 4. Ios. Scaligeri epistola aduersus barbarum poëma Insulani patroni clientis Lucani. Par. ap. Mamert. Patissonium 1582. 4. Franc. Insulani ad Scaligeri epistolam responsio et de exacta anni emendatione. Par. Io. Richer. (1583.) 4. V. *La Croix du Maine* Bibl. Gallicae T. I. p. 227. s. (art. François de l'Isle) ed. nov. 4.

Pensées de M. Charl. *du Tot de Ferrare*, Conseiller au Parl. de Normandie, touchant deux endroits de la Phars. de Lucain (I. 47. III, 183.) Mem. de Trévoux 1702. Iul. p. 40. ss. Dec. p. 441. ed. Bat.

Dav. Bernardi Diss. de statu mortuorum ex mente vett. Druidarum ad Luc. I, 451. ss. Lips. 1732. 4.

De Lucano Andrès dell' origine, progressi e stato attuale d'ogni letteratura, T. II. p. 124. ss. St. Evremond T. IV. p. 319.

Lucani historiola critica auctore Suenone Ant. Lindbergio — Ups. 1761. 8.

Ezrae de Clerk van Iever Specimina duo selectarum obss. in Lucanum 1772.

Petrus Christianus centonibus Lucani descripsit bella belgica suae aetatis. Inscribitur liber: Lucanici centones ex pharsalico bello desumpti, a Petro Christiano. Bisuntii 1598. 8.

Haec retulisse ex praef. editoris placuit, ut cum aliorum copiis compararentur. Nondum ille secunda editione epistolae Martyni Lagunae potuit uti.

Non longe ab init. l. l. (v. 10.) perperam Par. editor scripsit *trophaeis*. V. 31. l. l. edidit *discindere* (non *descendere* ut Bip.) V. 74. Antiquum *repetens* iterum chaos omnia: mixtis etc. V. 96. *pontusve*. V. 101. et geminum gracilis *mare* separat — V. 110. *possidet* orbem. V. 203. sic distinxit: Ille, erit ille nocens etc. et v. 222. verba ita collocauit (paulo mollius): Turba vado faciles iam fracti flum. und. — Verum haec specimina e 300. prioribus versibus petita sufficiunt, ut intelligatur, qua ratione constituerit editor texta, et quam multa desiderari fuerit passus.

Caeterum Renouardus et alias minores vett. scriptt. latt. edd., forma min. (in 18.) eleganter et recte descriptas curauit, paucis exemplis factis (270.). In manibus sunt: *Apuleii* Metamorphoseon Libri undecim ex optimis exemplaribus emendati. Par. 1796. ap. Renouard, tribus voll. 18. atque similiter Ciceronis Catill. Oratt. 4. voll., Sallustium, Plinii Panegyricum, Eutropium, Taciti Germaniam etc. editos comperimus.

X.

De libris nonnullis, quibus historia litterarum et auctorum vett. illustratur.

Harlesius, Vir illustris, cuius industria rem litterariam antiquam multis libris iam auxit, superiori anno duo noua volumina operum luculentorum, quae ad utrasque litteras, graecas et latinas pertinent, edidit, paucis indicanda.

Io. Alberti Fabricii Bibliotheca graeca s. Notitia scriptorum veterum graecorum quorumcumque monumenta integra aut fragmenta edita exstant etc. Editio nova, variorum curis emendatior atque auctior, curante *Gottlieb Christophoro Harles*, Cons. Aul et P. P. O. in Vniv. Litt. Erlang. Accedunt *Christophori Augusti Heumanni* Supplementa inedita. *Volumen septimum*. Hamburgi. Apud C. E. Bohnium MDCCCI. XXIII. 804. pp. 4. mai.

Mutatus est capitum veteris edit. ordo, ita ut coniungerentur magis, quae vel temporum vel argumentorum rationibus nexa sunt. Inde evenit, ut in numerandis et in collocandis capp. huius voluminis quaedam, ut fit, confunderentur. Nonnulla vero, ut in superioribus voll. sunt omissa, partim quae ad antiquitatem eccles. potius pertinent, ut Allatii opus de libris eccless. Graecorum, atque aliae diatribae, partim quae alibi melius sunt edita, aut omnino post Febr. aetatem vulgata sunt, partim quae minus plena dedit Febr., ut Pselli opusc. de omnifaria doctrina, quod in codd.

Taurin.

Faurin. multo legitur uberius. Ex iis tamen nonnulla supplementis inserentur, si ita plerisque placuerit. Nos quidem arbitrati sumus, omissis iis quae nunc multo melius alibi leguntur edita, ea repetenda esse et quidem integra, quae extra hanc bibl. non ita facile a quovis comparari possunt, ne quis veterem editionem desideret. Agit igitur hoc vol. de codice apocrypho N. T. Cotelerii patribus Apostolicis similibusque collectionibus, de patribus eccl. usque ad saec. IV. initia, haereticis item inprimis Manithaeis. Sectionem de Melitone, et de scriptt. saecc. II. et III. atque de Manichaeis suis additamentis ornauit *Keilius*, sect. 29. de Methodio *Sixtus*, theologus Altorf., reliqua capp. omnia editor locupletauit; pauca sunt aliorum additamenta. Et Heumanni supplementa, quae iam inprimis voll. non magni erant momenti, nunc leuissima sunt. Capp. de Athanasio et Ephraemo Syro, nolente editore, omissa sunt, cap. de Constantino M. iam in VI. vol. relatum est. Sequitur caput 4. de Eusebio Caesar. et aliis hist. eccl. atque chronicorum scriptt., tum quintum de Byzant. s. Cpolit. historiae scriptt., quod tamen non totum hoc volumine comprehendi potuit; desinit enim illud in Ioannis Anagnostae narratione de occupata Thessalonica. Atque in his omnibus locis et capp. cum emendandis tum augendis, non facile ullo praetermisso recentiore libro, qui eo spectat, diligentissime versatum esse editorem grati profitemur. Iniquum enim est, notare, omissa esse, quae vix unius viri vel studium vel fortuna, potest complecti. Tria tamen optauimus: 1. ne editor saepius nos Introductionem suam in hist. linguae gr. consulere iuberet. Nam etsi breuitatis studium vehementer laudamus: tamen illud est Fabricianum opus, in quo iusta copia, non verborum sed rerum, postuletur, et in quo nihil deesse debeat, quod

in minori libro qui fortassis non omnibus ad manum sit, quaeratur; 2. ut codices semper in ipso opere recenserentur, non, nunc in animaduersionibus, nunc inter Fabricii disputationes; 3. ut etiam de scriptorum orationisque eorum siue virtutibus siue vitiis iudicaretur; quod olim certe nonnunquam factum est.

Theophili Christophori Harles Supplementa ad breuiorem notitiam litteraturae Romanae inprimis scriptorum latinorum. *Pars posterior.* Lipsiae in libr. Weidmann. cIↃIↃCCCI. 551. pp. 8.

Vt consilium Breuioris Notitiae spectauit eo, ut potissimum scriptores latini et veteres et recentiores, secundum aetates suas dispositi earumque editiones cognoscerentur primariae, interpretes probabiles, et libelli qui ad eos pertinent, ita horum Supplementorum hanc iniit rationem Harlesius, ut augeret notitiam edd. antiquiorum et principum, nuper accuratius vel ab aliis descriptarum vel ab auctore inspectarum, atque aliarum, versionum et libellorum criticorum. Hinc etiam prioris potissimum partis satis larga Analecta p. 474. ss. addidit. Vellemus inditem subiectum indicasse omnia loca, quibus in Supplemm. et Analectis de aliquo auctore legatur, ut quaerendi labor magis iuuaretur. Caeterum nonnunquam V. ill. inseruit longiores disputationes animaduersionesve, ut p. 126. ss. van Goens epistolam criticam de quibusdam Martialis locis, quia rarius ea occurrit. Noluimus hoc loco deesse, quae Müllerus V. Cl. adiecit:

Mülleri, Rect. Sch. episc. Cizensis, Supplementa ad Fabricii B. Gr. Vol. VII. in Epph. litt. Erfurt. 1801. n. 39. p. 308. ss.

Ad p. 11. Opusculum Dionysii Areop. de divinis nominibus Marsilio Ficino interprete impressioneque noua luculentum. Ven. 1501. 4.

Ad p. 41. Prima ed. epp. Ignatii Dillingae cura Val. Pacei (Fried.) non est 8. sed 4. — Ed. Antuerp. 1572. 8. (N. 2.) non graecum textum, sed solam lat. vers. cum Schol. habet, inscripta: D. Ignatii — epistolae prorsus apostolicae. Hier. Vairlemio Sylvio interprete, cum brevibus scholiis. Antu. 1572. 8. ap. Ch. Plantinum. — P. 42. perperam Geneuae 1723. pro, 1623. legitur. Tho. Reinesius exemplo huius ed., ut et Vossianae, Amst. 1646. 4., quod utrumque est in bibl. episc. Cizensi, adscripsit multas var. lectt. et glossemata.

Ad p. 54. Ιουςινου φιλοσοφου και μαρτ. λογος παραινετικος προς Ελληνας. Paris. in aedibus Carolae Guillardae ad solem aureum via Iacobea. MDXXXIX. 4. In fine. Parisiis excudebat Ioannes Lodoicus. MDXXXIX.

P. 69. in prima lat. Iust. edit. interprete Perionio pro, *Benedictino Cormeriacensi* leg. *Benedictino Cormoeriaceno*, et in secunda ed. voc. *Boiemo* post *Gelenio* delendum, quod nou est in Bas. 1555. fronte. In Sylburg. Heidelb. 1593. post *versione* addendum; *latina passim emendata.* — In repetita Sylb. ed. Paris. 1636. typographus non *Claudius*, sed *Michael Sonnius* appellatur. Th. Reinesius Athenagorae Leg. p. Christ. quae huic editioni adiuncta est, multas adscripsit notas.

P. 79. Grynaei ed. Irenaei, quae est fol., non 8. ita inscribitur: Irenaei episcopi Lugdunensis opus eruditissimum olim Erasmi Roterod. opera emendatum, nunc vero nova libri primi conversione singulorum capitum argumentis et variae lectionis observatione, studio Io. Iacobi Grynaei illustratum et recognitum. Basil. per Eusebium Episcopium et Nicolai fratres haeredes. Anno MDLXXI. 8. Thomas Reinesius exemplo bibl. Ciz. multas emendationes adscripsit.

Ad p. 96. s. Exemplum Nannii ed. Athenag de Re-

surr. a M. inspectum habet tantum versionem lat. et inscribitur: Athenagorae Atheniensis, philosophi Christiani, de mortuorum resurrectione, Petro Nannio Alecmariano interprete. — Par. ap. Chr. Wechel. 1541. 4. Forsan textus gr. separatim est descriptus.

Ad p. 128. Non Cyr. Strozza Clementis Alex. Opera Flor. 1551. vertit, sed Heruetus tria illius opera. Editio inscribitur: Clementis Alex. omnia quae extant opera, nunc primum e tenebris eruta, latinitateque donata Gentiano Herveto Aurelio interprete. Laur. Torrentinus excudebat Florentiae MDLI. f. — Editionis c. not. Sylb. et Heinsii, L. B. 1616. exemplo Cizensi Reinesius doctas adnotatt. adscripsit.

Ad p. 288. Sex. Iulii Afric. κεςῶν ms. cum varr. et glossematis Tho. Reinesii est in bibl. Cizensi.

Ad p. 341. Commentariorum in praecedentem Chronologiam Eusebii liber unus, autore Ioanne Functio, MDXLV. f. ed. Basil. 1549. exemplo Ciz. adiunctum.

P. 316. (364.) In fronte ed. Eus. de praep. Ev. 1628 nulla mentio Donati interpretis. Inscribitur: Eusebii de demonstr. euang. libri decem. Quibus accessere nondum hactenus editi, nec visi contra Marcellum libri duo: de eccles. theologia tres, omnia studio R. M. (h. e. Rich. Montacutii) latine facta, notis illustrata, et indicibus loco suo necessariis locupletata. Par. MDCXXVIII. f.

P. 394. Ed. Aldina Eusebii c. Hieroclem, prodiit 1501. (non 1502.) f. et adiuncta ei versio lat. Zenobii Acciaioli 1502. non 8. sed etiam fol.

Ad p. 396. Ex Eusebii Comm. in Psalmos non superesse nisi excerpta, docuit Ernestus Narr. crit. de interpr. proph. Mess. in eccl. Christ. in Opuscc. theoll. p. 509.

P. 430. not. ff. versio Theod. ita inscribitur: Theo-

doriti, episcopi Cyrensis, rerum ecclesiasticarum libri quinque conversi in latinam a Ioach. Camerario, Papebergensi. Catalogi episcoporum in praecipuis ecclesiis et Caesarum atque aliquot orthodoxorum nec non sectarum praecipuarum illius temporis historiola, eodem auctore. De essentia et substantia ex graecis conversiones eiusdem Basil.

P. 438. Nicephorus ex versione Langii non primum Basil. 1553 sed iam 1551. prodiit.

P. 459. Codex Augustanus Georgii monachi Chronici non ad Georgium Syncellum, sed ad *Georgium Hamartolum* spectat. (p. 464.) Cf. Scaligeri Epp. 391. p. 677. In bibl. Cizensi est codex Chronici Syncelli. Eadem habet raram Dav. Hoeschelii ed. Procopii cum var. lect. Th. Reinesii (p. 577.), et codicem Georgii Pachymeris (p. 782.) paraphr. in totam Aristot. philosophiam.

Eiusdem V. doctiss. Additamenta ad Harlesii Supplem. breu. notit. litt. Rom. P. II. in iisdem ephh. n. 43. (1801.) p. 339. s.

Valerius Maximus, L. 1513. f. — Pomponius Mela 1519. Cracouiae 4. it. Lipsiae 1521. 4. Paris. ap. Wechel. 1532. Optima Melae editio Abr. Gronouii 1761. 8. — Probi Instituta artium, Vicentiae 1509. f. it. Probi Grammat. Institutt. et de notis. Hanov. 1605. 4. — Taciti Germania, Lips. in edibus Wolfg. Monacensis 1502. 4. — Persius Argentine 1517. 4. — Iuuenalis, Venet. 1523. f. ex aedibus Io. Francisci et Io. Antonii de Rusconibus (quam edit. nec Rupertius, nuperus Iuuenalis editor, habet).

Ad Martialem (p. 124.) add. libellus: Ancarium Martiali L. X. ep. XCV. restituit M. *Io. Gottlieb Bosseck*, L. 1740. 4.

Gellius summa accuratione Io. Conelli Carnotensis

ad recognitionem Beroaldinam Parrhisiis 1512. 4. — Iustinus Mediol. apud Minutian. 1502. f. it. cum indice copiosissimo Camertis, Viennae 1517. 4. — Flavius Vegetius de re militari Libb. IV. Lugd. 1523. 8 — Eutropii probabilem ed. scholarum usui curauit *Meinecke*, Lemg. 1798 8. — Priscianus cum expositione de Aingre, Ven. 1509. f. — Wernsdorfii editio Poett. latt. min. 1799. Tomi VI. parte posteriore finita est.

P. 173. Cic. Rhetoric. Parisiis, expensis Io. Granion 1507. 8. Cic. Rhetor. ad C. Herennium L. IV. cum eruditiss. elucidatt. Franc. Maturantii et Ant. Mancinelli, et: de Inventione L. II. a Mario Victorino Rhetore expositi — Parrhis. 1508. f. — P. 223. Cic. Tuscul. quaestionum Libb. V. Selestadii in aed. Lazari Schureri, 1521. 4. — P. 232. Cic. de Offic. cum comment. Petri Marsi eiusque recognitione: insunt praeterea Paradoxa, de amicitia, de senectute cum interpretibus suis. Venet. per Barthol. de Zanis de Portesio, 1498. f. — P. 233. Σχηματισμοι, tabulae trium M. T. Ciceronis librorum de officiis, auctore Io. Riuio. Bas. 1561. f.

P. 299. Salust Venetiis per Franc. Garonum, 4.

P. 412. Horatii epistolarum liber — impress. Liptzick per Melch. Lotter 1507. 4.

P. 435. Horatii de arte poet. liber ad Pisones, latine et anglice, cum notis crit. hist. et poet. per Car. Roscommon. Dublin. 1743. 8.

P. 458. Ovid. Lib. Heroidum — cum expositione Ant. Volseii Ubertini. Mediol. per Io. Scinzenzeler 1517. f. c. figg.

P. 467. Ouidii Metamorph. Libb. XV. cum Raph. Regii enarratt. Mediolani per Io. Ant. Scinzenzeler. 1517. f. c. figg.

Etsi non modo iam ante plures annos *Monachus Orgivalius* (le Moine d'Orgival) Francogallus de caussis litterarum bonarum apud Romanos subtiliter disputauit, cuius libellus in vernaculum sermonem conuersus prodiit 1755., sed etiam nuper Merianus, Hegewischius, aliique in eodem argumento tractando versati sunt: tamen non inutile visum est, Suecicum libellum *Eberhardtii* (mortui d. 4. Ian. 1796.), qui litterarum elegantium apud Romanos fata persequitur, in patrium sermonem vertere, quod cum primum factum esset in Promtuario Hanpoverano 1798., hanc versionem repeti iussit anonymus vir doctus, ita tamen ut nonnulla loca emendaret, collato Suecico exemplo, plurimas autem adderet, et doctas, animadversiones, quibus historiam et virtutes singulorum scriptt. exposuit, atque laudaret qui de iis scripserunt historiamque litterariam locupletaret. Inscribitur liber:

Iohann Hartman Eberhardt über den Zustand der schönen Wissenschaften bey den Römern. Aus dem Schwedischen. Mit Zusätzen. Altona b. Hammerich, 1801. 8. 348. pp. (h. e. Eberhardt de conditione litterarum elegantium inter Romanos. E Suecico. Cum additionibus).

Complectitur omne Romanorum tempus ab initio litterarum usque ad interitum imperii occidentalis a. 476. Nonnulla, quae editor monuit, inde afferemus speciminis caussa. Massiliam fuisse litteris graecis potissimum cultam, atque eo etiam Romanos esse litterarum causa profectos p. 5. s. ostenditur, quo loco etiam obseruatur, philologum Argentoratensem, qui fere *Kuhnius* scribitur, proprie fuisse *Khunium* appellatum. De Saliorum carminibus et Saturnio versu est p. 12. dictum. De orationibus, quas historici vett. suis narrationibus inseruerunt, variae commentatt.

laudantur p. 16. s. Nomina Livii (Andronici). Laevii, Naevii et Novii in codd. saepe esse permutata p. 57. monetur, atque inde iudicatur de nonnullis poematibus alterutri illorum male tributis. Eberhardtus ut alii hymnum a Liv. XXVII, 37. memoratum cum carmine saeculari confudit. De Ennio eo copiosior est editor, quo pauciora dixerat auctor, inprimis de eius Duloreste p. 35. ss. Nam solum Pacuvium scripsisse huius nominis fabulam censet. Etiam de Plauti fabulis deperditis docte disputatur p. 44. ss. Attii Decius editorem impulit, ut p. 59. et laudaret, qui de eius devotione egerunt, et ostenderet nepotem non, ut avum et patrem, se devovisse. De iis qui fabulas togatas composuerunt, omnino copiosius exponitur, ut de Satira Romanorum p. 74. s. De bibliothecis Romanorum, qui scripserint p. 135. laudantur. Inprimis diligenter editor exposuit de iis, quorum plerique libri interierunt, ut de Valerio Messala Corvino p. 141. de Cassio Severo p. 191. ss. (ubi Maffeii disputationi de eo multa adduntur, quod etiam factum in Pomponio Secundo p. 255.), de Hadriano Imp. p. 301. Omnino enim de iis editor in suis adnotatt. potissimum egit, qui ab aliis neglecti sunt, atque ea adtulit quae fere alibi desiderantur, laudauit quoque multas plerisque ignotas commentationes, ita ut hoc quoque nomine libellus ille commendandus sit.

Brüggemannus, qui ante 4. annos, Conspectum omnium edd. et versionum anglicarum vett. auctorum ediderat, luculentum et diligentem nuper eius Supplementum prodire iussit, inscriptum:

A Supplement to the View of the English editions, translations, illustrations of the ancient Greek and Latin Authors with Remarks, by *Lewis William Brüggemann*, Counsellor of the Consist. of Stettin in Pomerania and Chaplain in ordinary to his

Prussian Majesty. Stettin, printed by I. L. Leich. MDCCCI. 150. p. 8. mai.

Et continentur quidem eo; Supplemento partim quae inde a tempore compositi superioris libri prodierunt edd., partim quae tum editoris curam effugerunt. Laudantur interdum etiam iudicia criticorum Anglorum, atque alia de libris adferuntur, quae notatu digna sunt.

Eiusdem generis Supplementum ad vernacularum versionum indicem nuper *Degenius* prodire iussit.

Nachtrag zu der Litteratur der teutschen Uebersezzungen der Griechen von *Iohann Friedr. Degen.* Erlangen in der Waltherschen Kunst- und Buchhandlung. 1801. 1 Alph. 8. (h. e. Supplementum indicis vernacularum versionum Graecorum scriptorum, auctore *Io. Fr. Degenio*).

Paucis ab hinc annis auctor absolvit litteraturam versionum scrr. vett. graecorum. Supplementum hoc non modo recentissimas inde ab a. 1797. enumerat, sed et antiquiores, hactenus ignotas.

Wachlerus, nunc Marpurgensis theologus, universam litterarum historiam in usum iuuenum, qui litteris operam dant, conscripsit. *Versuch einer allgemeinen Geschichte der Litteratur für studierende Jünglinge und Freunde der Gelehrsamkeit.* Von *Ludwig Wachler. Erster Band.* Lemgo in der Mayerschen Buchh. 1793. XVI. 566. pp. *Zweyter Band.* 1794. 550. pp. *Dritter Band erste Abtheilung* 1796. *Dritten Bandes zweyte Abtheilung* 1801. 940. pp. 8.

Primum volumen complectitur antiquos scriptt. usque ad interitum Rom. imperii. Recentioribus temporibus (P. III.) etiam philologiae historiam persecutus est, ac de libris eorumque auctoribus copiosius dixit, quam de litteris ipsis earumque vicissitudinibus.

XI.

Animadversionum ad auctores vett. spec. secund. quo actum oratorium in schola Bergensi 22. Mai. habendum indixit *I. Gurlittus*. Magdeb. 1801.

Continetur apparatus critici ad Iuvenalem recensendum comparati descriptio et specimen commentarii in Iuvenalis sat. 1. a Io. Winkelmanno conscripti. „Quod quidem, inquit V. D., ut ederetur, viros doctos *in* commentariis de rebus litterariis subinde optare memini: quamquam neminem hoc specimine perlustrato, ut omnis annotatio ab illo conscripta cum viris doctis communicetur, porro optaturum esse arbitrer. Quare, vix operae pretium facturos nos esse opinati si repeteremus ea, quae ex interpretum variorum commentariis essent excerpta, de apparatu exposuimus critico quem Schwabius G. Wimar. Conr. concessit Gurlitto. Qui quidem continet

I. Collationem novem codd. Mss. e quibus nondum collati sunt n. 2) Ms. membr. 12ma Zwick. Biblioth. 600 circ. annor. 6) Ms. Vinar. ex Schurzfleischiano elegantissime et accuratt. scriptus. 7) et 8) Mss. membrr. Hamburgg. 9) Chemnicensis membr. recentior 8va.

II. Varietatem lect. quam e quinque Codd. Mss. I. Schraderus Prf. Franeq. diligentissime descripsit. 1) e Cod. Leid. vid. Cat. Bibl. Leid. p. 325. b. 2) e Cod. Rivinonii vid. ib. p. 404. a. 3) e Cod. Philipp. vid. ib. p. 374. a. 4) e Cod. Voss. 1. vid. ib. p. 373. a. 5) e Cod. Voss. 2. vid. ib. p. 378. a.

III. Varietatem lect. Cod. membr. nunc batav. cuj. Bibl.

IV. Collat. Cod. Lauhniani chartac. anno 1465. scripti ad edit. Lubini Hanov. 1619. 8.

V. Lectiones duorum Codd. membrr. in Bibl. Goth. asservatt. quorum alter saec. 14. med. alter vel versus saec. ei. finem, vel ineunte saec. 15. putatur esse scriptus. Prior glossemata interlinearia et margg. habet adiuncta.

VI. Lectiones satirr. duar. prior. varias e Codd. trib. Argentor. saec. 15. calamo exaratis, excerptas.

VII. Collationem edit. Henninianae cum edd. Ald. Venet. 1501. et Lips. 1502. factam.

VIII. Lectiones varr. edit. Venet. a. 1492. cum edit. Farnab. Amstel. 1668. collatas.

IX. Lectiones edit. Venet. a. 1483. quae forma max. cum Comment. D. Calderini prodiit.

X. Lectionis diversit. tertiae edit. Ascensii, quae Lugd. 1515. Fol. prodiit.

XI. Specimen comment. in Iuven. inedit. a Günth. Henr. Plathnero a. 1637. scr. et in bibl. Goth. publ. asservati.

XII. Annotatt. Th. Crenii quas iste sua manu edit. Hennin. exemplo adscripsit nunc e bibl. Ernestii emto.

Edit. Londin. a. 1716. 12. a Maittario curatam cum Gurlitto communicavit Wagnerus Conr. G. Merseb.

Libbr. Mss. quorum collationem instituturus est V. D. sunt hi:

1) Duo Mss. membrr. n. 52. 53. Bibl. Goth. 2) Duo Mss. membrr. Bibl. cathedr. Hamb. 3) Cod. eleg. script. a. 1460. Thorunii asserv. 4) Cod. ineunte saec. 15. cum glossem. Bibl. eccl. episc. Tolet. 5) Cod. Ms. Bibl. Colon. Allobrog. 6) Cod. Ms. Norimb. 7) Iuven. et Pers. Cod. Ms. Bibl. Gersdorf. 8) Codd. Au-

gustae Taurin. Mss. 9) VI. Libb. Mss. Cracov. Polon. 10) Cod. Ms. multis scholiis ab hacten. editis admodum diversis Erlang. 11) Cod. Altorf. 12) Animadvv. Casp. Barth. Isaac. Casaub., Eberh. Elmenhorstii, Oct. Ferrarii, Thom. Galei, Pearsonii, Hadr. Vossii in Iuv. ineditae in Bibl. publ. et privv. asservatae teste Henninio.

Praeterea Gurlittus vult, ut VV. DD. scriptiunculas acadd. et scholl. in Iuven. et Pers. secum benevole communicent, ut Io. Bened. Draghemii praegnantia Iuvernalis lova ex antiquitate illustrata Rostoch. 1727, 4. et Ulr. Sebast. Beck. Obss. philolog. in satt. Iuv. duas priores. Altorf 1732.

XII.

Caroli Morgensternii Adumbratio quaestionis de Satirae atque Epistolae Horatianae discrimine MDCCXCIX. Gedani.

Satira quae cum Epistola poetica ad didacticae poeseos genus refertur, duplex sibi munus vindicat, ut vitia humana severe notata aut odio tradat, aut risui exponat. Satirae igitur *materia* est definita et certa, formae autem tot cogitari possunt, quot sunt vividae expositionis modi. Epistolae vero *materia* plane est contraria. Argumenti enim varietas tanta est, quanta vulgarium epistolarum, neque igitur ullo modo potest certis circumscribi limitibus. Sola igitur forma ab aliis poeseos generibus distinguitur Epistola, quippe

quae certae personae debet esse inscripta eiusque quamvis fictae ratio per universum carmen haberi. Oratio autem ex communi epistolarum natura intelligitur conformari *primum* ad eius, qui scribit, deinde ad eius cui scribitur, conditionem; tum ad peculiarem, quae inter utrumque intercedit, rationem; ad argumentum denique quod tractatur. Quae quidem certissima Epistolae poeticae nota est. Utriusque autem generis Satirae et Epistolae Horatianae discrimen primum esse videtur in eo, quod vitiorum coarguendorum et ridendorum commemoratio ab Horatii Epistolis non abest quidem, non vero primas obtinet partes. In Satiris Horatius maxime occupatus est carpendo, redarguendo, ridendo, increpando; in Epistolis docendo potissimum ac praecipiendo, monendo atque exhortando. Neque enim ulla Eclogarum Hor. invenitur salis satirici prorsus expers, ne quinta quidem libri primi et sexta libri secundi exceptis.

Illis iam scriptis et in officinam missis accepimus etiam *secundam* huius *Adumbrationis* partem, quae disputationis publicae in audit. Gedanensi d. XIX. Oct. MDCCCI. praebuit materiem (p. 17—100.) Postquam differentiam epistolae atque satirae, quae est in materia, auctor est persecutus, de ea quae dicendi genere atque diverso orationis colore continetur, agit. Nam in Satiris cernitur facetus risor, in epistolis comis morum magister, in illis comici et satirici, in his philosophi ingenium. Nimirum in Satiris Horatius, Lucilii antiquae comoediae auctores secuti exemplo, perstringit saepe singulos, etiam viuos, media turba arreptos, in epistolis raro singulos quosdam notauit, numquam vivum hominem. Causas discriminis M. repetit potissimum ex aetatis, qua utrumque *συμπᾶσιν* perfecit, diversitate atque mutatis poetae studiis, viuendique

tationibus. Hinc in epp. regnat morum gravitas, iudicii maturitas, animi candor liberi, ingenui, ad honestum unice spectantis, sibique viventis. Quo loco M. p. 22. ss. de Horatii *hominis* indole egregie disputauit, et ita, ut partim criminationes refelleret, partim aliorum observationibus adiiceret nonnulla. — In Satirarum *numeris* etiam solutior fuit Horatius, adeo ut a viris doctiss. metri negligentia ei obiiceretur. Verum in epp. oportuit metri legem aliquanto adstrictiorem esse, praecipue in maioribus. Vtriusque igitur carminum generis quoddam, neque leue existit, discrimen e numerorum diversitate. Illa autem numerorum satiricorum negligentia non ab aetate, qua Hor. lusit, repeti potest, (nam ipse versus antiquiorum satiricorum reprehendit, et hexametros longe sonantiores lyricis carminibus immiscuit), sed ex specie huius poëtici generis, quam animo informauerat. Cum enim Lucilius (cuius desiderium Morgensternio inprimis movetunt duo loca Hor. Sat. II, 1, 30. ss. et 70. ss.) priscae comoediae auctores, mutatis tantum pedibus et numeris, secutus esset: Horatius etiam sibi scribenda *sermoni propiora* censuit, sed imitatus nouae comoediae poëtas, inprimis Menandrum, et *Socraticas* (Platonis) *chartas*, versus ita composuit, ut non canentem sed loquentem audirent; unde sectanda fuit numerorum et orationis apta inaequalitas. Ipsas heroici versus clausulas monosyllabas ad ironiam comicam M. refert, omninoque de earum natura et vi disputat p. 37. ss. Quam Hor. sibi numerorum legem in Satiris scripsit, non eamdem Persio fuisse et Iuvenali scriptam, idem recte p. 40. s. observavit. Attulit etiam plura exempla numerorum insolentium et aures ferientium, quibus graviores sententiae, subitae conversiones, splendidiora auctorum aliorum loca inserta exprimun-

tur. Omnino numeros ad cuiusque argumenti, quod tractauit, et carminis genus aptissimos legit. Quo loco cum in animadv. 40. (p. 45.) de μιμητικοῖς vss. Horatii ageret, nostro exemplo adscripsit humaniss. auctor sua manu haec, quibus carere lectores noluimus: „Ne in Epistolis quidem versus μιμητικοὶ desiderantur, ut Ep. I, 2, 43. Labitur, et labetur in omne volubilis aeuum. I, 14. 6. 7. Fratrem maerentis, rapto de fratre dolentis Insolabiliter. — Epp. ad Piss. 346. Et longum noto scriptori prorogat aeuum.“ In Satiris versuum inaequalitate simulataque negligentia ita praestitit, ut rem ex instituti, quod sequebatur ratione aestimantibus abunde satisfaceret. Cauit tamen ne plane ad pedestrem modum oratio demitteretur. Praecipue studuit breuitati, tersae et limatae. Ceterum, quod ad illam numerorum Hor. in Satt. negligentiam adtinet, proponitur etiam haec coniectura: fortassis Horatius iuvenis Lucilii versus incultos tantum superare studuit, ratus sibi *nonnihil* licere in versibus Satirae componendis, in quibus *omnia* sibi licere primi auctores existimaverant; vir maturus, seuera lege proposita, ad maiora tendebat, etiam reprehensionis rationem habens (Serm. II, 1, 2. s.). Hoc certum est, epistolarum concinniores esse numeros, et ad aurium sensum suauiores. Vnde etiam maiorem facere epistolas iacturam, quam satiras, iambo ad vertendum sumto pro heroico versu. Sed quoniam orationis color in nonnullis satiris parum recedit ab epistolis, hanc auctor (ex parte a Duschio iam propositam) *quartam* eamque praecipuam diuersitatis posuit notam, ut in epistola certa appelletur persona, eiusque perpetua habeatur ratio. Nam in Satiris si qui diserte appellantur, tamen magna pars ad alios quosvis pertinet. Et quum Satirarum incerta sit *forma*, in earum numero esse possunt dramatica;

generis poëmata et vel veri dialogi, in epistolarum numero, quarum forma certa est, non possunt. Satirarum H. liber secundus fere totus constat dialogis, ita tamen ut in modo nonnihil diversitatis sit. Non multum a dramatica ratione absunt duae satirae, quae ad diegematicam sermonum formam pertinent, de qua ut de Platonis et Engelii nostri artificiis in nota agitur. Quum autem in Satiris tam variae introducantur personae, oratio etiam distinctius variatur et ornatur laetius, non tantum interrogandi et respondendi vicibus (ut in Persio) sed singularum etiam personarum imitatione recta et viuida. Et in distinguendis personis saepe ab edd. erratum esse animaduertitur. Sic (p. 57.) Sat. II, 3, 27. ss. verba *Atqui — urguet* ipsi Horatio, non minus quam illa (v. 31.) *Dum ne quid simile — libet* tribuantur, non Damasippo. Verbis *Atqui emovit* etc. Damasippo novum exprobrat furorem, qui Satiricum ipsum audeat castigando interpellare. Etiam ea ad Horatium propius spectant, quibus v. 297. Damasippus orationem concludit *ne compellarer inultus.* Argumento et dicendi generi Satirarum magis et salso et vario optime respondet illustrior e forma et vigor et varietas; epistolarum argumento ac dictioni, puriori utrique et magis aequabili, convenit constantior e forma et moderatio et simplicitas. Quae ne langueant, impedit argumentorum, quae in epp. latius patet, varietas, et colorum dictionis multiplex temperatio, conformata ad certorum hominum conditionem et habitum. De universa utriusque corporis poëmatum vi ita dicit auctor: „Me Satirae Horatianae pungebant magis, tenebant, movebant; epistolae magis mulcebant, iuvabant, tranquillabant. Illae videbantur acriores, hae dulciores; illis iucundius fallebar, his suavius erudiebar; illae me hilariorem dimittebant; hae me mihi redde-

reddebant amiciorem.“ In Satiris H. Lucilium, comoediae, inprimis novae, auctores, ut Menandrum, et mimographos graecos, potissimum Sophronem, etiam Platonem habuit ante oculos, in epp. moralibus Socratem, in criticis suum secutus iudicium. Iam inde a p. 63. in plerisque utriusque corporis carminibus ostenditur, quo pertineant, maxime Sat. I, 1. 3. 6. In prima satira non ad Maecenatem proprie scribitur, sed cum hominum genere agitur, quod ab amici ingenio longissime abhorret, dicendi genus prorsus habet colorem Sat. Hor. Ne sexta quidem Satira scripta est Maecenati, sed aequalibus, qui rodebant libertino patre natum. Dedicauit eam poeta Maecenati, variis de causis. Argumentum omnino est satiricum. (Iuv. Sat. 8.). In epistolarum Hor. nulla quisquam desiderabit epp. formam. In ep. 6. L. 1. ad Numicium quia difficilius repertu videtur discrimen, de ea pluribus agit M. Nonnulla a Vuil. et ab Haberfeldio dicta castigantur. Non poterat H. *huius* argumenti epistolam ad *quemvis* mittere. Reliquas epp. breuiter persecutus est M., sed quo plura et magis varia sunt de *Arte poetica* H., quae dicitur, iudicia, eo subtilius haec auctor examinauit p. 80—95. Etenim quaeritur num sit didacticum carmen (ut Michelsen. et Regelsberger.), an epistola, an satira? Esse igitur epistolam ex argumento et forma ostenditur, primarium fuisse consilium, ut mali poetae deterrerentur potius, quam cupidi attingendae poeseos incitarentur; cum eo coniunctum hoc, ut filiorum Pisonis maiorem (patris hortatu) a poesi revocaret. Recitatum autem esse hunc libellum coram Pisonibus, aliisque amicis nullo modo doceri potest. — Vtraque commentatio (adiecto utilissimo rerum tractatarum indice) ita nunc inscripta venditur:

De Satirae atque Epistolae Horatianae discrimine,

Scripsit Carolus Morgenstern. Lipsiae et Gedani, apud Dyckium et Troschelium. MDCCCI. Exemplaria divulgata non sunt plus (plura) quam CL. 100. pp. 4.

XIII.

De pyramidibus Aegypt. Commentatt.

Observations sur l'origine du nom donné par les Grecs et les Arabes aux Pyramides d'Egypte, et sur quelques autres objets relatifs aux antiquités Egyptiennes. Par *A. I. Sylvestre de Sacy.* a Paris chez Fuchs. an. IX. 64. pp. 8. (1801.)

Inserta haec commentatio est *Millini* Promtuario (Magasin encyclopedique,) nonnulla exempla separatim descripta venduntur. Auctor, examinatis atque repudiratis aliorum de voc. πυραμις origine opinionibus suam profert, quae ab Arab. *Hharam* repetit. Aegyptios scripsisse HPAM sine vocali post adspirationem; hanc Graecos omisisse, et addidisse Aeg. articulum, unde exstiterit πυραμις. Hram ex Semiticis dialectis quibuscum Sahidica Aeg. multis modis conuenit, illustrat ita, ut pyramis sit locus sacer deo aut religioso usui dicatus, cum *hharam* valeat, a communi usu separare. Addidit pyramidum descriptionem ineditam ex secunda syriaci chronici Abulfaragii parte notis et loco Macrizii illustratam aliaque nonnulla ad historiam et antiquitatem Aegypti spectantia.

Aduersus Sacyum Hagerus scripsit, cuius comm. ex Anglico versa in Millini legitur Promt.: Obser-

tions, sur le nom et sur l'origine des Pyramides d'Aegypte par le D. *Hager*, traduit du Monthly Magaz. Octobre 1801. in Magasin encyclop. An. 7. T. V. n. 19. p. 334 — 347. Repetuntur primum variae vocab. derivationes partim iam a Sac. commemoratae (a πῦρ, πυρὸς, *piromi*, quod voc. etsi in coptica lingua nunc simpliciter hominem indicet, tamen etiam de praeclaro et nobili dici potuit; a *pi* et *rama*, altum; a *puro*, rex, et *misi*, generatio; a *bour-ha-mit*, caverna mortis, ut Volney., a *pi*, articulo aegypt et *chrom*, ignis, ut Langlesius in Not. ad Nordeni iter, ab hebr. armon, castellum et artic. pi, ut Zoega in lib. de obeliscis.) Dubiam etiam Sacyi opinionem esse ostenditur, siue a radice quae decrepitum indicat (ut sint monumenta vetustissima) siue a verbo quod consecrare significat, repetatur. Hagerus censet, et monumenta illa ipsa et nomen esse babylonicae originis. Nam turrim illam Babylon. dici πυραμίδα τετράγωνον, atque Saccarenses pyramides, aliis antiquiores, similiter e lateribus constructas esse; maximam etiam intercedere inter pyramides Aeg. et templa Indorum similitudinem; nomen esse *uramud* (columna ignis) cum articulo aegypt. Etiam voc. *obelisci* significare vult *paruum Belum* h. e. solem ο-βελ-ισκος, ο a graecis esse praefixum multis vocabb., ut ὄνομα, nomen, ὀδους dens. Itaque sic nomina illa deriuat: Bel, obelos, obeliscos; amid, uramid, pyramis.

XIV.

Relationes breviores.

Multum olim disputatum esse constat, quinam fuerint illi Aegypti reges, quos Manetho apud Iosephum *Hycsos*, reges pastores, appellauit. (v. *Baumgarten.* Examen variarum opinionum de regno posterorum Abrahami in Aegypto. Hal. 1744. 4.) Nuper retractauit eam quaestionem *Dreyerus* (*Ueber die Hycksos oder das Hirtenvolk des Manetho*, von Hrn. Kirchspielvoigt *Dreyer*, in: *Neues deutsches Magazin* 1802. Ian. p. 78—96.). Redit autem eius sententia huc, ut *Amalecitas* fuisse statuat, quos constet iam ante Abrahami aetatem floruisse, Arabiae Petraeae partem versus septentr. et occid. sitam incoluisse, ideoque facile invadere Aegyptum potuisse, rem pecuariam exercuisse. Amalecitae autem non ab Esauo, sed ab Hamo s. Chamo originem duxerunt, unde etiam Israelitae eos exstirpare iussi sunt, et inter utrumque populum acerrimum fuit odium.

De *Bodino* philologo et historico saec. XVI. (inter a. 1520. et 1530. nato, mort. 1596. qui etiam Oppiani carmina vertit et illustrauit) nuper commentatus est Devismius (Notice histor. et critique sur Bodin, auteur célèbre, qui fleurissoit à Laon dans le XVI. siècle par *L. Devisme*, Millin Mag. enc. T. IV. 7. A. n. 1. p. 42—59.)

Cum Graecomania, quae nuper inuexit, apud feminas maxime, multas nouas et ineptas et elegantes vestium et morum rationes, ad saltationes etiam pantomimicas spectare videatur, aut iubeatur, *Böttigerus* V. C. constituit in eo, quod saeculi luxui et elegantiae destinatum est Diario (Journal des Luxus und der Moden), et in quo iam multa ex antiquitate depromta proposuit [1]), de orchestica Graecorum nonnulla disputare; eiusque rei nuper periculum fecit (Journal des Lux. u. d. Mod. 1802. Januar p. 9—20.) in Baccho et Ariadna, mimico dramate e Xenoph. Symposio c. 9. p. 171. (*Ariadne und Bacchus eine Pantomime nach Xenophon*). Et Symposii quidem Xen., cum Cornario et Ramdohrio consilium hoc esse censuit, ut amori graeco illicito opponeretur purus et castus amor, aliqua etiam Symposii Plat. ratione habita. Eleganter primum B. illum locum in patrium sermonem conuertit, deinde copiose illustrat. Cum ὀρχηςοδιδάσκαλος (nostris *Balletmeister*) fuerit Syracusanus, B. docet Siculos imprimisque Syracusanos, utpote Doras, studiosos fuisse mimicae saltationis, non minus quam aliarum voluptatum (Plat. Ep. VII. p. 326. T. III. Steph. Athen. XII, 6. p. 527. C.), ut nunc quoque Siculi gestu et vultu plurima exprimat. Quod iste saltationis argumentum indicat, id etsi nobis inusitatum est (quamquam et apud nos fabulae tabulis propositis indicuntur), tamen veteribus mimis necessario adfuisse videtur histrio quaedam recitans. v. Lucian. de Salt. c. 83. s. T. II. p. 315. ubi verba παραςησ. τ. ὑποκριτὴν a

1) ut a. 1800. Febr. p. 53. ss. de cothurnis graecarum feminarum (über die Stelzenschuhe der alten Griechinnen, quae etiam ut nonnullae aliae, versa legitur francog. in Millini Promtuario).

Vuilando T. IV. vers. p. 443. male intellecta, et a Dubosio (Reflex. sur la poësie T. III. p. 262. ss.) neglecta explicat de histrione, qui semper saltationibus adstabat, quaedam declaraturus, et cuius ope tum tragicus ille saltator usus est. Thronus cui insidebat Ariadne et cubiculum nuptiale et dignitatem sponsae indicat. Quo loco quomodo θρόνος (cum scabello), κλισμὸς et διφρὸς differant ostenditur. v. Odyss. XIX, 103. Athen. V; 4. p. 192. Buonarott. Osserv. sopra alc. Medagl. p. 115. Carcani in Pitt. di Ercol. T. I. p. 151. s. νύμφη pr. significauit sponsam ornatam atque velatam. Valken. ad Lennep. Etym. p. 616. Unde factum sit, ut hoc nomen deinde de heroinis et deabus usurparetur, quaesiuit B. Verba ἤκουον ἐπερωτῶντος §. 6. ita accipiuntur: ita erat ac si audirent — ea enim mimica ars efficere debet. v. Lucian. de Salt. c. 81. — De fabula Ariadnes et Bacchi ipse B. in archaeol. Museo satis exposuerat. Nos vero vehementer optamus, ne nostris hominibus placeat Ariadnem et Bacchum saltare, amoris casti iuuandi causa. — Graecorum saltationis naturam, et rationem eius ad nostram exposuit nuper Facius, Prof. Coburg. gymn. in Poecile (Pözile eine Quartalschrift 1801. trimestri 3. Comm. 5.

Kotzebuius in libro, quo anni 1800. utramque fortunam singularem, quam expertus est, enarrauit *), palatium illud novum Michailouianum, quod Paulus I.

*) Das merkwürdigste Iahr meines Lebens, von *August von Kotzebue*. I. II. Theil. Berlin 1801. 8. Prodiit et francog. libri versio: Une Année mémorable de la vie d'Auguste de Kotzebue, publiée par lui-même, traduit de l'allemand. Berlin 1801. II. 8.

Russorum Imp. splendidissime exstruxit loco palatii aestiui, a Petro I. 1711. aedificati, et in quo ille non diu ante mortem habitare coepit. (Kurze Beschreibung des Michailowschen Pallastes, T. II. p. 182. ss.) In eius autem variis conclauibus non modo cernebantur plura opera sculpturae quae antiqua imitantur, ut protome Marci Aurelii, simulacra Veneris Mediceae, καλλιπύγου, Antinoi, Apollinis Florentini, Herculis Farnesii, etc. sed etiam vere antiqua, quo pertinent Bacchus, plura capita, anaglypha, sarcophagi, vasa, de quibus p. 215. s. Inprimis autem erat conclaue ab antiquis operibus denominatum, in quo ultra 50. statuae, capita, Sarcophagi, etc. ex quibus nonnulla K. p. 234—239. affert. Est in iis protome Achillis e Graecia allata, coloss. protome Iunonis, Silenus, Bacchus, Musa, plura anaglypha sarcophagorum cum titulis latinis; tres longiores descripsit K. sed ostendit Koehlerum eos explicaturum esse.

Ex itinere Chion suscepto a. 1799. fragmentum, quod inscribitur, *Schola Homeri*, legitur in Nouo Mercurio german. Partic. I. huius anni (*Die Schule Homers*, im N. teutsch. Merc. 1802. 1. St. p. 13—19.) Iam Thevenotus et Tavernierius (Voyage du Levant, lettre IX, T. I. p. 146.) illud antrum (ita appellatum) memorarunt, et hic coniicit olim eo loco Neptuni templum stetisse. Sed vulgaris de Homeri schola narratio debetur Pocockio s. ingenio artificis qui tabulas delineauit Pocockii itineri additas. v. *Dallaway* Constantinople ancient and moderne etc. p. 284. In illa insula certe antiquissimam Homeridarum scholam fuisse censet Böttigerus. Scilicet in parte septemtrionali insulae, rupium, quae iuxta maris littus porriguntur, seriem

ingens interrumpit hiatus, in cuius ima parte inter saxa abrupta limpida et pura fluit aqua. Eum incolae *fontem Homeri* dicunt, ut vinum ex uvis ibi collectis expressum *Homeri vinum*. Prope adest saxum quadratum, in cuius binis lateribus leones, in binis oppositis sphinges cernebantur olim; eam fecerunt *cathedram Homeri*, et orbem incisum rupi, sedes auditorum; fuisse autem aram Homero sacram probabile est. In omni illa insulae parte (non item in aliis) Homeri memoria etiamnum viget.

In Britann. ephemerr. narratur nuper statuam Cereris Eleusiniae in Graecia esse a duobus Anglis emtam, eamque Cantabrigiam deportari. Liverpoli (Liverpooli) in museo quodam Romanum sandalium et antiquus Brit. calceus adservantur. *Der Verkündiger* 1802. n. 23. p. 182. De statua illa Cereris, Phidiae opere, dixit etiam *Hüttnerus* in Engl. Miscellen. VII. B. 1. St. p. 84. ubi et monetur, Flaxmannum restauraturum esse opus antiquum. Ibidem p. 82. narratur Northwicum Comitem (Lord Northwick) egregiam rarissimorum numorum vett., ad 60000., ex itinere in patriam deportasse.

Prope Neovidam ad Biberim reliquiae Romanae urbis atque castri sunt sub agris nunc cultis detectae. Iam a. 1791. privatae aedes sunt examinatae, tum palatium, et nuper 1802. templum ibidem repertum est. Prope Heddesdorfium reliquiae sunt secundae urbis Rom. Viarum etiam Romanarum duarum partes erutae sunt, et rudera munitionum quibus Drusus limitem primum Rom. in Germania firmavit. Vix ullo alio Germaniae loco tot Romana monumenta coniuncta supersunt. Statua aenea (Genium urbis sistens) inventa est, in cuius basi titulus ostendit eam imp. Philippo, Praesente et Albino Coss. (d. 23. Sept. 246.) erectam esse. Non ita

multo post utraque urbs periit. Caet. spes est, fore, ut plura antiqua opera ibi eruantur. *Der Verkündiger*. 1802. n. 18. p. 137. ss. Add. Allgem. Litter. Zeitung 1802. Ian. Intelligenzblatt N. 9. p. 71. In tractu superiorum Alpium (olim Delphinatu) prope vicum Labarik-Mousaleon dictum, reliquiae urbis gallicae ex Rom. aevo sunt repertae cum fragmentis musaicis et numis pluribus.

Torkillus Badenus, Kilon. Prof. nuper 1802. programmate edito quaesivit *de eo, quod in regimine verbi Substantiui inter Dativum et Accusativum interest*. Ostendit autem notiones varia illa constructione diuersas exprimi logice, et ap Hor. *licet esse beatis*, non idem valere quod *licet beatos esse*, neque pro eo quod ap. Virg. est, *liceat superesse nepotem*, eodem sensu potuisse dici: liceat superesse nepoti. Inde etiam nonnulla loca, a Criticis quibusdam solicitata, defendit. Dubitari tamen potest, an non ubique seueras, et logicas, leges secuti sint auctores. v. Gött. ephh. 1802. n. 29. p. 287. s.

Specimen observationum criticarum. Autore *Francisco Christophoro Frenzelio*. Prolusio ad examen autumn. d. XXIV. Sept. MDCCC. Susati, typis Flossianis 30. pp. 8.

Auctor Gymnasii Susatensis Rector est. Coniecturas proposuit in varia poëtarum et aliorum loca. In Ovid. Met. III, 263. legit: *Non* linguam ad *jurgia* solvam (pro vulg. *Tum — solvit*) Metam. I, 546. s. si flumina numen habetis! Qui nimium placui? — Tellus etc. Valer. Flacc. I, 66. In freta. Qua iussos sic tandem etc. Ibid. I, 19. s. *Quam* tu signa dabis; seu te duce Gr. mitt. *Seu* Sidon etc. Hor. Od. III, 19, 32.

Fulgentem imperio fertilis Africae
Fallit. Sorte beatior,
Quamquam nec Calabrae mella ferant apes.

pogr.) Non censet v. 49. ad ignotum mythum alludi, sed eo respici, quod etiam in inferis, ideoque apud deos inferorum, fuit iudex. Filii Aeaci sunt Telamon et Peleus, nepotes Aiax, Teucer, et Achilles. In vers. v. 46. ambiguitas exstitit. Nonnulla nimis de verbo redduntur, ut ἀγλαὸς *der lichtumglänzte*, θεῶν πραπίδες *der Unsterblichen Sehnen*, sed omnino obscurior graecis est versio v. 65. s. *Aber es stillte nicht Genuſs der Unsterblichen Sehnen.* Digressionem v. 69. ss. et per se pulcherrimam et loco aptam esse docet, cum ad laudes Aeginae faciat; Themidem autem esse Fas, cuius effatis etiam dii suberant. ἄνακτα v. 104. non Peleum, sed ipsum Iovem intelligit. Nam partim superfluum fuisse, dici Peleum consensisse, partim non potuisse hoc praetermitti, ipsum etiam Iovem nuptias curasse. V. 133. reddit: So gebeut itzt der Augenblick. Caet. monet Nicoclem tum iam mortuum fuisse. Cur in vertendis v. 136. ss. inverterit sententiarum ordinem Pindaricum non patet. V. 136. legit, ut Hermannus ἀν' νάπος. Vltima carm. non male, etsi liberius, ita redduntur: Seines Lobes genug beut sich dem guten dar: denn er tändelt die Blüthenzeit, fern von rühmlichem Streben, nicht in dem Schatten des Müssiggangs hin.

In eodem libello p. 274 — 281. est commentatio *Ern. Ad. Eschkii*, quae inscribitur: *Homer und Virgil.* Impugnat auctor Buterweckii sententiam qui Aeneidem languidissimum esse carmen pronunciaverat. Nam ut Homerum in adornando carmine plurimum praestare largitur, ita saepius eum laedere sensum moralem, quem Virgilius semper egregie secutus sit, exemplis comparatis ostendit.

Priori trimestri anni X. reip. Gall. in instituto nationali lectae sunt hae commentatt. (class. bonarum litterarum et artium):

Ameilhon sur l'art de tisser chez les anciens.

Mongez de tribus gladiis aeneis, quos in vallibus Sommae repertos Traullaeus ad Mongesium misit, haud dubie Romanos.

Idem *Mongesius* in comm. de statuis, quae gladiatorum nomine insigniuntur, dixerat, signum *gladiatoris morientis* ornatum fuisse torque. Riboud misit annulum aereum nuper inventum, quo illa coniectura firmata est. Daumy fabricavit tres annulos antiquo simillimos, atque elasticitate sua insignes, ut ille.

Langlesius commentationes Calcuttensis Societ. litter. gallice versas, et suis plurimis adnotatt. auctas edet, inseretque inprimis commentationi Ionesii de Arabibus plurima inedita e codd. bibl. Paris. Iis etiam usus est in egregiis animadverss. ad Nordenii Iter Aegypt. (Voyage d'Egypte et de Nubie, par Fr. Lud. Norden, nouvelle édition donnée par le C. *Langlès*. Par. 1798. 4. 3. voll. c. fig.)

Ameilhon sur l'inscription grecque venue de Rosette. Ostendit eam continere decretum in honorem Ptolemaei Epiphanis, atque cum monumento Adulitano comparat, cuius authentiam tuetur.

(Class. litt. moral. et politt.)

Bouchaud absoluit X. Commentationes de edictis magistratuum Romm. (quarum sex leguntur in Mém. de l'Acad. des Inscr. T. XXXIX. XLI. XLII.) praelecta tertia parte comm. postremae de edicto perpetuo.

Buache Observations sur l'ancienne Carte itinéraire des Romains, appelée communément *Carte de Peutinger*, et sur la Géographie de l'Anonyme de Ravenne. Comparatione utriusque geogr. operis loca multa correxit.

Lévesque Examen critique de l'histoire de Rome

sous les rois. Contendit Romam multo esse antiquiorem, quam vulgo creditur.

Horatii Epist. L. I, ep. 11. vertit nuper metrica oratione *Morgensternius* (Neuer teutsch. Merc. 1802. n. 3. p. 163. ss. Versus 7—10. Scis, Lebedus — fugentem, censet Horatium ex persona Bullatii dixisse; neque enim eos conuenire Horatio, qui numquam in Asia minore fuerit. Itaque subintelligi iubet *inquis* (quod non raro omittitur), et v. 11. atque seqq. refelli hanc obiectionem censuit. Sanadonus existimauerat, e litteris Bullatii ea verba esse sumta, quod tamen non est necessarium. Reddit ita:

„Kennst du Lebedus? Wüster als Gabii und als Fidenä
„Ist der Flecken. Doch möcht' ich dort die Tage verleben,
„Und der Meinen vergessend, und vergessen von ihnen
„Neptunus fernher vom Lande, den Wüthenden schauen."

In eodem libello (N. t. Mercur, März, p. 217. ss.) legitur *Car. Hase*, iuuenis eruditissimi, Lutetiae nunc in litterarum studiis versantis, Narratio de recentissimis bibl. Parisinae copiis, quae facile omnibus patent (Ueber die neueröfneten Schätze der Nationalbibliothek in Paris). Didicimus inde in bibl. Par. esse Vaticanum codicem Virgilii (Heyn. Elench. codd. p. XXXVIII.) Apronianum eiusdem poetae Flor., cod. Plinii H. N. e saec. X., Plauti XI. saec., plures codd. Geographiae Ptolemaei, Venetos, Eustathii scholia in Odysseam ab auctore ipso scripta.

Historicorum Graeciae principum perditorum Fragmenta se editurum proponit *Georgius Fridericus Creuzer*, Professor Marburgensis.

Constat in multiplici operum antiquitatis jacturâ, quam temporum injuriâ plurimae fecerunt literarum disciplinae, nihil fere esse, quod eruditi magis desiderent, quam optimorum *historicorum Graecorum* tot monumenta ingenii. Cuius damni levandi caussa dudum in votis fuit, ut horum fragmenta scriptorum colligerentur, collecta disponerentur examinarenturque. Verum de huius consilii vel utilitate, vel etiam necessitate disputare et longum nec opus est. Hoc unum explicabo, quam idem ad artis Graecorum historicae cognitionem vim habeat, unde simul patebit cur ego hoc operis aggrediar.

Nimirum iusta historiae et utilis descriptio hoc sibi postulat, ut eius artis et nascentis et florentis et deinceps per seculorum decursum labentis singulis aetatibus singulos gradus certo cognoscas, hoc est, ut perspectum habeas quae quoque aevo ipsius et forma fuerit et materia. Neque vero ulla Graecae historiae aetas est, ex qua hodieque omnes scriptores supersint, ex multis plerique perierunt, in his ii quoque quorum nominibus nova prorsus signaretur scribendi ratio. Quorum omnis nunc exstincta memoria esset, nisi exstarent multorum fragmenta, et de nonnullis veterum scriptorum, rhetorum maxime grammaticorumque, iudicia. At vero qui ad illam historiam accesserit, ei nihil magis cauendum est, quam ne his ipsis nimiam fidem habeat, utpote inter quos de nullo fere historico conveniat. In quo, ne longe abeam, unum praestantissimum Theopompum nominabo, cuius non de fide solum dissentiunt, verum de omnibus quae in scriptore historiarum

spectari solent. Ut vero vel maxime conveniat, nemini tamen veterum totus ille de arte historica locus ad certae rationis leges excussus explicitusque est, ut, quum a dictione historica discesseris, nulla fere pars sit, in qua subtiliori sensui iam non pleraque vel desiderentur vel reprehendantur. Ita fit, ut quae a nostris hominibus de perditis Graecorum historicis pronuntiantur plurima, cum vel sola rhetorum grammaticorumque auctoritate, vel paucorum plerumque fragmentorum abrupta lectione nitantur, eorum ea minime sit aut subtilitas aut constantia, ut certorum numero iudiciorum haberi queant.

Eo magis igitur faciendum est, ut, quo ea tandem res, quantum fieri potest, ab opinionum ambiguitate ad certae sententiae legem revocetur, colligendis perditorum historicorum reliquiis continens earundem accurataque paretur lectio.

Equidem postquam artem Graecorum historicam explicare constitueram, quoties a Xenophontis lectione ad sequentis aetatis scriptores descendebam, toties in Theopompo me continuo impeditum haerere aegre ferebam. Dolens igitur illud *Verheykii* 3) consilium exitu caruisse, ipse de illius historici fragmentis colligendis cogitare coepi. Cum vero mecum reputassem qui

3) Vid. Fabricii Biblioth. Gr. Vol. II. Pag. 804 Harl. et Verheykii Praefationem ad Lexicon Hannotio-Hoogstratenicum Latino Batavum Pag. ii, ex qua intelligo ipsi animum fuisse collectarum ab *Oudendorpio* et animadversionibus illustratarum *Theopompi* reliquiarum editionem curare. Quae si etiam nunc prodierit, gaudebo equidem harum literarum caussa, quiquid ab eis viris proficisci soleat sciam, et, hoc uno demto, reliquum, in quo elaborem, habeam campum spatiosissimum.

qui in unius historiarum scriptoris fragmentis elaboret, ei colligendi certe non minus paene operae exantlandum esse, quam qui in pluribus, plenioremque mihi collectionem vel ad illum alterum librum, quem meditor, necessarium fore vidissem: non iam in hoc uno subsistendum, sed latius evagandum consiliique huius fines longius proferendos esse censui. Itaque eos omnes complectar, quos ab Alexandrinis criticis in Classicorum ordinem redactos fuisse probabilis coniectura est: *Theopompum*, *Ephorum*, *Philistum*, *Anaximenem*, *Callisthenem*, *Clitarchum*. His addentur ii quorum, cum fuerint exclusi, vel ad rerum fidem gravissima auctoritas est, vel multa apud Veteres memoria, in quibus sunt *Dionysius Milesius*, *Philochorus*, *Timaeus*, alii. Atque hoc loco monendum esset de huius instituti ratione et legibus, in quibus hoc primum occurrit, ut plena sit eiusmodi collectio, tum ut critica sit eadem; in quo disputari possit, quam diversa sit scriptorum in proferendis antiquiorum locis auctoritas, quamque varium sit et illud *laudari* et illud *exprimi* historicum. Verum haec aliaque mihi observata melius in illud tempus reponuntur, cum ipsa Fragmenta edere incipiam, in qua editione de cuiusque scriptoris fide, arte, ceterisque vel virtutibus vel vitiis ita disputabo, ut simul Veterum iudicia ad artis leges exigam. Nunc unum hoc ago [4]), ut meum consilium cum doctis communicem,

[4]) Hoc tamen addam, editionis rationem eam fore, ut, quorum multa fragmenta exstant, singulos singuli Tomi exhibeant: reliquorum binos vel ternos complectantur. Ne vero diutius differatur opus, inde a proximo anno singuli deinceps edentur, ita tamen ut, si postea quid vel invenero vel observaro, quod ad editum iam scriptorem pertineat, in Addendis reponatur; denique, quo summa totius libri utendi

eosque ea qua par est observantia rogem, ut, quum ipsi optime norint, quam faciat haec res ad universam historiam et literas antiquas omnes, quam eadem sit laboris molestiaeque plena, ne dedignentur suis me et monitis adiuvare et praesidiis, quo tandem perficiatur opus diu omnium, qui has literas colunt, desideriis expetitum.

Iam a. 1800. *Heerenius* Götting. Professor *Comm. priorem* recitauerat in Consessu Soc. Gött., *de fontibus et auctoritate Iustini, Pompeii Trogi epitomatoris*, qua docuit, non esse Trogi historiam universam, sed Macedonicae monarchiae, praemissa introductione (VI. prioribus libris) et inserta aliorum populorum historia, quod artificiosum Trogi institutum uberius explicuit; Theopompum potissimum fuisse, e quo sua hauriret, alios non omnino neglexisse, neque tamen primos semper adiisse fontes. Vid. ephh. Gött. a. 1800. n. 40. p. 363. ss. Idem nuper (d. 5. Mart.) recitauit secundam Comm. *de fontibus et auctoritate Trogi Pompeii eiusque excerptoris Iustini*, de qua in Gött. ephh. 1802. n. 65. p. 641. ss. exponitur. Nimirum auctor singulos Iustini libros est persecutus, investigauitque eorum fontes, et fragmenta librorum vett. cum Iustini s. Trogi narrationibus comparauit. Primi VI. libri hausti sunt e Theopompi Philippicis et Hellenicis, qui quidem, ubi opportunum erat, populorum et ciuitatum antiquissimam historiam, episodiorum more, inseruit. Eam rationem Trogus est imitatus. Historia Macedoniae (VII—X.), et, quae inserta est, Persiae, unum Theopompum habet fontem. Quem in hist. Alexandri secutus sit, incertum est. Nec in historia

---

paretur facilitas, ad calcem accedent Indices copiosissimi accuratissimique.

successorum Alexandri fontes omnes noti sunt. Episodia de Cyrene (XIII, 7.) et Heraclea (XVI, 4.) e Theopompo, de India (XV, 4.) e Megasthene hausta videntur. L. XVII. sequi eum Hieronymum Cardianum inde colligitur, quod Seleuci partibus fauet. Episodium de Carthagine et graecis ciuitatibus in Italia et Sicilia a Theop. et Timaeo petitum est; ex hoc historia Agathoclis (XXII. XXIII.). L. XXIV—XXIX. Phylarchum potissimum habuit Trogus ducem, XXX—XXXV. Polybium; in seqq. libris Posidonium, qui Polybii historiam continuauit Libris LII. ab a. 146—64. ante Chr., e quo opere fragmenta Athenaeus servavit; in duobus ultimis (XLIII. XLIV.) Dioclem Peparethium, et quod ad Hispaniam attinet Posidonium. Ceterum Iustinum non tam in compendium redigere opus Trogi, quam florilegium optimorum locorum inde componere voluisse, monetur.

Idem Heerenius particulam secundam suae Historiae classicarum litterarum superiori anno edidit: *Geschichte des Studiums der classischen Litteratur seit dem Wiederaufleben der Wissenschaften. Erstes Buch. Das funfzehnte Iahrhundert.* Von *A. H. L. Heeren*, Prof. d. Phil. u. Gesch. zu Gött. *Zweyter Band.* Göttingen b. Röwer 1801. 311. pp. 8. (Quae quidem pars est operis illius historiam litterarum et artium omnium complexi, quod inde ab aliquot annis Göttingae editur, inscriptum: Geschichte der Künste und Wissenschaften seit der Wiederherstellung derselben bis an das Ende des 18. Iahrh. Von einer Gesellschaft gelehrter Männer ausgearbeitet — et hae quidem partes separatim inscribuntur: Vierte Abtheilung. Philologie. I. Geschichte des Studiums der griech. und röm. Litteratur, von Heeren — II. B.) Parte I. editor omne complexus fuerat medium aevum usque ad saec. XIV. finem. Hanc

quam nuper emisit, Particula tribus continetur sectionibus: 1. de iis rebus et praesidiis externis, quae in singulis terris studia antiquarum litterarum mirifice iuverunt, quo etiam bibliothecae, academiae etc. pertinent. 2. de vita et operibus praecipuorum philologorum, et graecorum, et occidentalium. 3. de ipsa ratione et natura studii litterarum grr. et latt. et in se spectati, et cum aliis litteris coniuncti. Atque eam ultimam sectionem existimauimus iusto breviorem esse, minusque, quam ceteras, elaboratam.

Aliae etiam partes eiusdem uniuersi operis Göttingensis cum nostris litteris sunt multis modis coniunctae. *Eichhornius* enim in iis duobus voll., quibus omnem cultus et litterarum historiam coepit complecti (Allgemeine Geschichte der Cultur und Litteratur des neueren Europa. I. B. 1796. II. B. 1799.), inprimis T. II. p. 68. ss. 219. ss. 335. ss. 413. ss. de latinae linguae, grammatices, rhetorices, critices, poeseos latinae, graecae linguae fatis, medio aeuo, variis in locis, agit; *I. D. Fiorillo* in Historia artium quae delineatione continentur, inprimisque picturae (Geschichte der zeichnenden Künste I. B. 1798. II. B. 1801.) etiam de antiquae artis operibus eorumque collectionibus nonnullis, quatenus ad recentiorem artem fecerunt, monuit; *I. G. Buhlius* Historiae recentioris philosophiae Voluminis secundi, parti secundae praemisit utilissimam disp. de vi restituti litterarum vett. studii ad philosophiam emendandam (von dem Einflusse des wiederhergestellten Studiums der Litteratur und Philosophie des griech. und röm. Alterthums auf die philosoph. Aufklärung und die Reformation in Deutschland etc.)

Vt inde a sexennio *Buschius* patrio sermone edidit annuum Recensum inventorum, observationum et dis-

putationum atque librorum, ad physicam, chemiam, astronomiam, historiam natur., medicinam, artes et opificia, agriculturám et omnem rem rusticam spectantium: ita eodem consilio nuper Bellermannus recensere annua aliarum litterarum incrementa (initio facto a paschatis tempore) utilissime coepit. Libri duplex est inscriptio, altera: Almanach der neuesten Fortschritte, Erfindungen und Entdeckungen in den spekulativen und positiven Wissenschaften von Ostern 1800. bis Ostern 1801. herausgegeben von *I. I. Bellermann* ord. Prof. d. Theol. und Philos. Direkt. d. Gymn. beständ. Sekr. der kurf. Akad. nützl. Wiss. in Erfurt. *Erster Iahrgang* — altera: Vebersicht der neuesten Fortschritte, Entdeckungen, Meinungen und Gründe in den spek. und posit. Wiss. namentlich in der Philosophie etc. *Erster Band* 1802. Erfurt b. Keyser 665. pp. 8. In his igitur litteris, quarum historia traditur, sunt: p. 54. ss. exegesis sacrorum utriusque aetatis et generis librorum, p. 375—436. disciplinae philologicae, p. 437. ss. archaeologia artium et litterarum; atque in capp. de geographia et historia recensentur etiam, quae ad veterem geogr. et hist. pertinent. Et libri quidem atque commentationes tantum non omnes enumerantur, quae intra illud, quod diximus, temporis spatium prodierunt, sic ut argumenta cuiusque libri breuissime indicentur, et nonnumquam etiam critici libelli laudentur, in quibus uberius de iis est disputatum.

Similes etiam ἐπικρίσεις operum philologicorum quotannis dederunt nouorum Annalium theologicorum qui Rintelii olim prodierunt, nunc Marburgi, Wachleri cura, auctores, sed non aeque copiosas; auctores Revisionis litterarum per postremos XV. annos superioris saeculi subtilius et uberius philologica scripta recen-

fuerunt; et editor Lipsiensium ephh. litterariarum (Leipziger Iahrbuch der Litteratur) omnes libros ad philologiam spectantes et editiones classicorum auctorum, quae superiori integro saeculo prodierunt, enumerare instituit.

XV.

De quatuor poëtarum latinorum vett. primariis editionibus.

Quo et notiores illae sunt, et in plerorumque manibus versantur, quoque minus nobis nunc concessum est, de singulis earum locis disputare, id quod alia opportunitate fiet, eo brevius visum est, ea exponere, unde de natura, indole et usu earum potest iudicium aliquod repeti.

Q. Horatii Flacci Opera. Illustravit *Christ. Guil. Mitscherlich*, Prof. P. Ord. in Acad. Gött. *Tomus primus.* Lipsiae MDCCC. Sumt. Crusii CLXXXIV. 550. pp. 8. mai. *Tomus secundus*, ib. eod. VI. 712. pp. 8. mai.

Complectuntur hi Tomi solas Odas cum libro Epodon et Carmine saeculari, sequentur duo alia Voll., alterum Sermones et Epistolas, alterum Artem cum Indice uberrimo complexurum, tum quintum, in quod omnis lectionum varietas et critica observatio coniiciatur. Hanc enim a commentario seiunxit editor, quod non modo propterea improbamus factum, quia interea nemo recte Ianii editione carere potest, verum etiam quia partim non satis commodum videtur, quae ad eundem locum pertinent, e pluribus conquirere volumi-

nibus, partim, dum illud volumen prodierit, incerta est lectionis ratio. Quamquam editor vulgatam lectionem plerisque locis exhibuit, nec facile ab ea recessit, nisi ubi codd. auctoritatem temere posthabitam vidisset, aut necessario textus libris etiam reclamantibus emendandus videretur. Saepius interpunctionem mutauit. Et de officio quidem interpretis Hor. docte disputauit in praef. T. I. Ibidem de sua opera ita dixit (p. X.): „Quo Horatii carmina cum sensu aliquo ad lyricum spiritum attemperato legi possent — in eo potissimum mihi elaborandum intellexi, ut virtutem poëtae lyricam, h. e. universum cuiusque carminis habitum et incessum expedirem — tum singularum partium adornationem et tractationem excuterem — denique sermonis lyrici vim et indolem ita declararem, ut ornatus eius, verborum delectu, dignitate — eorumdem structura et collocatione, docta sententiarum inversione, amplificatione caet. quaesiti semina et caussae patescerent. Quae quidem omnia ut rite assequerer, nihil prius atque antiquius habui, quam ut Horatium cum in argumentis tum in singulis carminum partibus mihi plane graecum fingerem ac repraesentarem, fontesque, si quos bona fortuna nobis fecisset reliquos, circumspicerem, seduloque investigarem; defectum autem istorum communi Graecorum loquendi usu ad partes vocato supplerem." Atque eam in praecipuis edit. laudibus ponimus, quod Graeca diligentissime et felicissime plerisque locis comparata sunt, quamquam et ea in re interdum modum excessisse videri potest. Editor vero ita suas rationes instituit, ut non tam aliorum qui eamdem viam trivissent, vestigia sequeretur, et adminicula circumspiceret, ad quae adniteretur, quam ut ipse viam sibi sterneret. Neque tamen neglexit alios interpretes, sed eos tum demum consuluit,

cum ipse carmen quoduis ad suum sensum excusserat; non tamen facile singulos nominat. Quamquam autem non facile praetermissum videri poterat, quod illustratione indigeret, tamen Analectorum (ad calcem T. II.) non exiguus est fasciculus. In disput. praemissa de edd. Horatii omissa est ea, quam Havniae 1795. edidit Iac. Badenus, et cui filius Torkill. Badenus adiecit varias lectt. duorum codd. Havniensium.

P. Virgilius Maro varietate lectionis et perpetua adnotatione illustratus a Chr. Gottl. Heyne. Accedunt indices. Editio novis curis emendata et aucta. Volumen primum. Bucolica et Georgica. Lipsiae sumt. Fritsch. MDCCC. LXII. 776. pp. 8. mai. Editio tertia nov. cur. em. et aucta. *Volumen secundum.* Aeneidis Lib. I — IV. LXXXVIII. 740. pp. *Volumen tertium.* Aeneidis Libri V — VIII. 724. pp. *Volumen quartum,* Aen. Lib. IX — XII. 576. pp. *Volumen quintum.* Carmina minora. VI. 538. pp. *Volumen sextum,* Indices, 798. pp. cum 203. tabb. aen.

Sunt enim duo triave exemplorum huius edit. genera, quorum unum parergis illis caret, quae tantum non omnia ex antiquis operibus diuersorum locorum et museorum repetita sunt. Nullum recentius praesidium vel lectionis emendandae vel poetae interpretandi et illustrandi ab editore non est adhibitum; multa, olim probata, nunc reiecta aut emendata sunt; contra accesserunt plures animaduersiones et excursus novi; lectio iam in secunda editione erat subtilius constituta, a qua nunc rarius discessum est. Plurima nova invenimus in Eclogis et Georgicis. Fuit autem iam olim hoc editoris consilium, ut uno aliquo exemplo in poetarum principe proposito accuratae interpretationis notionem et rationem imbiberent ii, quibus docta institutio non contigit, et ad salubriorem vett. scriptorum tractatio-

nem formarentur. Idem editionem hanc voluit basin esse, qua omnes futuri editores, critici, et interpretes Virg. niterentur, ut tandem aliquando, certe in unius classici auctoris editione omnia coniuncta legerentur, quae ad emendationem et explicationem utiliter essent monita, neque lectores docti cogerentur tot alias editt. consulere. (cf. Gött. ephh. a. 1801. p. 169.) Eam ipsam ob causam optandum fuisset, ut etiam Servii Commentarius in calce adderetur. Caeterum non parum huic editioni eiusque redemtori ab externo ornatu accedit commendationis. Ea parerga, magnam partem ex vett. monumentis ducta, et ab editore docte exposita non recensere nunc quidem licuit.

Minor quoque editio in usum scholarum denuo, et aucta, simul prodiit. *P. Virgilii Maronis Opera in tironum gratiam perpetua annotatione novis curis illustrata a Chr. Gottl. Heyne. Tomus prior* et *posterior.* Editio tertia emendatior et locupletior. Lipsiae sumt. Fritsch. MDCCC. 96. plagg. 8. min. Nec in hac editione suae editor pepercit operae et curae, atque retractauit et emendauit sua, adhibitis etiam aliis in consilium. Atque accesserunt non pauca recens obseruata, ita tamen ut nec moles libri nimium, nec pretium, augeretur, consultumque vere esset tironum rationibus.

Partem carminum Virgilii non modo versione vernacula hexametrica, sed etiam commentario illustrauit *Vossius.* Et hunc quoque non recte negliget, cui rerum et sententiarum poetae bene intelligendarum studium est.

Des P. Virgilius Maro Ländliche Gedichte übersetzt und erklärt von *Ioh. Heinrich Voss. Vier Bände.* Mit erläuternden Kupfern. Erster, Zweiter Band. Altona b. Hammerich. 1797. 8. Dritter, Vierter Band 1800. Duo priora voll. inscribuntur etiam: P. Virgi-

lii Maronis Bucolicon Eclogae decem. Des P. Virgilius Maro zehen erlesene Idyllen, übersetzt und erklärt von I. H. *Voss*. (I. B. I — V. Idylle. II. B. VI — X. Id.) Mit der Erdtafel des Eratosthenes. 534. pp. 8. mai. (et praeterea ind. in adnotatt.) Duo posteriora: *P. Virgilii Maronis* Georgicon Libri IV. Des P. Virg. Maro Landbau Vier Gesänge, übersetzt und erläutert von I. H. Voss. I. II. Gesang mit Abbildung alter Pflüge. III. IV. Gesang. 924. pp. 8. mai. (praeter ind.)

Ipsa enim poetae carmina versioni sunt addita. Georgicorum ea est secunda editio, eaque non modo luculentior et splendidior, sed etiam, quod ad versionem attinet, correctior, quod ad commentarium, multo auctior. In eo non tantum dispositionem et tractationem argumentorum breviter et dilucide exposuit, sententiasque et nonnullas dicendi formas et artes interpretatus est, sed inprimis etiam quae ad historiam naturalem et rem rusticam veterum comparatam cum recentioribus earum rerum copiis pertinent, illustravit, unde etiam ad alia vel poetarum vel scriptorum aliorum loca intelligenda multum peti potest lucis. Ceterum laudantur etiam variorum codd. lectiones quas editor acceperat secum communicatas.

T. Lucretii Cari de rerum natura Libri sex ad optimorum exemplarium fidem emendati. Cum Richardi Bentleii animadversionibus, Gilberti Wackefieldi praefationibus et commentariis integris caeterorumque interpretum praestantissimorum observationibus selectis edidit, suas notas et indices copiosissimos adiecit Henr. Car. Abr. Eichstädt, Ser. Duc. Sax. Meining. a cons. aul. Philos. Prof. P. O. in Acad. Ien. *Volumen primum*. Lipsiae impensis P. Ph. Wolfii et Soc. MDCCCI. XXXVII. LXII. 648. pp. 8. mai.

Desideravimus dudum huius poetae nouam editio-

nem, in tanta caritate earum, quae praestantissimae habebantur, Bentleianae, Havercampiae, et Wakefildiae, recentissimae. Et si vel is, qui harum editionum bona nostris coniuncta proponeret, laudem meriturus fuisset, quanto utilior eius erit opera, qui iis multa nova additurus est? Redemtores operis constituerant corpus poëtarum Latinorum sic instructum procurare, ut optimarum edd. bona, undique congesta, cum iudicio digesta et exposita, novis opibus aucta, quam accuratissime redderentur. In Lucretio instituti specimen proponi placuerat. Prodiit interea Wakefildii editio, quam amplis laudibus, neque cupide, Eichstadius praedicat. Ad eius igitur recensionem textus conformatus est, ita tamen, ut illius auctoritati non unice, etiam in locis, quae rectius constitui possent, editor Ienensis adhaereret. Contingent vero et alia scriptorum librorum editori praesidia, de quibus, ut de aliis suo tempore monebitur. Continet hoc volumen praeter editoris et Wakefildii praefationes Eichstadii disputationem de T. Lucretii Cari vita et carmine elegantem et copiosam, tum ipsos carminis sex libros, praemissis idoneis argumentis, tandem indicem aliis partim uberiorem partim commodiorem ab Henr. Behrmanno, Holsato, confectum, ab editore recognitum, breuique illustratione verborum insolentium et maxime difficilium instructum; non omnium usibus respondentem, philologis non ingratum. Alterum volumen, quod quo ardentius exspectamus, eo studiosius flagitamus, habebit commentarios, quibus emissis de virtutibus huius editionis indicabimus. Librarios vellemus Fritschium in externo poetae cultu imitatos esse.

Non minus adhuc neglectus inter nos iacuit Iuvenalis, etsi non defuerunt, qui amplexuros se eum esse ostenderent. *Rupertius*, qui iam in Silio Italico uti-

lem posuerat operam, eum praeclare ornauit. *D. Iunii Iuvenalis Aquinatis Satirae XVI. ad optimorum exemplarium fidem recensitae varietate lectionum perpetuoque commentario illustratae et indice uberrimo instructae a Ge. Alex. Ruperti.* Volumen primum continens prolegomena, Satiras Iuvenalis, varietatem lectionis et indicem verborum. Lipsiae sumt. C. Fritsch MDCCCI. CCLXIV. 661. pp. 8. mai. Volumen alterum. Commentarius in Iuvenalis Satiras. 804. pp.

Contigerunt editori variae lectiones cod. Kulencamp. Erlang. Schwarz. Guelpherbytt. quatuor, duorum Schönborn., Ulmensis, duorum Gothh., Lipsiensis, Hamburg. trium Noribergg. plurium edd. vett., et coniecturarum atque obseruationum critt. mss. Virorum doctissimorum. Ex horum praesidiorum auctoritate plurima loca correxit, alia spuria esse coniecit, alia emendando tentavit. Neque enim aut suspectos versus textis eiecit aut coniecturas in eos recepit, nisi vel lectio vulgaris plane inepta esset, et editores iam aliam substituissent, vel cuiuis correctio probari posset. Maxime autem hoc curauit, ut, qui hac editione uteretur, in ea reperiret, quicquid boni et praeclari ad poetam emendandum illustrandumque interpretes contulissent, et ut partim doctorum partim iuniorum lectorum utilitati prospiceretur. Quo ipso consilio et argumenta praemissa sunt uberiora cuique Satirae, et excursus subinde additi, inprimis critici. Indicem etiam rerum et verborum editor copiosum elaborauit. Praemisit Vitam Iuvenalis, disputationem de Satira Romanorum et Satiricis, atque editionum elenchum. Speciminis autem et obseruationes nonnullas alio tempore proponemus. Iam enim comparanda cum his erunt ea, quae Gurlittus nuper commemorauit, praesidia antea nondum usurpata (nunc partim a Rupertio adhibita), edi-

tionem poetae tum molitus, cuius consilium nescio an non abiecerit Vir doctissimus. Immo comperimus, eum esse Iuuenalis editionem in collect. Göschen. curaturum.

XVI.

Index recentissimorum librorum philoll. e catalogo librorum nouorum in mundinis Lips. vernalibus 1802. vendendorum:

I. Ad uniuersam philologiam, criticen et hermeneuticen.

Acta litteraria societatis Rheno-Traiectinae, Tomus tertius, 8. mai. Lugd. Bat. ap. Luchtmans et Trai. ad Rh. ap. Wild et Altheer.

C. H. Eckhardi Hermeneutica Iuris. Recensuit perpetuisque notis illustravit *Car. Frid. Walchius.* Editio nova, auctior et emendatior. Cur. *Car. Guil. Walchius.* Lipsiae, libr. Weidmann. 8. mai.

D. F. S. N. Morus super hermeneutice Novi Testam. acroases academicae. Editioni aptavit, praef. et addit. instruxit *H. C. A. Eichstädt.* Volumen secundum, Lipsiae, Köhler, 8. mai. (Circa Pentecost. prodibit.)

Gottl. Wilh. Meyer's Geschichte der Schrifterklärung, seit der Wiederherstellung der Wissenschaften. Erster Band, Göttingen, Röwer. 8.

Car. Morgenstern Adumbratio quaestionis de Satirae atque epistolae Horatianae discrimine. Pars tertia, 4. Gedani ap. Troschel, Lipsiae ap. Dyk. Opus totum etiam sub tit.: De Satirae atque epistolae Horatianae

discrimine scripsit *Car. Morgenstern.* Cum epist. ad Wilandum.

A. G. Gernhard Observationes in Sophoclis Philoctetem. Lipsiae, Linke, 8. (Iam ante aliquot menses prodierant.)

C. G. Heynii Opuscula academica, collecta et animadverss. locupletata, Volumen Quintum. Göttingae ap. Dieterich. 8. mai.

Collectio tractationum diversi argumenti ex catalogis scholarum Acad. Halensis decerpsit, ordinavit et in unum corpus redegit *Fr. Manitius.* Halae, Hendel, 8. mai.

D. I. C. F. Meister's Versuch über Persius Sat. I. 92—106. Frankf. an der Oder, Apitz. 8. (Iam in his Comm. recensus est libellus.)

P. F. A. Nitsch Vorlesungen über die klassischen Dichter der Römer, Vierter Band (von *Haberfeld*) nebst *van Ommeren* Vorlesungen über den Horaz und einem krit. Anhang von Hofr. *Eichstädt.* Leipzig, Iuniussche Buchh. gr. 8. Quae postremo leguntur, separatim etiam venduntur, ita inscripta:

N. van Ommeren Horaz als Mensch und Bürger von Rom dargestellt in zwei Vorlesungen. A. d. Holländ. von *L. Walch*, nebst einem krit. Anhang von Hofr. *Eichstädt.* Leipzig, Iunius. Buchh. 8.

Von Rösch Erläuterungen über Vitruvs Baukunst. Stuttgard, Löflund, 8. mai.

Thesaurus criticus novus, s. syntagma scriptionum philologicarum rariorum aevi recentioris. Cum indic. locupletissimis. Tomus primus. Lipsiae, bibliop. Sommeri. 8.

C. M. Wieland's Attisches Museum. Vierten Bandes, 1. und 2. Stück. Leipzig, Wolf und Comp. gr. 8.

J. H. Withof's kritische Anmerkungen über Horaz und

andere römische Schriftsteller, nebst einer Beschreibung der latein. Handschriften in der Duisburgischen Universitätsbibliotkek. Sechstes Stück. Düsseldorf, Dänzer, 8. etiam sub tit.:

Withof's Coniecturen über verschiedene latein. Dichter und Prosaiker, etc.

Fr. Aug. Wolfii Miscellanea maximam partem litteraria. Halae, Renger. bibliop. etiam sub vernaculo tit.:

F. A. Wolf's Vermischte Schriften und Aufsätze in deutscher und latein. Sprache. 8.

Traité de la formation mécanique des langues. Par le Prés. *Desbrosses*. Nouv. édition avec tableaux. II. voll. 12. à Strasbourg, Levrault.

II. Ad sacras et orientis litteras *).

I. Hallenberg Collectio nummorum Cuficorum aere expressorum, addita eorum interpretatione, subiunctoque alphabeto Cufico. Holmiae, Silverstolpe, 8.

Ioh. Iahn's Biblische Archaeologie, Zweiten Bandes zweiter Theil, politische Alterthümer, mit 1 Kupf. Wien, Wappler und Beck, 8.

Ebendesselben Einleitung ins Alte Test. Zweite ganz umgearb. Auflage. Erster Theil. Ebendas. 8.

Dessen arabische Chrestomathie, samt einem ausführlichen von einem gebornen Araber durchgesehenen arabisch-latein. Lexicon. gr. 8. Ebendas.

Memorabilien des Orients herausgegeben von D. *Ioh. Chr. Wilh. Augusti*. Iena, Gabler, 8.

Franc. Meninskii a Mesnich Lexicon arabico-persico-turcicum, adiecta ad singulas phrases et voces signi-

*) Laudamus eos libros, quorum maior necessitudo cum Philologia, quae fere dicitur, esse visa est.

fications latina ad usitatiores etiam italica. Quartum Volumen, Viennae fol. (Schaumburg et soc. in comm.)

Nizami poetae, narrationes et fabulae, persice, ex cod. ms. nunc primum editae subiuncta versione latina et verborum indice. Lipsiae, Wolf et soc. 4. mai.

H. E. G. Paulus philologisch-kritischer und histor. Commentar über das Neue Test. Dritter Theil. Lübeck, Bohn, gr. 8. (etiam sub tit. *Paulus* Commentar über die drei ersten Evangelien, III. und letzter Theil.)

Philosophia Indica, id est, Oupneck hat s. secretum tegendum; opus ipsa in India rarissimum, continens antiquam et arcanam doctrinam e quatuor sacris Indorum libris — excerptam, ad verbum e persico idiomate — conversum et notis illustratum, studio et opera *Anquetil Duperron*. Volumen secundum. Argentorati, Fratres Levrault. 4.

J. S. Vater's Handbuch der hebr. syr. chaldäischen und arabischen Grammatik. Für den Anfang der Erlernung dieser Sprachen bearbeitet. Leipzig, Crusius, gr. 8.

Vater's und *F. Th. Rinck's* arab syrisches und chaldäisches Lehrbuch, das Arabische gröfstentheils in bisher ungedr. Stücken etc. Ebendas. gr. 8.

III. Auctorum veterum editiones.

1. Graecorum.

Anthologia graeca s. poetarum graecorum lusus, ex rec. Brunckii. Indices et Commentarium adiecit *Fr. Iacobs*. Tom. XImus. 8. mai. Lipsiae, Dyck, etiam sub tit.

Iacobs Animadversiones in epigrammata anthologiae

giae graecae, secundum ordinem analectorum Brunckii, Vol. III. Pars I.

M. Aurelii Antonini Commentarii, quos ipse sibi scripsit. Ad fidem codd. mss. recensuit, et animadversionibus instruxit *I. M. Schulz*. Accedunt *Menagii* notae in Antoninum adhuc ineditae. Vol. primum. Slesvici. ap. Röhss. 8. mai.

Aristotelis Ars poetica cum commentariis *God. Hermanni*. Lipsiae ap. Fleischer. iun. 8. mai. — Cf. etiam *Horatii* Ep. ad Pisones.

Athenaei, Naucratitae, Deipnosophistarum Libri XV. Ex optimis codd. nunc primum collatis emendavit ac supplevit, nova latina versione et animadversionibus cum Is. Casauboni aliorumque tum suis illustravit, commodisque indicibus instruxit *Io. Schweighaeuser*, Tomus I—IV. Argentorati, typogr. soc. Bipont. 8. mai. (Tomus I. textus, tres priores libros complexus, et T. I. Animadverss. iam 1801. prodierat.)

Euripidis Tragoediae. Ad fidem Mss. emendavit et brevibus notis emendationum potissimum rationes reddentibus instruxit *Richard. Porson*. Edit. altera correctior, indicibusque locupletissimis aucta. Tomus I. Lips. Fleischer. iun. 8. mai.

Herodoti Halicarn. Historiarum Libri IX. ex optimis exempl. emendavit ac notas criticas adiecit *G. H. Schaefer*, Tomus tertius. Lipsiae libr. Sommeria. 8. mai.

Hesiodi Scutum Herculis cum Grammaticorum scholiis graecis. Emendavit et illustravit atque praemissa praef. ad C. G. Heynium edidit *Car. Frid. Heinrich*. Vratislauiae, ap. Korn. senior. 8.

Homeri Carmina cum brevi Annotatione. Accedunt variae lectiones et observationes cum nostrae aetatis

critica. Curavit *C. G. Heyne.* Tom. I—VIII. continens Iliadem gr. ac lat. et var. lect. et observatt. in Iliadem. Cum tabb. aen. 8. mai. Lipsiae libr. Weidm.

Eadem, sine tabb. aeneis, charta impress. (Mense Iunio extremo vendentur.)

Eiusdem Ilias prima, graece et lat. ex recens. Sam. Clarkii. Adi. Clavis Sam. Patrick. Ed. nova, Havniae, Schubothe, 8.

Iuliani Imp. in Constantii laudem Oratio. Graece et lat. cum animadversionibus *Dan. Wyttenbachii.* Accedit eiusdem epistola critica ad Ruhnkenium. Recensuit, notationem crit. indicesque adiecit *G. H. Schäfer*, in usum studiosae iuvent. Lipsiae, Köhler, 8. mai.

Longi Pastoralia, graece et latine. Cum proloquio *P. M. Paciaudii* de libris eroticis Graecorum. Graeca recensuit notasque crit. adiecit *G. H. Schäfer.* Lipsiae libr. Sommeria, 8.

Platonis Dialogi IV. Lysis, Charmides, Hippias maior, Phaedrus. Edidit M. *Lud. Frid. Heindorf.* Berolini, libr. Nauckia, 8. mai.

Sophoclis Tragoediae VII. ex recens. Brunkii, cum Brunck. selectis paucisque suis notis a *L. Sahl*; Pars prior et posterior. Hafniae, Proft, 8. mai.

Eiusdem Trachiniae. Emendavit, variet. lectionis, scholia, notasque tum aliorum tum suas adiecit *C. G. A. Erfurdt.* Lipsiae, Fleischer. iun. 8. mai.

Theophrasti characteres ethici, in usum studiosae iuvent. scholast. et acad. cum interpret. lat. sec. edidit et notis illustravit *L. Sahl.* Hafniae, Proft, 8.

Eiusdem de characteribus ethicis libellus, cuius textum graecum seorsim edidit D. *Ioa. Andr. Sixtus.* Altdorf. et Norimb. Monath et Kufsler. 8.

Xenophontis Athen. Scripta in usum lectorum graecis

litteris tinctorum commentariis, ad rerum et verborum intelligentiam illustrata a *Beni. Weiske*. Volumen quintum, Oeconomicum, Convivium, Hieronem, Apolog. Socratis et Memorab. continens. Lipsiae, Fritsch. 8. mai.

Eiusdem Symposium, ex rec. Zeunii in usum praelectionum seorsim edidit *W. Lange*, adiuncta est locorum quorundam difficiliorum explicatio et crisis, Halae, Kümmel, 8.

Eiusdem Memorabilia Socratis, cum indice graecitatis. In usum scholarum diligentissime expressa. Halae, bibl. Orphanotr. 8.

(*F. W. Sturzii*) Lexicon Xenophonteum. Volumen secundum. Lipsiae, libr. Gleditschia. 8. mai.

Μουσῶν ἄνθη s. poëtriarum graecarum Carmina et fragmenta edidit, earum vitas, animadverse et indices adiecit, *A Schneider*. Giesae, Tasché et Müller. 8.

Ἐκλογαὶ Ποιητικαί, s. Carmina graeca selecta. In usum scholarum collegit et indic. instruxit *Aug. Matthiae*. Alteburgi, Rink et Schnuphase, 8.

I. C. G. Dahl Chrestomathia Philoniana s. loci illustres ex Philone Alex. descripti, cum animadversionibus. Hamburgi ap. Bohn. 8.

2. Latinorum:

Iulii Caesaris Commentarii de bello gallico et civili. Editio nova, correcta et post edit. Bipont. emendata. Norimbergae, Riegel et Wiesner, 8.

Marci Tullii Ciceronis Opera. Ad optimos libros recensuit animadverss. criticis instruxit, indices et Lexicon Ciceronianum addidit *C. D. Beck*. Vol. Tertium, Orationum tomus III. Lipsiae ap. Schwickert. (Continet oratt.)

Ciceronis quae vulgo fertur Oratio pro M. Marcello.

Recognovit et commentario perpetuo illustravit *F. A. Wolfius*. Berolini ap. Lagarde, 8. mai.

Cornelii Nepotis Vitae excellentium imperatorum. Optimis edd. collatis edidit M. Rathje. Havniae, Arntzen et Hartier. 12.

Cornelius Nepos zum Gebrauch für Schulen. Mit den nöthigen Anmerkungen und einem zwiefachen Wortregister versehen von *I. R. Ricklefs*. 8. Hannover, Helwingsche Hofbuchh.

Q. Curtius Rufus de rebus gestis Alexandri M., libri superstites, e recensione et cum supplementis Freinshemii, varietate lectionis atque perpetua adnot. illustravit *M. D. I. T. Cunze*. Tomi primi Pars secunda. Helmstadii, Fleckeisen. 8. mai.

Eiusdem Historia de rebus gestis Alexandri M. Edit. nova correcta et post edit. Bipont. emendata. 8. Norimbergae. Riegel et Wiesner.

Q. Horatii Flacci Opera, ex rec. Gesneri. Edit. nova correcta et emendata. Norimbergae, Riegel et Wiesner. 8.

Eiusdem de arte poetica ad Pisones epistola cum continua exegesi, selectisque notis. Adiuncta Aristotelis Poetica, graece, c. notis crit., latine c. not. exegeticis a *L. O. Sahl*. Hafniae, Proft, 8. mai.

I. H. M. Ernesti Clavis Horatiana. Berolini, libr. acad. artium, 8. mai.

Iustini Historiarum libri XLIV. Ex rec. Gronouii. Edit. nova, correcta et emend. Norimbergae, Riegel et Wiesner, 8.

Ovidii Heroides e recens. P. Burmanni. Helmstadii, Fleckeisen, 8. mai.

Ovidii Metamorphoseon Chrestomathia in usum iuuentutis conscripta a M. A. Winding *Brorson*. Havniae, Arntzen et Hartier. 8.

Phaedri Fabularum Aesopiarum Libri V. Mit grammatischen und erklärenden Anmerkungen. Leipz. Rabenhorst, gr. 8.

C. Caec. Plinii secundi Epistolarum Libri X. Recensuit notisque illustravit *G. E. Gierig*, Tomus secundus. Lipsiae ap. Schwickert. 8. mai.

C. Crispi Sallustii Opera. Editio nova, correcta, et post edit. Bipont. emendata. Norimbergae, Riegel et Wiesner, 8.

Eiusdem bellum Iugurthinum. Mit einer histor. Einleitung, Inhaltsanzeigen und erläuternden Anmerkungen zum Gebrauch der obern Klassen der Schulen und Gymnasien von *I. D. Büchling*. Leipzig, Schwickert, 8.

Sallust's sämtliche Werke, nach der Recension der Zweibrücker Ausgabe, mit deutschen Anmerk. und einem erklär. und histor. Wörterbuche versehen, zum Gebrauch der Schulen, von *A. C. Meinecke*. Lemgo, Meyersche Buchh. 8.

Scriptores historici latini. Variantibus lectionibus necessariis et notis selectis illustrati. Cura *A. Winding Brorson*, Tomus primus cont. Sallustii bellum Catil. et Ingurth. etc. Havniae, Arntzen et Hartier, 8. Etiam sub titulo:

Sallustii Bellum Catil. et Iugurth. variantibus lect. et notis illustr. *A. W. Brorson*. 8.

C. Suetonii Tranquilli Opera et fragmenta. Textu ad codd. mss. recognito, c. Casauboni et Ernesti commentariis, tum ineditis nonnullis Ruhnkenii et suis additamentis edidit *Fr. Aug. Wolfius*. Insunt Reliquiae monumenti Ancyrani et fastorum Praenestinorum. Lipsiae, Fritsch. IV. Voll. 8. (Circa fest. Iohannis prodibit.)

Virgilii Opera, ex rec. Heynii. Ed. nova, emendata et

Maphaei Vegii Laudensis libro aucta. Norimbergae, Riegel et Wiesner, 8.

I. G. Zimmermann lateinische Anthologie aus den alten Dichtern gesammelt für mittlere Klassen gelehrter Schulen. Dritte vermehrte Ausgabe. Giessen, Heyer, 8.

IV. Versiones vernaculae vett. auctorum.

1. Graecorum:

Achilles Tatios Leukippe, ein Roman aus dem Griech. übersetzt von Ast. Leipz. b. Hecht.

Aristoteles Dichtkunst, aus dem Griech. übersezt mit Anmerkungen und dem Originale zur Seite von *Meno Valett.* Ronneburg, Schumann. Buchh. 8. mai.

Arrians Unterhaltungen Epiktets mit seinen Schülern. A. d. Griech. mit einer Einleitung und Anmerk. versehen von *I. M. Schulz. Zweiter Band.* Altona, Hammerich, 8. mai.

Aeschylos Prometheus in Fesseln, Sieben gegen Theben, die Eumeniden und die Perser. Uebersetzt von F. L. Grafen zu Stollberg. Mit Zeichnungen nach Flaxmann, von *Hardorf.* Hamburg, Perthes. 8.

Euripides Werke verdeutscht von *Fr. H. Bothe.* Dritter, vierter und letzter Band. Berlin, Nicolai, 8.

Homeri Ilias latinis versibus expressa a Raymundo Cunichio. Edit. nova, Neoburgi, Commiss. officina. 8. mai.

Plutarch's von Chaeroneia Vergleichende Lebensbeschreibungen, aus dem Griech. übersetzt und mit Anmerk. von *I. F. Kaltwasser.* Vierter Theil, Magdeburg, Keil. 8.

Auserlesene griechische Poesien in teutschen Uebersetzungen. Breslau, Buchheister, 16.

Sammlung der neuesten Uebersetzungen der griechischen prosaischen Schriftsteller, Zehnten Theils erster und zweyter Band, des Zosimus Geschichte enthaltend. Frankfurt am Mayn, Hermannsche Buchh. 8. etiam sub tit.: des Zosimus Geschichte a. d. Griech. zum erstenmal übersetzt und mit Anmerk. von *Seybold* und *Heyler*.

Xenophons Feldzug des Cyrus und Rückzug der Hellenen aus Asien, übersetzt und erläutert von *A. G. Becker*. Nebst einer Charte. Halle, Hendel, 8.

Xenophons Socrates als Mensch und Lehrer, oder denkwürdige Reden und Thaten des Socrates, aus dem Griech. mit erläuternden Anmerkungen von *H. Kunhardt*. Lübeck, Bohn, 8.

Héro et Léandre, poëme traduit du Grec, orné de 9. fig. en couleurs, par *Deleucourt*, à Strasbourg, Levrault frères. 4.

2. Latinorum:

Cicero's Geist und Kunst, eine Sammlung der geistreichsten vollendetsten und gemeinnützigsten Stücke aus den Ciceron. Schriften, herausgegeben von *I. C. G. Ernesti*. Dritter Band. Leipzig, Fritsch, gr. 8.

Cicero über die Principien und den Geist der Gesetze, im nächsten Bezuge auf die alten Gesetze der Römer; aus dem Latein. nach einem berichtigten Texte übersetzt nebst einer kritischen Einleitung und histor. philos. Anmerkungen von *F. Hülsemann*. Leipzig, Schwickert, 8.

Horaz lyrische Gedichte in poetische Prose übersetzt, mit einer kurzen Vertheidigung ungebundener Uebersetzungen alter Dichter, von *H. Kunhardt*. Erster Band, Lübeck, Bohn. 8.

Ebendess. Säculargesang metrisch übersetzt und aus-

führlich erklärt von *C. F. Preiſs*. Zweite Probe einer neuen Ausgabe. Stettin, Kaffke, gr 8.

Ebendess. Briefe aus dem Latein. übersetzt und mit histor. Einleitungen und andern nöthigen Erläuterungen versehen von *C. M. Wieland* II. Theile. Der neuen, verbesserten mit dem Originale begleiteten Ausgabe zweite (unveränderte) Auflage. Leipzig, Weidmann. Buchh. gr. 8.

Dessen Dichtkunst, aufs neue verdeutscht, vermehrt und verb. von einem Iünger des Handwerks. Ronneburg, Schumann, 8.

Einige ausgewählte Satyren, Oden und Briefe des Horaz, übersetzt von *Paulmann*, nebst Bemerkungen über dessen Poesie. Berlin, Schöne, 8. Idem Paulmannus etiam edidit: Venusisches Taschenbuch für Damen, Oden deutsch nach Horaz, 16. Halberstadt (Leipzig, Rein.)

C. Valerius Katullus in einem Auszuge, lateinisch und deutsch, von *C. W. Ramler*. Zweite Auflage, Halberstadt, Groſs. 8.

Lucans siebendes Buch, die Schlacht bey Pharsalia, metrisch übersetzt, nebst erläuternden Anmerkungen und beigefügtem Text von *O. B. H. Pistorius*. Berlin, Lange, 8.

Ovidii Verwandlungen in Kupfer gestochen von Bauer, Blaschke, Gerstner, Mark, Mansfeld, Ponheimer etc. mit einem erläuterndem Text. Nach dem Französ. herausgegeben von einer Gesellschaft. Zweite Auflage. Wien, Schalbacher, 4.

Phaedri äsopische Fabeln prosaisch übersetzt mit einem antiquarischen Wörterbuch erläutert, und zu einem durchaus faſslichen und unanstöſsigem Lesebuch für die Iugend bearbeitet von *E. F. G. Oertel*. Anspach, Haueisen, 8.

Plinius Briefe aus dem Latein. mit Anmerk. von *Ioh. Adam Schäfer.* Zweiter Band. Erlangen, Schubart. 8.

Sallust's Römische Geschichte nach *Debrosses*, mit Anmerkungen von *I. Ch. Schlüter.* Vierter Band. Osnabrück, Blothe, 8.

Sammlung der neuesten deutschen Uebersetzungen der römischen Prosaiker. Funfzehnten Theils erster Band, des Tacitus Werke 1. B. Frankfurt am Mayn, Hermannische Buchh. 8. etiam sub titulo: Tacitus sämtliche Werke übersetzt von Dr. *G. L. Becher.* I. Theil. Frankfurt am Mayn, Hermann. Buchh.

L. Annaeus Seneca, herausgegeb. von *I. G. K. Klotzsch.* Zweiter und letzter Band. Wittenberg, Zimmermann, 8.

Seneca Thyestes, ein Trauerspiel, aus dem Latein. übersetzt und mit Anmerk. und einer Einleitung über das Wesen dieser Tragoedie begleitet von *Franz Horn.* Penig, Dienemann und Comp. 8.

T. Livius Romerske Historie. Med Anmärkninger for Ustuderede ved M. R. Möller. 3. Deele, Kiöbenhavn, 8. Arntzen u. Hartier.

Martials Digte. Udvalgt, og efter vore Säder omarbeided ved F. H. Guldberg. Ibid. ap. eosdem, 8.

V. Grammatici libri.

1. Maiores et subtiliores:

Io. Arn. Kanne Ausführlicher Erweis der Verwandtschaft des Teutschen und Griechischen. Leipzig, Rein, gr. 8.

I. F. Iac. Reichenbach Allgemeines griechisch-deutsches Handwörterbuch zum Schulgebrauche. Zweiter Band. Leipzig, Barth, gr. 8.

I. G. Schneider's Kleines griechisch-deutsches Handwörterbuch, ein Auszug aus dessen gröſsern Werke nach und mit dem Rathe des Verf. zum Besten der Anfänger ausgearbeitet von *F. W. Riemer.* Erste Abtheilung *A — L.* Iena, Frommann, gr. 8.

Fr. Vigerus de praecipuis graecae dictionis idiotismis, cum Hoogeveenii et Zeunii animadversionibus. Edidit et auxit *Godofr. Hermannus.* Lipsiae, Fritsch. 8.

I. C. Vollbeding Stammtafel aller Sprachen, Berlin, Matzdorf. 8.

2. Minores, in tironum usum scripti:

Anleitung zum lateinischen Sylbenmaaſs und Versbau, München, Lentner, 8.

Fr. Buchholz lateinisches Lesebuch für die untern Classen mit angehängtem Wörterbuche. Berlin, Frölich, 8.

Deutsche und lateinische Chrestomathie zum Gebrauch der ersten und zweiten Schule der Gymnasien des Münsterlandes. Münster, Theissing, 8.

E. Danielsen Elementarbuch der latein. Sprache für Anfänger, 8. Kiel, neue acad. Buchh.

Kleine lateinische Grammatik für den ersten Anfänger. Mit Uebungen. Leipzig, Rabenhorst, 8.

Der kleine Lateiner oder Orbis pictus in der Gestalt eines latein. Lesebuchs für die ersten Anfänger. Vierte Auflage, mit und ohne Kupf. Nürnberg, Schneider und Weigel, 8.

Leitfaden bey dem ersten Unterricht in der lateinischen Sprache. Zerbst, Füchsel, 8.

Joh. Fr. Memmerts deutsch und lateinische Grammatik für Schulen. Erlangen, Palm, 8.

G. Ludw. Otto Plagemann's Lehrbuch zum ersten Unterricht in der latein. Sprache, aus den besten alten

und neuen Schulbüchern gesammelt, theils umgearbeitet, und mit Hülfsmitteln begleitet. Vierte verb. Auflage. Schwerin, Bödnersche Buchh. 8.

Ioh. Gottfr. Röchling's gründl. und deutl. Anleitung zur Composition der latein. Sprache, in histor. physikal. und moral. Unterhaltungen. Vierte Auflage. Frankfurt am Mayn, Brönner, 8.

Ebendesselben Lehrreiche und angenehme syntactische Vorübungen nach der beliebten Schellerschen Grammatik. Vierte Auflage, ebendas. 8.

Roth's und *Werner's* grammatisches Elementarbuch der lateinischen Sprache. Stuttgard, Mezler, gr. 8.

C. G. Schütz lateinisch-deutsches Lehrbuch für die erstern Anfänger zur schnellern, sichrern und angenehmern Erlernung der latein. Sprache. Ein Versuch das Gute in der Methode des weiland allbeliebten Comenius ohne seine Fehler zu behalten. In 2. Theilen. Mit Kupf. Leipz. Baumgärtn. Buchh. 8.

3. Recentiorum auctorum libri latini, linguae studiis inservientes.

I. H. Campe Robinsonus secundus, tironum causa latinitate donatus a *P. I. Lieberkühnio*, iterum recensitus et copiosiori indice instructus a *L. F. Gedike*. Editio quarta correctior. Ienae, Frommann. 8.

Kleines lateinisches Sittenbuch, ein Geschenk für Iünglinge, und als Uebersetzung ins Deutsche. Roſslau, Verlagsbüreau. 8.

VI. Ad geographiam et historiam antiquam.

Abhandlungen über Aegypten welche während des Feldzugs des Gen. Bonaparte von dem Nationalinstitut zu Kairo bekannt gemacht worden, a. d. Franz. Ber-

lin, Paulische Buchh. (Insunt etiam nonnullae Comm. veteris Aegypti notitiae inservientes.)

G. G. Bredow's Untersuchungen über alte Geschichte, Geographie und Chronologie. 2tes Stück, enthaltend: *Gossellin's* Untersuchung über die West- und Ostküste Afrika's mit Berichtigungen; *Rennel's* System der Geographie Herodots im gedrängten Auszug; *Vincent* über den Periplus des rothen Meers im Auszuge, mit Anmerk. und 12 Charten. Altona, Hammerich. gr. 8.

A. H. Brehm's Geschichte des Orients besonders Palästina's alter und neuer Zeiten, nebst einer Kritik bibl. Stellen. III Theile. Gotha, Ettinger, 8.

Denon Reise durch Ober- und Nieder-Aegypten während des Feldzugs des Gen. Bonaparte. Aus dem Französ. übersetzt mit Anmerk. v. Prof. *Tiedemann*. Berlin, Voss. Buchhandlung. 8. Mit Kupfern.

D. *Goldsmith's* Geschichte der Römer von Erbauung der Stadt Rom bis auf den Untergang des abendländischen Kaiserthums. Aus dem Engl. nach der sechsten Ausgabe übersetzt und mit einer Geschichte des oströmischen Kaiserthums ergänzt von *Ludw. Theobul Kosegarten*. Vierter Band, mit einem Register über das ganze Werk. Leipzig, Weidmann. Buchh. (etiam sub tit. *L. T. Kosegarten* Geschichte des oström. Kaiserthums, 2ter Band. 8. mai.

Edle Griechen, vom Verf. der Edlen der Vorwelt. II. Theile. Nene Ausgabe. Elberfeld, Büschler, 8.

Hug. Grotii Parallelon rerum publicarum Liber tertius: de moribus, ingenioque populorum Atheniensium, Romanorum, Batavorum. Vit een echt Handschrift oitgegeeven, in 't Nederduitsch vertaald, en met Aanmerkingen opgehelderd door *I. Meermann*. I.

Deel. Haarlem, gr. 8. (Lipsiae, libr. Weidmann. Hamburg., Perthes).

Franz Güssmann über die alten Thierkreise in Aegypten. Wien. Mit einem Kupf. 8. Wappler und Beck.

Cph. Wilh. Hoffmann über die Kriegs- und Staatslist der Alten, mit Hinsicht auf unser Zeitalter. Für Officiere und andere gebild. Leser. I. Theil. Halle, Gebauer. 8.

G. I. Hübler's Handbuch der allgemeinen Völkergeschichte alter Zeiten, vom Anfang der Staaten bis zum Ende der römischen Republik. Fünfter und letzter Band. Freyberg, Craz. Buchh. gr. 8.

M. D. Köhler's Versuch einer Darstellung der allgemeinen physikal. Geographie der Alten. Aus den Quellen unmittelbar gezogen. Lemgo, Meyersche Buchh. 8.

C. Kruse Atlas zur Geschichte aller europ. Staaten von ihrem Ursprunge an bis zum Iahr 1800. I. Lieferung welche die Charten von den Iahren 400. 500. 600. und 700. nebst 8. histor. Tabellen enthält. Halle, Rengersche Buchh. fol.

Asiatisches Magazin verfasset von einer Gesellschaft von Gelehrten, und herausgegeben von *I. Klaproth*, m. Kupf. u. Chart. Erster Iahrgang 1802. Weimar Industrie-Compt. (Continebit Comm. ad historiam, geogr., litteras et artes Asiae veteris et recentioris spectantes, etiam ex angl. et francog. conversas).

K. E. Mangelsdorf Hausbedarf aus der allgemeinen Geschichte der alten Welt, für seine Kinder und andere von 12 bis 15 Iahren — Zweite durchgängig revidirte Auflage. Zweiter bis fünfter Band. Halle, Ruff, 8.

I. C. F. Manso Sparta, ein Versuch zur Aufklärung

der Geschichte und Verfassung dieses Staats. Zweiter Band. Leipzig, Dyk.

Conr. Mannert Geographie der Griechen und Römer. Sechsten Theils dritte Abtheilung, enthaltend Kleinasien. Nürnberg, Grattenauer, gr. 8.

Aug. Matthiae Dissertatio de quaestione, quae sint praecipua capita ac quae causae physicae et morales diversae indolis, qua aliae ab aliis nationes discrepant. Accedunt de eodem argumento dissertationes duae, prima belgica a Guil. de Vos, altera latina a L. G. Bekenn. Lugd. Bat. ap. Luchtmans. 4. mai. (Matthiae diss. etiam germ. conversa est: *A. Matthiae* Versuch über die Ursachen der Verschiedenheit in den Nationalcharakteren. Eine Preisschrift. Leipzig, Fleischer d. jüng. 8.).

C. Michaeler's Historisch-kritischer Versuch über die ältesten Völkerstämme und ihre ersten Wanderungen nebst weiterer Fortpflanzung nach Amerika. Zur Entwickelung des dunklern Zeitalters. Vierter Theil, Wien, Pichler, 8.

W. Mitford's Geschichte Griechenlands. Eine freye Uebersetzung von *H. K. A. Eichstädt*. II. Band. Leipzig, Weidmann. Buchh. 8.

P. F. A. Nitsch Kurzer Entwurf der alten Geographie, aufs neue verbessert herausgeg. von *Conr. Mannert*. Vierte Auflage. Leipzig, Heinsius, 8.

Benj. Friedr. und *Friedr. Schmieders* Lehrbuch der alten Geographie. Nebts einem vollständigen Atlas der den Alten bekannt gewordenen Theile der Erde, in 12. illum. Charten. Zum Unterricht der Iugend. Berlin, acad. Kunst- und Buchh. 8.

Derselben Handbuch der alten Geographie. Zur nähern Erklärung des Atlasses der den Alten bekannt gewor-

denen Theile der Erde. Zum Gebrauch der Lehrer. Ebendas. 8.

Chr. Fr. Schulze Kampf der Demokratie und Aristokratie in Rom, oder Geschichte der Römer von der Vertreibung der Könige bis zur Erwählung des ersten plebejischen Consuls. Altenburg, Rink und Schnuphase, 8.

M. Stuart's Römische Geschichte. Aus dem Holländ. übersetzt. Dritter Theil von dem Untergange der Fabier bis auf den Einfall der Gallier. Düsseldorf, Dänzer, 8.

R. A. Vertot Geschichte der römischen Staatsveränderungen, aus dem Französ. II. Theile. Wien, gr. 8. Degen.

Zappe Gemälde aus der römischen Geschichte, nach Millot's Plane dargestellt, mit 48. Kupfern. Wien, Schalbacher, gr. 4. (Liber non recens editus).

VII. Ad archaeologiam.

Abbildungen der vorzüglichsten alten Statuen und Gruppen, die sich theils in Rom, theils in Paris befinden, nach den Zeichnungen des H. F. Perrier in Kupfer gestochen von Blascke, Gerstner, Mansfeld u. s. w. mit erklärendem Texte von *Ioseph Ernst*. Vierte Auflage. Wien, Schalbacher, fol.

Des Abbé *I. I. Barthelemy's* Anacharsis des jüngern Reise durch Griechenland viertehalbhundert Iahre vor der gewöhnl. Zeitrechnung. Aus dem Französ. nach der dritten Ausgabe des Originals übersetzt von Bibliothekar Biester. Sechster Theil. Dritte Auflage. Berlin, Lagarde, 8. mai.

Barthelémy Reisen durch Italien. Nach den an den Graf Caylus geschriebenen Originalbriefen abgedruckt, nebst einem Anhang von noch ungedruckten

Schriften von *Winkelmann*, *Iacquier*, *Zarillo* und andern Gelehrten, von *Serieys*. Maynz, Vollmer, gr. 8.

Eiusdem Fragmente über Italien nebst einer Beschreibung der Ruinen von Palmyra und Baalbek und der Alterthümer von Herculanum, als der zweite Theil seiner Reise nach Italien. Ibid. ap. eumdem. (uterque libellus communem etiam hanc habet inscriptionem: Barthelemy's hinterlassene, bisher noch ungedruckte, Werke.)

C. A. Böttiger Herkules der Dreifußräuber. Eine archäologische Untersuchung, nach einer Antike im Dresdner Museum. Weimar, Hofmanns Buchh. gr. 8. mit Kupf.

I. F. Gerning Reise durch Oesterreich und Italien. III. Bände, mit Kupf. 8. mai. Frankfurt am Mayn, Wilmans. (Continet multas obss. de artis antiquae operibus. Idem valet de: *De Non* Neapel und Sicilien. Aus dem Französ. von *Keerl*. Eilfter Theil. mit Kupf. 8. mai. Gotha, Ettinger).

I. G. Gruber's Encyclopädie der Alterthümer Griechenlands, Etruriens und Roms, nach den vorzüglichsten Kupferwerken, mit archäolog. und artist. Erläuterungen. II. Heft. Leipzig, Baumgärtn. Buchh. 8.

Die Hauptgötter der Fabel in Kupf. von Gerstner, Kohl, Mansfeld, Ploschke und Stöber, mit der Geschichte und Darstellung deren ursprüngl. Bedeutung. Zweite Auflage. Wien, Schalbacher, 4.

M. G. Herrmann's Auszug aus seiner Mythologie der Griechen, für die untern Classen der Schulen und Gymnasien, nebst einem Versuch über den ältesten Kalender, als Einleitung in die gesammte Mythologie. Berlin, Voss. Buchh. 8. mit Kupf.

Car. Friedr. Hoffmann's Mythologie für Kinder, besonders

sonders auch für Schulen bearbeitet. Leipzig, Hinrichs, 8.

Homer nach Antiken gezeichnet von *H. W. Tischbein*, mit Erläuterungen von *C. G. Heyne*. Drittes und viertes Heft. Göttingen, Dieterich, gr. fol. (Eiusdem libri Particulae primae nova ed. prodiit.)

I. H. Keerl's Siziliens vorzüglichste Münzen und Steinschriften aus dem Alterthume, für Liebhaber der Geschichte und Münzkunde, I. Theil mit Kupf. 8. mai. Gotha, Ettinger.

Französische Kunstannalen zur gemeinnützigen Verbreitung der neuesten Werke der Künste und der in Frankreich aufbewahrten Schätze des Alterthums. Herausgegeben von *Landon*. XII. Stücke mit 72 Kpf. Mühlhausen (und Leipz. Hinrichs Comm.). etiam francogall. sermone.

D. *Fr. Münter's* Versuch über die keilförmigen Inschriften von Persepolis; m. K. Kopenhagen, Proft. 8.

I. C. Rasche Lexicon rei nummariae veterum, Tomi Sexti Pars secunda. Lipsiae, libr. Gleditschia, 8. mai.

F. Schlichtegroll Annalen der ältern und neuern Münzkunde. Leipzig, Industriecomptoir, 4.

Robert von Spallart Versuch über das Kostum der vorzüglichsten Völker des Alterthums. Fünfter Band, mit Kupf. 8. Wien, Wappler und Beck.

Voyage de la Troade fait dans les années 1785 et 86. par *I. B. Lechévalier*. Troisième ed. corrigée et augmentée. III. Voll. avec un Atlas. 8. à Strasbourg, Levrault frères.

Voyage pittoresque de l'Istrie et de la Dalmatie. XIIIme et dernière Livraison. (Leipzig, Voss et Comp.) fol.

Voyage pittoresque de la Syrie, de la Phénicie, de la Palestine et de la basse Egypte — d'après les dessins

de *Cassas*. 18e 19e. 20e et 21e livr. gr. fol. à Strasbourg chez Treuttel et Würz.

VIII. Ad historiam litterarum vett. et antiquitatem omnem.

Allgemeine Geschichte der Obstkultur von den Zeiten der Urwelt an bis auf die gegenwärtigen herab. Erster Band, Gesch. der Obstkultur von den Zeiten der Urwelt bis zu Constantin dem Grossen. Von D. *Fr. Karl Ludw. Sickler*. Frankf. am Main, in der Iägerschen Buchh. 1802. gr. 8.

Charaktere der vornehmsten Dichter aller Nationen oder Nachträge zu Sulzers allgemeinen Theorie der schönen Künste, von einer Gesellschaft von Gelehrten, VI. Bandes zweites Stück. Leipzig, Dyk. 8. m.

I. A. Fabricii Bibliotheca graeca s. Notitia vett. scriptorum graecorum etc. Editio quarta variorum curis emendatior atque auctior, curante *G. C. Harles*. — Volumen octavum. Hamburgi, Bohn, 4. mai.

G. Fischer's Beschreibung einiger typograph. Seltenheiten und merkwürdigen Handschriften, nebst Beiträgen zur Erfindungsgesch. der Buchdruckerkunst. Dritte Lieferung, mit 2 Kupf. Nürnberg, Lechner, 8. mai.

[*Ferd. Fossi* Catalogus Codicum saeculo XV. impressorum, qui in bibliotheca Magliabechia Florentiae adservantur. Flor. III. Tomi. Libr. Gleditschia Lipsiensis operis, quod iam ante aliquot annos prodiit, exempla nonnulla adferri iussit.]

Geschichte der griechischen Astronomie bis auf Eratosthenes. Von *Ioh. Konr. Schaubach* Insp. des Lyceum zu Meinungen. Göttingen 1802. 8. mai. Röwer. cum 4. tabb.

F. E. H. Heubel Das Wagenrennen der Römer, für Liebhaber der Reitkunst, und Leser der alten Classiker, mit 2 Kupf. Leipzig, Hartknoch. 8.

Meierotto über Lebensart und Sitten der Römer. Zweite mit Zusätzen des Verf. vermehrte Auflage. Berlin, Mylius. 8.

D. *Ge. Wolfg. Panzeri* Annales typographici ab artis inventae orig. ad a. MDXXXVI. Volumen decimum. Norimbergae, Zeh. 4.

Pontigiuliano oder über Dicht- und Schauspielkunst älterer und neuerer Zeit; über Shakespeare und *Sophokles* etc. Frankfurt am Mayn, Körner. 8.

A. Rinäcker's Compendium der griech. Litteratur für Schulen. Mit einer Vorrede von Prof. *Kiesewetter*. Berlin, Lagarde, 8. mai.

Zapf Gallerie der alten Griechen und Römer. Zweite Auflage. Leipzig, Ioachim, 4.

I. A. Steyeri Lessus in obitum H. M. G. Reichardi, quo cum virtutibus et meritis scripta simul demortui laudantur. Lipsiae, Crusius. 8. (Iam elapsi anni fine prodierat.)

XVII.

Ueber das Verhältnifs zwischen den Atheniensern und ihren Bundesgenossen. Zur Anhörung der den 8. Apr. zu haltenden öffentl. Prüfung der obern Classen des Magdalen. Realgymn. von *Ioh. Casp. Friedr. Manso*, Rector und erstem Professor. Breslau 1802. 16. pp. 4. (h. e. *Mansonis* Programma de rationibus politicis inter Athenienses eorumque socios.)

Tempore Pisistratidarum primum Athenienses ad mare Aegaeum propagare imperium conati sunt. Miltiades, Cimonis filius, Olymp. LXV. thracicam Chersonesum, quae iam antea se eius patrueli ipsa subiecerat Ol. LV. occupavit. Herod. VI, 34. ss. (Nam Sigeum et Naxus non reipublicae, sed Pisistratidis paruerant. Her. I, 64. V, 94.). Chersonesum Athenn. abhinc tenuerunt, atque inde etiam Lemnum occuparunt (post Ol. LXVIII.) Her. VI, 133. ss. Et Lemnii post fugatum Xerxen rediisse sub ditionem Athenn. videntur, (Thuc. I, 115.) ut et Chersonesii (Her. IX, 115. 118.). Paros insula frustra tentata. Graeci Asiae minoris atque Thraciae coniunxerunt se cum Athenn. contra Persas, ita ut liberi essent socii, et Athenienses non nisi duces. (Thuc. I, 97.) Sed circa Olymp. LXXVIII. inprimisque Pericle

ciuitatem Athenn. administrante socii coeperunt sensim opprimi imperioque Athenn. subiici, cuius rei causas M. enumerat has: 1. institutionem communis aerarii hac lege factam, ut socii nec naues nec copias ad bellum mitterent (Thuc. I, 99.); nam partim inde ab eo tempore insularum incolae ab exercitatione armorum avocati sunt, partim Athenn. peritiam rei bellicae maiorem sibi compararunt; partim hi pecuniam collatam in suos usus convertere potuerunt; 2. negligentiam sociorum, qui primis Athenn. conatibus non restiterunt (Thuc. III, 90.); 3. calliditatem Athenn., qui imbecilliores ciuitates primas adoriebantur; 4. Spartanorum imprudentiam, qui tum demum se opposuerunt, cum plerasque ciuitates sibi Athenn. subiecissent. Opportunitas varia erat; quod socii naues non praebuissent, tributa non soluissent, cedere locis quibusdam nollent; uni ciuitati contra aliam opem tulerunt Athenn. Multa autem sociis onera ab Athenn. imposita sunt: 1. Aristides iusserat, quamque ciuitatem aut naues certas quasdam exstruere, aut earum loco pecuniam soluere; sed tributum hoc Pericles quarta, Alcibiades dimidia parte auxit (Manso Sparta B. II. Beyl. 13.). 2. vectigalia et portoria soluere socii cogebantur (Xen. de rep. Ath. II, 3.). 3. causae et lites omnes sociorum in foris Athenn. agebantur, quae res vexationi eorum inseruiit (Xen. de rep. I, 17.). 4. Interdum etiam magistratus sociorum ab Athenn. constituebantur. Non tamen sociorum omnium eadem fuit conditio. Alii liberiores, alii minus erant; nec tributa aequalia describebantur, nec officia paria imponebantur. (Thuc. III, 10. ss. VIII, 24. I, 116. s. VII, 57. VIII, 9.) Nonnullae enim ciuitates ab initio iam videntur naues misisse, non pecuniam soluisse; hae videntur sociorum iura facilius retinuisse (ut Chii, Thuc. VIII, 45.) αὐτόνομοι dicuntur. Aliae numquam

fidem fefellerant, atque tributa diligenter soluerant (ὑποτελεῖς); aliae quod arma sumsissent victae iuribusque exutae erant (ὑπήκοοι). Ad primam classem referuntur Chii et Methymnaei, Mitylenaei ante defectionem, et inde ab a. 20. belli Pelop. Samii (Thuc. VIII, 21.). Vltima classis plurimas habuit ciuitates, (etiam Milesios). Secundae et tertiae classis urbes etsi tributa soluebant, tamen, ut primam, etiam in bello adesse et milites mittere oportuit. Vt has ciuitates in officio continerent, usi sunt 1. terrore et seueritate. Alios, ut Aeginetas (Thuc. II, 27.) patria eiecerunt, ex aliis suspectos ciues abesse iusserunt (id. IV, 57.), aliarum urbium muros diruerunt, naues abduxerunt (id. III, 50. I, 117.), aliis agros ademerunt (id. I, 114. Herod. V, 77. coll. Plut. vit. Pericl. 23.); 2. artibus, quibus efficerent, ut in omnibus ciuitatibus ipsorum sectatores valerent (Xen. de rep. Ath. I, 114. ubi M. cum Zeunio legit οἱ ἐκπλ. et ὡς δοκεῖ); 3. iudiciis in causis sociorum Athenis factis (Xen. l. l. I, 16. III, 10. s. Thuc. III, 11.); 4. dissensionibus in ipsis exteris ciuitatibus excitatis (Thuc. III, 2. IV, 54. V, 85. VIII, 9. et 21.) inprimis inter optimates et plebem. Etenim in paucorum manibus erant omnes agri, a seruis culti; reliqui ciues pauperes victum tenuem manibus suis quaerebant. Inde perpetua dissidia. Caeterum omnes insulae inter Graeciam et Asiam, cum urbibus orae Asiae minoris, a Caria usque ad Pontum Euxinum et a Byzantio usque ad Potidaeam suberant imperio Athenn. (Thuc. II, 9. VIII, 57.)

PLAVIAE

IMPRESSIT CAROLUS CHRISTOPHORUS WIEPRECHT.

INDEX VOL. I. ET II.

A

C

D

E

F

G

H

I

K

L

N

O

P

R

S